UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theatrum Asceticum, Sive Meditationes Sacræ

Neumayr, Franz

Ingolstadii [u.a.], 1747

VD18 14516888

urn:nbn:de:hbz:466:1-54686

Visual Library

Th. 3185.

~~X XI~~

~~4~~

~~f. XVI. 8.~~

~~F XV. 147~~

THEATRUM ASCETICUM,

SIVE

MEDITATIONES SACRÆ

IN THEATRO

CONGREGATIONIS LATINÆ

B. V. MARIÆ

AB ANGELO SALUTATÆ

EXHIBITÆ MONACHII,

VERNI JEJUNII TEMPORE

Ab Anno 1739. usque ad Annum 1747.

ET NUNC

AD COMMODIOREM USUM

SUÆ, & ALIENÆ PERFECTIONIS STUDIOSORUM

ALTERIS TYPIS EDITÆ

AB EJUSDEM SODALITATIS p. t. PRÆSIDE

P. FRANCISCO NEUMAYR S. J.

CUM LICENTIA SUPERIORUM,

ET

PRIVILEGIO CÆSAREO.

INGOLSTADII, & AUGUSTÆ VINDEL.

Sumptibus Joannis Franc. Xav. Crätz Bibliopolæ Academici, & Thomæ Summer Bibl. August.

ANNO MDCCXLVII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

THEATRUM ASCETICUM,

SIVE

MEDITATIONES

SACRÆ

IN THEATRO

CONGREGATIONIS LATINÆ

B. V. MARIÆ

AB ANGELO SALUTATÆ

EXHIBITÆ MONACHII,

VERNI JEJUNII TEMPORE

Ab Anno 1739. usque ad Annum 1747.

ET NUNC

AD COMMODIOREM USUM

SUÆ, & ALIENÆ PERFECTIONIS STUDIOSORUM

ALTERIS TYPIS EDITÆ

AB EJUSDEM SODALITATIS p. t. PRÆSIDE

P. FRANCISCO NEUMAYR S. J.

CUM LICENTIA SUPERIORUM,

ET

PRIVILEGIO CÆSAREO.

INGOLSTADII, & AUGUSTÆ VINDEL,

Sumptibus Joannis Franc. Xav. Crätz Bibliopolæ Aca-

demici, & Thomæ Summer Bibl. August.

ANNO MDCCXLVII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS
CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

CUm Domini Joannes Franciſcus Xaverius Crätz Bibliopola Academicus Ingolſtadienſis, & Thomas Summer Auguſtæ Vindel. typis vulgare deſiderent Librum, cui Titulus : *Meditationes Quadrageſimales*, à P. Franciſco Neumayr, Societatis JEſu Sacerdote, latino Idiomate conſcriptum, Ego Magnus Amman Societatis JEſu per ſuperiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, poteſtate ab Admodùm R. P. noſtro Franciſco Retz, univerſæ Societatis Præpoſito Generali ad id mihi facta, eisdem ad alteram hanc Editionem facultatem impertio, ſimúlque communico Privilegium Cæſareum, quô aliis Bibliopolis, & Typographis prohibetur, ne dictum Librum citra conſenſum Superiorum recudere, vel intra fines Romani Imperii inferre præſumant. In quorùm fidem has eis manu propria, & conſuetô officii Sigillô munitas dedi. Ingolſtadii 15. Februarii 1747.

(L. S.)

Magnus Amman.

PRÆFATIO.

MEditationes, quas per aliquot annos in foliis ſeparatis fortaſſe legiſti, Lector benevole, nunc in unum congeſtas volumen offero. Cauſa conſilii, præter multorum deſiderium, fuit ſpes fructûs amplioris, atque perennaturi ex connexione materiarum, *quæ ſe modò oculis, & menti integra exhibet, eſtque digna aſpectu fixo, quia* gradus *componit, per quos* ſeipſum *quisque, aut* ſuos, *ſi aliquorum curam habet, ducere ad apicem Chriſtianæ virtutis debet* ex ordine, *atque* ſenſim, *quando rariſſimè videmus contingere, ut aliquis* repentè *optimus fiat. Hunc finem unicè me ſpectâſſe profiteor; ideóque ſi quis Comicæ Artis regulas, ſive quæ ad inventionem, ſive quæ ad diſpoſitionem, ſive quæ ad elocutionem pertinent, non rarò neglectas eſſe ſtomachetur, meminerit,* omnem Artem eſſe ancillam Prudentiæ, *quæ illius operam ſapienter repudiat, quoties* ad finem intentum *obeſſe plùs, quàm prodeſſe exiſtimat. Diſcurſus ſolidi, Inſtructiones practicæ, viriles motus* THEATRUM ASCETICUM *magìs expetebat, quàm ingenioſos errores, admirandas peripetias, panicos terrores, tenellas lacrymas, de quibus Terentio, aut Sophocli plaudimus. Nimirum quia hoc agebam, non ut à Spectaculo* benè mecum, *ſed ut* malè contenti ſecum *Spectatores abirent, quoties* utrumque ſimul *ſperare facilè non licebat. Habes* finem *laboris mei: Materiam, Formam,* Uſum *ſequens pagina per Synopſin exponit.*

INDEX

INDEX I.

Sive

SERIES, & CONNEXIO MATERIARUM

Directioni Animarum

accomodata.

ANNUS Imus

Idea perfectæ Conversionis.

Sive

AUGUSTINUS.

Meditatio I. Conversionis Principium - - - - Fol. 3:
II. Obstaculum, seu Procrastinatio - - - 39.
III. Lucta. - - - - 80.
IV. Victoria. - - - 109.
V. Fructus Victoriæ. - - - 144.

ANNUS IIdus

De primo gradu perfectæ Conversionis,

qui est

ORATIO,

& in specie

DEVOTIO MARIANA.

Meditatio I. Veræ Devotionis incitamenta, sive *S. Dionysius Areopagita.* - - - 173.
II. Signa, sive *S. Stephanus Hungariæ Rex* - 210.
III. Fructus, sive *S. Elzearius Franciæ Mareschallus* 243.

ANNUS

ANNUS IIIus

De secundo gradu perfectæ Conversionis,
qui est
HORROR PECCATI.

Meditatio I. Peccatum est malum summè noxium, sive *Jeroboam* - - - - 274.
II. Summè turpe, sive *Nabuchodonosor* - 304.
III. Summè triste, sive *Saul* - - 336.
IV. Majus morte, sive *Ochozias* - - 366.
V. Infinitum, sive *Homo Deicida.* - - 393.

ANNUS IVtus

De tertio gradu perfectæ Conversionis,
qui est
TIMOR DEI.

Meditatio I. Primum timoris argumentum, *Mors* - 425.
II. Argumentum secundum, *Judicium* - 454
III. Argumentum tertium, *Jactura Cœli* - 487.
IV. Argumentum quartum, *Infernus* - 524.
V. Argumentum quintum, *Æternitas* - 560.

ANNUS Vtus

De quarto gradu perfectæ Conversionis,
qui est
SPES.

Meditatio I. Misericordia connivens, sive *Filius prodigus in regione longinqua.* - - - 596.
II. Misericordia puniens, sive *Filius prodigus in servitute.* - - - 631.
III. Misericordia animans, sive *Filius prodigus in reditu.* - - - - 661.
IV. Misericordia recipiens, sive *Filius prodigus in amplexu Paterno.* - - 691.

ANNUS

ANNUS VI^tus

De quinto gradu Conversionis perfectæ,
qui est
AMOR DEI.

Meditatio I. Diliges Dominum DEum tuum, sive *S. Franciscus Seraphicus* - - - 721.
II. Ex toto corde tuo, sive *S. Franciscus de Paula* 753.
III Ex tota mente tua, sive *S. Franciscus Salesius* 781.
IV. Ex tota anima tua, sive *S. Franciscus Borgia* 814.
V. Et ex tota virtute tua, sive S. *Franciscus Xaverius* 844.

INDEX II.
PROPOSITORUM
Ex harum Meditationum lectione formandorum
In Exercitiis triduanis, vel octiduanis.

DIE I.^a & pridie.

De Fine hominis.

1. Correctio voluntatis perversæ *per mala dictamina*, quæ Animam ab ultimo fine avertunt - - Fol. 3.
2. Correctio voluntatis pigræ *executionem* bonarum resolutionum semper procrastinantis - - - 37.
3. Correctio voluntatis infirmæ ab executione *propter obviam difficultatem* resilientis - - - - 71.
4. Correctio voluntatis restrictæ, & *aliqua quidem media* salutis acceptantis, contra alia verò excipientis - - 109.

DIE II.^a

De duobus Vexillis, & electione.

1. Amor vitæ ad tempus *solitariæ*, atque contemplativæ - 142.
2. Zelus vindicandi tot *Deicidia*, quot sunt peccata gravia, in se, & aliis - - - - - 163.
3. Spes gratiæ ex DEiparæ patrocinio - - 173.
4. Promissio devotionis constantis, ac puræ - - 210.
5. Executio Formulæ Marianæ. - - - 243.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DIE III.ª & IV.ª

De Peccato.

1. Fuga peccati, etiam cùm *ſpes lucri* allicit, aut *metus damni* impellit - - - - - 275.
2. Fuga peccati, etiam cùm *ſpes gloriæ*, aut *metus dedecoris* urget 304.
3. Fuga peccati, etiam cùm *libido voluptatis*, aut *horror doloris* provocat - - - - 336.
4. Fuga peccati, etiam cùm ſpes eſt peccati ope evadendi *grave malum*, aut ipſam *mortem* - - - 366.

DIE V.ª & VI.ª

De Pœnis peccati.

1. Fuga *vitæ peccaminoſæ*, qualis eorum eſt, qui & *facilè* peccant, & *diu* in peccato perſiſtunt - - - 426.
2. Fuga *vitæ otioſæ*, quippe multis peccatis obnoxiæ - 454.
3. Fuga *vitæ periculoſæ*, qualis eſt eorum, qui in ſtatu, vel officio peccandi periculis expoſito verſantur - 487.
4. Fuga *vitæ delicioſæ*, qualis eſt eorum, qui vim naturæ nullam facientes licere ſibi volunt, quod libet - 524.
5. Fuga *vitæ nimis negotioſæ*, ideóque de ſalute incuriæ 560.

DIE VII.ª

De Filio prodigo, & Regno Chriſti.

1. Fuga *præſumptionis* ex bonitate DEI conniventis - 596.
2. Fuga *impatientiæ* ſub verberibus DEI corrigentis - 631.
3. Fuga *puſillanimitatis* in difficultatibus vitæ novæ - 661.
4. Amor *pœnitentiæ*, & propoſitum uſque ad mortem continuandæ - - - - - 691.

DIE VIII.ª

De Amore DEI.

1. Exercitium Meditationis, & *amoris affectivi* - 721.
2. Exercitium contemplationis, & *amoris appretiativi* - 753.
3. Decretum nihil amandi *ſupra DEum* - 781.
4. Deſiderium nihil amandi *præter DEum* - 814.
5. Conatus DEum amandi *ſine modo.* - 844.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CONVERSIO S. AUGUSTINI

ARGUMENTUM QUINQUE MEDITATIONUM

Quas

Congregatio Latina Major

MATRIS PROPITIÆ

B. V. MARIÆ ab Angelo Salutatæ

Tempore Quadrageſimæ Inſtituit

MONACHII,

Anno Domini M. DCC. XXXIX.

MEDITATIO I.

CONVERSIONIS S. AUGUSTINI PRINCIPIUM ET OCCASIO.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ARGUMENTUM.

Quinque Meditationum hujus anni *unum* est Argumentum, sed multa consideratione dignissimum, *Conversio S. Augustini.* In illa contemplamur *Principium, Obstaculum, Luctam, Victoriam,* & *victoriæ Fructum.* Ita nihil negligemus, quod prodesse possit ad finem, quem nostra Sodalitas in Meditationum Scenicarum institutione intendit.

Eundem ut certiùs, ac suaviùs assequamur, in Musica tradimus pro praxi, doctrinam *de Mediis*, quibus vera Conversio rite perficitut. Quinque numerant, qui directionis animarum peritiam habent. Primum est *Fides*, alterum *DEI timor*, Tertium *Spes*, Quartum *Charitas*, & Quintum *Experientia* per aliquem Exercitiorum Spiritualium usum comparata. Singula *aliquid*, omnia *totum* præstant.

Spectator, & Lector sui profectûs amans, persuadeat sibi, *in persona Augustini se suam videre.* Etsi enim non quilibet in eodem genere cum Augustino sit reus, vix erit tamen, qui non in aliquo genere aliqua conversione indigeat, sive ex malo in bonum, sive ex bono in meliorem.

Hodie exhibemus *Augustinum in Africa,* ubi usque ad annum ætatis 30um docebat Carthagine Rhetoricam. Corruptæ per Patris indulgentiam adolescentiæ vitia hominem, præter cætera

cætera mala, etiam in hæresin Manichæorum pertraxerant, nempe *faventem libidini*, quia docebant impii homines, *non esse nos, qui peccamus, sed pravam in nobis peccare naturam.* Ita ipse l. 5. Confess. c. 10.

Actum erat de salute Maximi viri, nisi *cupido veræ Sapientiæ*, quam lectio Ciceronis ad Hortensium pepererat, impulisset, ut in suæ sectæ fundamenta altiùs inquireret. Reperit in arena fundari, ideóque, cùm dubia sua ne ipse quidem Faustus summus sectariorum Episcopus dissolvere posset, sine mora partes erroris deseruit, & Manichæus esse cessavit. Hoc ei *Conversionis Principium* fuit, sicut legere est l. 5. Confess. c. 7. Itaque præsentis Meditationis

Materia Est disputatio Augustini cum Manichæis.
Puncta duo: Primum, Disputationis occasio.
Secundum, Disputationis effectus.
Fructus, Correctio *voluntatis* per falsa axiomata *Perversæ.*
Propositum, Examinare se, ex quibus quisque *principiis* vixerit, & *in specie*, an non putaverimus servire excusationi posse illud ab Adamo hæreditarium: *Mulier*, hoc est, Natura, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Gen. 3.

Personæ.

Augustinus,
Alipius nobilis Afer,
Potitianus ex aula Arcadii Imp. Catholicus,
Romanianus Manichæus Augustini Mæcenas.
Nebridius Augustino Familiaris,
Navigius ejusdem Frater, Catechumenus.

PRÆLUDIUM

Præparat animos ad fructum ex his Meditationibus colligendum.

Anima meditans. Angelus explicans.

Anima. PAuci *Electi*! (a) Matt. 20.
Triste Evangelium! Angele mi!
An ergò Deus *non vult* omnes *salvari?*
Angelus. Vult utique, & ardentissimè.
Anima. Homines igitur salvos fieri *non velle*,
Jubes me credere?
Angelus. Imò etiam homines volunt omnes *salvi fieri.*
Anima. Deus vult omnes salvari,
Homines volunt omnes salvi fieri!
Quomodo igitur sunt pauci electi?
Angelus. Nempe, quia pauci (attende, & intellige me)
Pauci volunt se *salvos facere.*
Anima. Portentum ignaviæ!
Non sic ego, non sic!
Ego scio, quòd, *qui creavit me, sine me,* S. August.
Non salvabit me, sine me.
Volo, volo, *ùt pauci*, vivere!
Quocunque labore constet, *volo*,
Volo me salvam facere.
Angelus. Ita gaudes teipsam decipere.
Volo, volo, verba sunt: opera exhibe.

Aria.

Quid fecisti *dignum cælo?* (b)
Age, narra, jacta te!

(a) Exhibetur specus, & imago accommoda pro Præludio. (b) Inscriptio: *multa mala, parum boni, & hoc ipsum parum bene.*

Annos

Annos vitæ sine velo,
Sine palpo inspice!
Quale tandem, quale tibi
Scribes Epitaphium,
Nisi, quale vides *ibi*, (c)
Tuæ sortis hominum.

2.

Garris artes, & labores,
Buccinas negotia:
Tace! curas graviores
Suscipit aranea, (d)
Ah! pro musca, non pro Deo
Sic evisceràsti te!
Et hoc sit servire Deo?
Hoc sit *velle* salvum se?

Anima. Heu! lumen terribile!
Ergò *inter multos* me video,
Qui salvare se, nunquam volunt seriò?
Decretum est: *inter paucos* esse volo:
Doce me, mi Angele,
Quid est igitur *seriò velle* salvare se?

Angelus. Accipe:
Voluntas *perversa*,
Quæ adhibet media ad finem noxia,
Voluntas *pigra*,
Quæ differt, aut negligit omnia,
Voluntas *debilis*,
Quæ facilè cessat & resilit, cùm via est ardua,
Voluntas *restricta*,

(c) Crypta mortualis cum inscriptionibus ex c. 5. Gen. *Vixit ... genuit filios, & filias ... & mortuus est.* (d) *Telas aranea texuerunt*, Isa. c. 59. Exhibitio.

Quæ intermedia acceptat aliqua, excipit alia,
Non est voluntas *seria.*
Qualis tua sit, ut plenè, intelligas,
Ecce Theatrum aperio, (e)
In Augustino *te tibi* exhibeo.
Qualis fueris, qualis esse debueris,
Qualis posthac esse debebis,
In Augustino videbis.

Anima. Tuæ curæ libenter committo me,
O bone genie! dirige! dirige!
Dixi: statutum est: *volo salvare me serió.*

Angelus. Ut aspiret cælum pio desiderio,
Compone animum, oculos erige,
Mentem eleva,
Et tua meis junge suspiria.

Duettò.

Ambo. Scrutator cordium,
Quem nullæ fallunt latebræ,
De tuo bonus lumine,
Huc mitte radium!

Anima. Da mémet intueri,
Et vitæ ignaviſſimæ
In nugis malè perditæ
Horrore commoveri!

Angelus. Fac, nubila secentur!
Et ut, quæ diu credulam
Jam tenuerunt animam,
Tenébræ dissipentur,

Ambo. Huc mitte radium,
Scrutator cordium.

ME-

(e) Augustinus inter perversæ mentis emblemata.

MEDITATIONIS
De Disputatione S. Augustini
PUNCTUM I.
Disputationis occasio.
SCENA I.

Augustinus, Nebridius, Alipius, Potitianus.

Alipius. (a) Est commoda navis, & instructa ex voto. Beneficium, Potitiane, fecisti, quòd me invitaveris. Inspicere penitiùs licet? *Potit.* Ingredere, & selige locum tibi, Alipi: hospitem gratum habeo. Et quid vos tandem? Augustine, Nebridi, nobiscum ibitis? *Al.* Quousque dubitatis? *Nebr.* Expecto amici sententiam. *Aug.* Et ego adventum Fausti. Antequam Fausto loquar, non abibo. Ille meis, ùt dixi, & spero, dubiis satisfaciet: atque, nisi me Romanianus fefellit, aderit hodie. Igitur si crastinum expectare lubeat, fortè utemur beneficio, & jungemus nos vobis. *Pot.* Ah fortè! Ah Faustus! *Al.* Faustus ut satisfaciat tibi, desideras magìs, Augustine, quàm speras, puto. *Pot.* Tamen audiatur, modò hodie veniat, & ut postea nihil ultra differas. Nam ego miles sum, & urget abitum Imperium Cæsaris, ùt primùm tranquillius erit mare. *Aug.* Post auditum Faustum non morabor decernere, quod mihi proderit.

(a) *Exhibetur turbidum mare, cum portu Carthaginis.*

SCENA II.

Augustinus, Nebridius.

Nebridius. Favete cæli, ut adhuc hodie pacetur mare, & ventus afflet, qui vehat Romam. Roma mihi diu, noctúque in desiderio est. *Aug. mihi sapientia, & veritas.* (b) Veritatem si non inveniam Romæ, Roma, sicut Carthago, molesta erit. Locus mutabitur, animus nihil Contemplare, Nebridi, hoc Symbolum cordis mei, & miserere! ecce sic fluctuo! sic jactor! sic æstuo inter syrtes, de fide dubius, de moribus anxius! experior verbum Domini: *impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus in conculcationem, & lutum.* (c) Fidem facilè muto, si invenero meliorem. Sed nempe si fidem muto, mutandi & mores erunt: hoc ut ego possim!.. nôsti me! *Nebr.* De moribus cogitemus postea: fides bona bonum Consilium dabit. O fides! ô veritas! ubi te reperiam? Augustine, ego in eadem sum navi, tecum ambiguus, ubi vera sit fides. Portum suspiro, sed non tenebo, scio, nisi abimus ex isto portu. Age, convasemus, decerne tandem. *Aug.* Convasare nullum negotium est, omnia sua portanti secum. Sola expectatio Fausti facit moram. *Nebr.* Mihi tu facis, Faustus nullam. Quámcunque ille doctus sit, ac disertus, nunquam tamen Augustinum dubiis exsolvet suis: quin, ne involvat magis, hoc metuo. *Aug.* Audiendus est: promissum dedi. ùt hominem divinum describerunt: cur non sperem, veritatem digitô demonstraturum cupienti, & explicaturum difficiles nodos, quibus minorum gentium Manichæos disputando implicui? Scis, quòd se fassi sint impares, qui responderent argumentis, quibus oppugnavi Manétis doctrinam, parem autem Faustum esse: experiar igitur. *Nebr.* Video, quid sit futurum. Ajunt, hominem *naturâ facundum esse.* (d) Garrulitate itaque, & elegantia sermo-

(b) *l.* 3. *Confess. c.* 4. (c) *Isa.* 57. (d) *L.* 5. *c.* 3. 6. & 7. *Confess.*

sermônis malam causam defendet, quam justis armis non potest. *Aug.* De me te crucias. Sed ego scio, amice, quæ sit ratio agendi cum talibus. *Quomodo* locuturus sit Faustus, ego non attendam: *quid* sit locuturus, hoc examinabo. Si satisfecerit dubiis, habebit me sibi captivum: sin minùs, accepto Potitiani beneficium, & tecum, ubi cælum faverit, ac cum Alipio, Romam abeo, modò tamen etiam consenserit Melania. (e) *Nebr.* Hem! nova exceptio! putabam solum Faustum in mora esse. Illudis mihi? usque adeò imbellem te credam? non credo. Aut, non puderet te adeò sine ambagibus mancipatum tam turpem fateri? ... Vah! audio muliebrem gemitum. ... Heu! verè Melania te plùs, quàm Faustus tenet! obsecro, Augustine, quot mariti sunt, qui per terras ac maria passim vagantur, uxore, non dico, non consulta, sed etiam meritò invitâ: & tibi non liceat tuæ salutis causâ Romam petere, nisi amica probaverit? ignosce amico: liberè loqui cogit indignitas rei. *Aug.* Condono [audaciam nunquam experto, quid sit amare. Cæterùm ita est: Videò, me esse mancipium: sed, quid faciam? *esse cogor*, nunc maximè, postquam cum Manichæis sentire cœpi, *non esse nos, qui peccamus, sed pravam in nobis peccare naturam.* (f) Non credis, quantùm me istud axioma confirmârit in malo, quod malum esse scio, & tamen amo. *Nebr.* Miror, fieri posse, ut homo sapiens amet malum. *Aug.* Admiratio tua est filia ignorantiæ, de qua ego gratulor tibi: tu mihi condole, & de his sile. *Nebr. Ego non pecco, sed prava in me peccat natura*: Augustine, credis tu veram sententiam esse? falsa est: utique intelligis. *Aug.* Falsa est, patet, quia Deus me punit, cùm pecco: ergò ego pecco, neque enim, qui non peccat, justè potest puniri. Deinde, sicut experior vivere me, sic experior, me aliquid velle, aut nolle, cùm pecco: sequitur, quòd peccare sit voluntatis actio, non naturæ. Sed hæc argumenta fortè Fau-

(e) *L. 4. Conf. c. 2.* (f) *l. 5. Conf. c. 10.* B stus

stus dissolvet. Experiar. *Nebr.* Opto igitur, ut hìc jam nunc adsit: nam mihi certum est, nihil aptè responderi posse. *Aug.* Etiam judico. Est tamen nescio quid, quod mihi blanditur intus, & dicit: nihil metue! huc te natura adigit: non offenditur, qui est auctor naturæ. Reclamat ratio, & urgens me: Augustine, inquit, non es animal brutum; homo es: hominem autem non debet appetitus regere, sed decórum, non apprehensio, & phantasia, sed discursus: tu quem consiliarium audis? en! hæ cogitationes discerpunt cor: sed pacem Faustus feret. Oro te, Nebridi, Romanianum accede, ut, cùm primùm Faustus advenerit, monear. Ego interim hic solitarius obambulans mari, meas pugnas contemplor, donec Alipius ex navi redeat. Fac obsequium. *Nebr.* Utinam ad solatium tibi.

SCENA III.

Augustinus. Navigius.

Augustinus. Paulatim miteſcit mare: prô Superi! abibit hodie cum Potitiano Alipius meus, & sine me? fure pelagus! urgete venti! nova procella surgat, ut tempus lucrer!... nihil ago. Magìs ac magìs se fluctus ponunt. O ut sit hoc omen bonum, & sic animum Faustus componat meum! ... ecce! hinc aliqua se navis movet!.. propinquat!.. appellit littori!.. quis hospes adest? exscendit. Quasi ex nemore prodiens obvius veniam. *Nav.* Deo sint laudes, quòd salvus adsim. Hìc expectate, dum redeam. .... Fallor! an fortè hæc ipsa est navis, cui se committet filius prodigus, iturus in regionem longinquam? ô verè filius lacrymarum! sed, quis inde se movet? *Aug.* Quid me circumspicis bone juvenis? num est, quod velis? *Nav.* Nescio, cui loquar. Nisi tamen me vestis fallit, fortè video ex Doctoribus aliquem, qui Academiam Carthagine regunt. *Aug.* Non erráti. *Nav.* igitur aut es ipse, quem quæro,

ro, Augustinus, Domine, aut certè tibi ignotus Augustinus non est. *Aug.* Etiam rectè, nam familiariter novi hominem. Et quid cum illo est tibi? *Nav.* Fratres sumus, & habeo, quod à Matre nuntiem. *Aug.* Frater Augustini es tu? tu Navigius, Monicæ Filius? *Nav.* Is sum: & mirari te video? *Aug.* Miseret tui! & novi Monicam. Est fœmina notæ optimæ, dignáque ut illi filius solatio esset! *Nav.* Ah! ut esset! *Aug.* Gemis! & ego, quòd frater sis hominis obstinati in malo, condoleo tibi. *Nav.* Adorat Africa fratris ingenium: eruditionem, eloquentiam, doctrinam tota Carthago stupet: quid juvat? Mater desideraret plus virtutis, minùs scientiæ. Ajunt, in fide, & moribus infamem esse: hoc dedecus omne decus pessumdat. *Aug.* Idem queruntur amici omnes, sed utique maximè mater tua? *Nav.* Lacrymis innatat perpetuis misera, illud Rebeccæ millies repetens cum gemitu viscerum: *si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* *Aug.* Credo. Sed ætatem habet filius: si non vult sapere, ipse sibi est mali causa: quid affligit se mulier sine fructu? *Nav.* Mater est. Fieríne potest, ut non acerbissimè sentiat, genuisse se filium, æternis, ùt apparet, ignibus destinatum? *Aug.* Desperâstis, mutari posse? meliora spondeo. Novi hominem. Non est inter illos, qui, cùm jam sint morti proximi, adhuc negant, se ægros esse. Augustinus agnoscit, graviter se decumbere, periclitari, & grandi medico habere opus. *Nav.* à Fausto expectat opem, scio, & si apud illum non inveniat, Romam cogitat. Sed inanis fiducia est, imò medicina morbô nocivior. Mater aliam suadet, quam credit, certiùs saluti fore: litteras fero. Nunquid in navi reperiam? *Aug.* Paulò antè fuit. At ego gaudeo, hoc audiisse, quód spem de filio non abjecerit Monica. Oro te, dic, quid fortem adeò mulierem facit? *Nav.* Visio fecit, quæ nuper dormienti objecta est. Ita bonus est Deus, & afflictos ad se fugientes solatur.

Aug. Visio ? ô clementia Numinis ! recreas me bono nuntio. Quin narres, an obstat aliquid ? *Nav.* Augustini amico loquor, non dubito. Nomen num licet scire ? *Aug.* Affectum intelligis, & scies nomen postea. Nunc hoc sufficiat, salutem hominis æquè mihi curæ esse, ac est ipsímet. Hinc avidè audio, quid dicas. *Nav.* Dicam. Videbatur sibi Mater in eádem cum filio domo versari, eâdem mensâ uti, colloqui, convivere. Aversabatur hæreticum, blasphemias erroris detestans. Fugere conatur, increpat, abigit. Frustra. Nam, dum, quà se propripiat, circumspicit, videt, *stare se in quadam regula lignea* : ponè adsistere juvenem splendidum, ac hilarem, cùm ipsa mœreret. Ille causam tristitiæ exquirit : respondet Monica, Augustinum se plangere. Et juvenis arridens : vide, ait, *ubi tu stas, ibi & ipse.* Ad eam vocem ipsa se vertit, & vidit, fratrem meum in eadem secum regula stare. *Aug.* Somnium dubium. Nam quid ? si significet, etiam Monicam fore Manichæam, & sensuram cum filio ? *Nav.* Non ita fiet : nam ecce, cùm ego narranti visionem matri hoc ipsum objicerem, illa continuò, & læto aspectu, non, dicebat, fili, non, ùt tu interpretaris. Non enim dictum est mihi : *ubi filius, ibi & tu, sed, ubi tu, ibi & filius.* (g) *Aug.* Hem ! ampliùs me istud responsum fæminæ quàm visum movet. *Nav.* Crevit spes ex eventu novo. Ut citò fieret, quod viderat, Mater cupida, adiit Presbyterum, doctum virum, ac eruditum, quem credebat sufficere, ut se Augustino per disputationem opponeret. Rogatus noluit : disputando nihil effectum iri causatus contra hominem ætate juvenem, hæresis novitate indocilem, scientiæ opinione inflatum. Tolera, dicebat, & *sine illum. Tantùm roga pro eo Dominum : ipse legendo reperiet, quis suus sit error & quanta impietas.* (h) *Aug.* Profectò prudens responsum fuit. *Nav.* Addidit bonus vir, se parvu-

(g) *L. 3. Conf. c. 11.* (h) *L. 3. Conf. c. 12.*

parvulum eadem hæresi Manichæorum corruptum esse: postea ipsa lectione, nemine contra se disputante, vidisse errorem, horruisse, fugisse. *Aug.* Prorsus belle. *Nav.* Verùm instabat ulteriùs mater, urgens, deprecans, flens ubertim, ac obsecrans, ut disputaret. Tum ille substomachans tædio, & imperiosiùs: *vade*, inquit, *fieri non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat.* (i) Ad hanc vocem, velut si de cælo sonuisset, absterſus est mæror, redundavit animus dulci solatio, neque dubitat de veritate oraculi: unum angitur, ne diu differatur eventus. *Aug.* Amice, me ipsum, dum ista narras, sentio læta spe de Augustino impleri. Quo medio cupit Monica, ut juves miserum! *Nav.* Nuptias suadet. *Aug.* Nuptias suadet! quale hoc Consilium contra hæresin? *Nav.* Sperant amici, nuptias remedium contra concupiscentiam fore, atque Augustinum Catholicis se adjuncturum sine mora, ùt primùm cœperit castè vivere, & intra matrimonii limites continens. *Aug.* Callidè quidem: nempe quia creditis hominem, non tam intellectu, quàm voluntate errare? *Nav.* Sic omnino constitutum esse fratrem non dubito. Nam quòd Vir tam perspicax adoret ineptias, quas Manichæi garriunt, fidémque seriam tantis stultitiis habeat, nemo adducet, ut credam. *Aug.* Tecum sentio. Hoc verò ut persuadeas, ne opponat se nuptiarum consilio, difficilis labor est. Nimis alligatum Melaniæ scio. *Nav.* Modò jam istud obtineam, ne Romam abeat. De Melania constituit modum mater, quo eripietur ignaro. *Aug.* Profectò diligenter omnia cogitâstis. Et quem tu loqueris modum? *Nav.* Aliàs narrabo; nunc citò perquirendus est Frater, ne fiat profectio, antequam colloquar. Ubi inveniam, doce, obsecro. *Aug.* Proximè ad portam urbis de Romaniano inquire: Vir est prædives, & Augustini Mœcenas. Ibi, nisi inveneris fratrem, saltem intelliges, quid agatur.

(i) Ibidem.

Nav. Amicè agis. O si quid potes, domine, porro te Matris consiliis junge. Rem magnam facimus, nisi malè augurantur, qui nôrunt virum, si Augustinum Ecclesiæ Christi lucramur, & Deo.

SCENA IV.

Augustinus solus.

Augustinus. Operam dabo, ne te pæniteat esse locutum mihi. ..... Jam Faustus, amor, Roma, Monica, simul omnes impetum faciunt in istud pectus. Navigi, Frater, quot turbas cies? Monica nuptias suadet? Melania eripietur ignaro? Faustus nihil proderit mihi, & Roma nihil? undique tædia. Hoc habeo, postquam post concupiscentias abii. Uxorem ducam? quid deinde? num ideò sanus ero? .... amores deseram? Amo, amor, dedi fidem. .... Faustus pacem animo feret? spes exigua. .... Romæ inveniam, quid sit veritas? sit ita: forsitan reperta veritas cruciabit ferociùs, quàm blandus error. .... ô calamitas mea! divisus sum. Hinc amor Sapientiæ ingens, & fortis trahit: inde retrahit amor carnis ardens, ac pertinax: neque erit pax, intelligo satis, non erit pax, donec succubuerit alteruter, & totum occupet victor unus. Quando autem hoc erit, aut num aliquando demum? Mater sperat. Vidit in eadem secum me regula stare: igitur Catholicis jungar? fortasse. An verò cum fide mutabo mores? difficulter. Nihil ergò proderit ire Romam? omnia in dubio sunt. ô fastidium! & interitum eo, si pergo viam tam dubiam ire! .... Quid timeo tamen? fieri non potest, ut filius tantarum lacrymarum pereat, quantas Monica fundit pro me. Adoro patientiam boni Numinis! utinam non fatigem! prô! quanti tumultus in hoc certamine amoris gemini! aut voluptas est deserenda, aut veritas. Quid facio?

SCE-

SCENA V.

Augustinus. Alipius.

Alipius. Ecce! solitarium hìc reperio. Amice, quid agis? quousque te ista deliberatio torquet? *Aug.* Alipi, nuptias cogito: sic suadet Mater. *Al.* Illudis? *Aug.* Qui nuntium tulit Frater, nunc primùm in urbem abiit. *Al.* Res nova! & placuit muliebre consilium? *Aug.* Non à quo sit, attendo, sed quale. *Al.* Heu me! ergò jam certum est tibi, non abire ex Africa? *Aug.* Hoc certum est, consilium matris non displicet mihi: heu! nimis grande proposui negotium: perpetuò cælibem vitam, & castam agere, Alipi, non est cujuslibet. *Al.* Vah! etiam me, ùt existimo, à suscepto cælibis vitæ consilio absterrebis? Vale! addixi me Potitiano, Romam ibo, & in cultu castitatis vitam cælibem Sapientiæ studio, ac virtuti dicabo. *Aug.* Bene facis. Ipse obsecro, ut citò discedas à me. *Al.* Quid! etiam me abigis? Ita te loqui amico decet? vix gustare cœpi tuæ amicitiæ fructum, & spem inveniendæ per te sapientiæ capere, cùm te separas? quid jam offendi, ut iratus sis mihi? fortè quòd firmum decretum sit mihi eundi Romam, vel si tu nolis, hoc inimicum facit? *Aug.* Fui. Nunc amo verè: ideò, ut abeas, etiam rogo. Deceptus, decepi te, & prô dolor! in idem errorum barathrum mecum traxi. En! vela Potitianus explicat: perge Romam, quære, ut invenias virum, qui ex fovea trahat. *Al.* Trahat, qui trahet te: quæramus simul, quando utrique par est desiderium quærendi verum. *Aug.* O veritas! veritas! *quàm ardenter medullæ animi mei suspirabant te!* quæsivi, & non inveni, quia nempe tu, Deus, *lege infatigabili spargis pœnales cæcitates super illicitas cupiditates!* (k) Sapere me credidi miser, & stultus factus sum. *Al.* Me istæ querelæ nihil juvant.

(k) *L. 1. Confess. c. 17.*

juvant. Dic apertè, si Faustus non satisfecerit tuis dubiis, ibis Romam? *Aug.* Nescio. *Al.* Sapientiæ Studio te studiosiùs dabis? *Aug.* Nescio. *Al.* Quid igitur fiet? *Aug.* Nescio. *Al.* Si nescis, quid statuas, conferamus consilia saltem, ut tandem decretum fiat. *Aug.* Relinque me mihi. Ego jam neque dando consilio, neque accipiendo idoneus sum. Vitæ huc usque actæ imago fœda se oculis objicit: inde tædium, & amarus horror, mœror, nausea. Vah! annum vitæ trigesimum ago, ô cæli! qualis vitæ! Alipi, cessa amare me. Vereor, ne amor, qui te similem mihi non invenit, similem faciat, & eris monstrum, quo nullum tetrius tulit Africa. *Al.* Quæ intemperiæ! *Aug.* Non fugis? *Al.* Neque me capio, neque te, minimè, quid isti sermones velint, aut unde sint. *Aug.* Fuge, inquam, fuge à me! *Al.* Imò tu proficiscere mecum, si me, & te amas. *Aug.* Non, ajo, sed tu fuge. *Al.* Quæso, quæ turbæ te agunt? *Aug.* Ah! qui sim, ignoras. ô bone! ... bene habet. Solus soli annales vitæ ex memoria legam, ut incipias nôsse, & cesses amare. *Alip.* Hoc me consilio fugas. Nam cui bono audiam mala tua? *Aug.* Imò, si amas, manes, ne redeas postea, & rursum ames. Nocui tibi, dum Manichæum feci: prodesse volo, nec possum certiùs, quàm si persuasero, ut me oderis. *Al.* Non intelligo te. Sed mihi turbatus videris. Omen est bonum. Vim amicam patior. *Aug.* Huc aflide. *Al.* Sæpe tristibus solatium est, audiri. Audio, hac lege tamen, ut tu postea audias me. *Aug.* Nescio. *Al.* Etiam ego, quid velis, nescio: tamen loquere. *Aug.* Unde exordiar? .. *Ubi, oro te, Deus meus, ubi Domine, ego servus tuus, ubi, aut quando innocens fui?* (1) in peccatis concepit me Mater mea, & quantum sit in me peccati imperium, jam infans prodidi. Sæpe jam tum, quod nocebat, petebam cum multo fletu, & indignabar negantibus, feriebam, cupie-

(1) *L. 1, Conf. c. 7.*

cupiebam nocere, nec rarò, etsi nondum loqui possem, jam tumens invidiâ intuebar pallidus collactaneos meos amaro aspectu. Tolerabantur hæc à nutricibus, blandè quidem, sed stolidè, *non quia nulla mala, vel parva, sed quia ætatis accessu peritura videbantur.* (m) *Al.* Vitium commune narras infantibus ex Adamo progenitis. *Aug.* Per stolidam indulgentiam, ùt dixi, crevit mecum, & ex infantia in pueritiam transiit. Videbam tunc homines adorare Deum: hinc intellexi, Domine, ùt potui, *te esse Magnum aliquem, qui posses etiam non apparens sensibus nostris exaudire nos, & subvenire nobis.* (n) Igitur, Alipi, orabam etiam ego Deum, sed quid credis, orâsse me? ah! Deus magne! *rogabam te parvus, non parvo affectu, ne in Schola vapularem*, quia, quod erat bonum mihi, unum malum putabam. Cæterùm ludere, & ludendo vincere, unum gaudium fuit: bonas litteras discere tædium, obedire præpositis tormentum. *Al.* Quid facias? sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. *Aug.* Hinc collige, ùt crescat malum, si alat Pater, ùt aluit meus. *Christum non noverat* (o) miser: ideò, quod est Ethnicis proprium, nihil erat anxius, quibus moribus viverem, modò in litteris proficerem. Itaque ego, Alipi, præcepta Grammaticæ violare turpius esse credidi, quàm violare Decalogum, & solœcismum horrebam plus, quàm quodvis flagitium. Superi! *quantillus puer, & quantus peccator!* (p) *Al.* Infelix eras patris culpâ magis, quàm tuâ. *Aug.* Atqui ego me felicem putabam, quòd facultas esset vivendi licentiùs. Ita ingressus adolescentiam adhibebar Poësi. Legebam obscœnas fabulas: nam hinc, ajebant inepti doctores mei, *hinc verba discuntur, hinc aquiritur eloquentia.* (q) Cathedra pestilentiæ prostabat in foro, & turpitudinem docentibus, supra mercedem,

(m) *Ibidem.* (n) *L. 1, c. 9.* (o) *L. 1. c. 18. & 19c* (p) *L. 1, c. 12.* (q) *L. 1. c. 16.*

dem, etiam ex ærario reipublicæ decernebantur salaria. In elegantibus libris, quasi in vasis pretiosis, vinum meretricium propinabant ebrij didascali, & *nisi biberemus, cædebamur, nec licebat appellare ad aliquem judicem sobrium.* Ego verò, ut videas nequitiam pueri, talia libenter didici, eísque delectabar miser, & *ob hoc bonæ spei puer appellabar.* *Al.* Miseret me. Video fontes geminos, ex quibus toxicum in te fluxit. Ex libris bibebas scelus, ùt lac, & torrens hominum, *plus scientiam, quàm conscientiam amantium* (r) devolvisset vel reluctantem in mare mortuum. Satís est: ex his principiis intelligo consequentias. *Aug.* Adhuc audi. Sileo innumera mendacia, fraudes, furta, iras, rixas, gulam, & reliqua vitia, quibus puerilem innocentiam corrupi: *ad decimum sextum ætatis annum* (s) venio. O annum infelicem! tunc, ô Numen meum, computrui coram oculis tuis, placens mihi, & placere cupiens oculis hominum, æstúque concupiscentiæ abreptus totum me in hoc studium effudi, ut amarem, & amarer. *Al.* Cessa, cessa tandem. Mala te educatio malum fecit: malè sit illis, qui post bonam mali fiunt! *Aug.* Annum illum miserum otiosus agebam domi, quia pater præparabat sumptus, quibus postea in Academia me aleret. Tunc, amice, *excesserunt caput meum vepres libidinum, & nulla erat eradicans manus, imò gaudebat Pater ex inquieta adolescentia, quasi jam in nepotes gestiret.* (t) *Al.* Vah! parentem non parentem, sed peremptorem! *Aug.* Sic erat. Postea Thagastâ translatus Carthaginem in Manichæos incidi. Displicuit doctrina Catholica, quia *sanctior* erat, quàm ut possem amare, & *altior,* quàm ut possem capere. Placuit Manetis, quia favebat moribus meis, & doctores ejus semper veritatem, veritatem, & merissimas evidentias plenis buccis spondebant. Ergò à decimo nono anno vitæ meæ cum his comitibus iter agebam platearum Babyloniæ, &

(r) *L. 1. c. 19.* (s) *L. 2. c. 1. & 2.* (t) *L. 3, c. 6.*

& volutabar in cœno ejus tanquam in cinamómis, & unguentis pretiosis. *Al.* Poteras tanto tempore sine animi cruciatibus scelus amare? *Aug.* Scis, inter alias blasphemias docere Manetem: *non esse nos, qui peccamus, sed pravam in nobis peccare naturam.* In quanta mala unum hoc malum axioma præcipitaverit, flere magis lubet, quàm dicere. Reprehendebas me sæpe, Deus mi, & audivi vocem graviter objurgantis hìc intus: Augustine quid facis? Ego impudens declinavi cor meum ad excusandas excusationes in peccatis: accusavi naturam, dixi: *Domine natura, quam dedisti mihi!* ... & accusando naturam, putabam insanus defendi me! *Al.* Obtundis aures. Cessa, obsecro! erratum est utique, video, hoc te videre. *Aug.* Video, & horreo. Nam quis ad talis vitæ Historiam non horreat? nunc à cognitione veniendum est ad correctionem: Alipi, quid possum sperare? narravi me tibi: quid putas? *Al.* Magni motus te agitant: spero bene. Non diu displicebit Deo, qui verè displicet sibi. *Aug.* Monicæ, Alipi, hos animi salutares tumultus debeo. Maternas lacrymas trahit ad se cælum, & mutatas in frugiferum rorem arido cordi depluit ad refrigerium. Sic mihi Frater narrat, & ne de me desperem, hæc matris pietas facit: quidnî igitur Consilium de nuptiis audiam? *Al.* Nuptiæ forsitan uni malo medelam ferent: sed alteri, quo laborat intellectus, nisi hodie Faustus medetur, quis medebitur postea, si in Africa uxori adhæreas? Romam, Romam nos vocat veritas! ibi sapientiam sponsam habebo, & perpetuò cælebs vitam beatam vivam. *Aug.* Hoc tu potes: ego non possum! ah! quis mihi filum in hoc labyrintho?

SCENA VI.

Alipius. Potitianus. Navigius.

Alipius. Quò te abripis? relinquo sibi: Superi Consilium dabunt. Mihi miseratio viscera commovet! quàm felix

fui, cui melior educatio obtigit! adde bonum alterum Deus, ut vera fides se mihi offerat; & possideo omne bonum, quod hominem in hac vita felicem facit. *Nav.* Et quid hoc erit? Domine, non est tibi visus Augustinus in loco hoc? *Al.* Quis es? quid vis? *Nav.* Jo! nunc felix sum. Potitiane, amice optime, salve millies! *Pot.* Navigi salve! hospes inexpectatus ades. *Nav.* Ad te, & fratrem legatus à matre. *Al.* Hic frater Augustini est? *Nav.* Frater à Fratre despectus immeritò, & illusus. *Pot.* Quid enim quereris? *Nav.* Vides naviculam, quæ paulò antè Thagastâ huc me advexit: ùt exscendi, in virum incido doctoris habitu: de Augustino requiro: amicum se fingit: narro multa: denique ad Romanianum me mittit. Eo; Romanianus, postquam ei descripsi hominem, ait, jam esse locutum fratri, & jubet redire ad portum. *Al.* Non eum noveras? *Nav.* Trimulus fui, cùm ille Thagastâ discessit: ab eo tempore nunquam vidi. Sed tu judica, Potitiane, quæ sit ista humanitas, dissimulare se fratri, fratrem profitenti, & litteras, quas à matre habeo, ne quidem acceptare! *Al.* Habet graves causas, cur sic: & tuum hac die malè auspicatum est iter. *Nav.* Nempe iste ex Manichæis est, Potitiane, qui metuit, ne Mater Augustinum eripiat! *Pot.* Amicus Alipius est, intimè familiaris: nihil metue. Ad me, quæ habeas mandata, loquere. *Nav.* Hoc rogat te Mater per nomen Catholicum, quod colis, ne filium ex Africa avehas. *Al.* Sic est: & nempe ne consilium nuptiarum impedias. *Pot.* Nuptiæ agitantur? *Nav.* Video istum jam hæc omnia tractâsse cum Fratre. Ah! Alipi, cur opponere te vis salubri desiderio matris? *Al.* Quia amicus sum. Nonne à Manichæis ut se abstrahat filius, hoc mater cupit? *Nav.* Unicè optat. *Al.* Atqui non potest huic voto pestilentius esse consilium, quàm istud de nuptiis. *Pot.* Eadem est mea sententia: & credidi, me gratiam matri facere, si Augustinum eâdem operâ

& à conversatione cum Manichæis, & ab ineptiis amorum abducerem. *Nav.* Enimverò amicos audio, quibus si est sensus diversus à matre, acquiescet haud dubiè pia fæmina, quæ unam filii salutem sitit. Sed quos tamen sensus Frater de nuptiis prodidit? *Al.* Ambiguos inter illas, & iter: cæterùm mihi credite: quamdiu tenetur à Melania, neutrum fiet. *Pot.* Mihi occurrit consilium. Fœmina, sicut Augustinus, etiam ipsa est dubia de sua fide. Suadeat ipsi aliquis, ut ipsa Augustinum ad iter urgeat, ex quo redux docturus sit veritatem, quam Romæ didicerit. *Al.* Consilium placet, præcipuè si Faustus disputanti succumbet. Ego exequor.

SCENA VII.

Potitianus. Alipius. Navigius. Nebridius.

Nebridius. Jo! Faustus advenit. Date Augustinum amici! *Al.* Inter arbores se condidit, ut tædio, & angoribus suis vacet liberiùs. *Nebr.* Erit finis. Tu, quæso, Potitiane, ne solvas navem, donec disputatio finiatur. Successus determinabit consilia. *Pot.* Beatum me facitis, si itis mecum. *Nav.* Idem Frater optat. *Nebr.* Augustini? *Pot.* Ab anxia matre sollicitus nuntius. *Nebr.* ô salve! Frater igitur etiam meus es, nam & ego Augustinus sum. Requiro virum. *Nav.* Læta dies, quæ tot amicos jungit. *Al.* Nebridius est, qui abijt, & ipse Sapientiæ devotus imprimis: Sed ego jam negotium conficio cum Melania, ut post Faustum victum sublatus sit omnis obex. *Pot* Mihi prurit animus hoc idolum videre, & audire, quæ spuat oracula. *Nav.* Ego hìc Fratrem expecto, ut comes eam. *Al.* Imò commodiùs post victoriam sistes te, & litteras dabis.

Pot. Quibus ego pondus addam. Nunc veni mecum.

Nav. Pot. Al. Consilia fortunet Deus.

CHORUS.

Converſionis ſeriæ principium fit *à cognitione ſui*, quam efficit Gratia, Fides, & Examen.

Anthropus, ſive *homo peccator*. Gratia in *perſona Tabellarii*. Fides in *perſona Janitoris*.

Gratia. NUbila, lurida, ſquallida, tetrica,
Terribilis nox ! . . (a)
Heu ! tantis involuta tenebris
Domus infeliciſſima ! . . . .
Eſt tamen, eſt ipſiſſima,
Cujus pulſare januam jubetur Gratia
Imperii Divini nuntia....
Vah ! Oſtiarius dormit in atrio!
Surge, ſurge, qui dormis !
Fero litteras ad Patremfamilias.

Fides. Importune ! nemo eſt domi :
Quid fruſtra me excitas?

Gratia. Fallor ! an vocem fratris audio?

Fides. Fallor ! an Gratia loquitur in hoc tabellario?

Gratia. Salve Fides!

Fides. Salve Gratia ! Fidem adjuva.
Languore & otio pæne emarcui :
Adeò his in ædibus evilui.
In atrio utcunque me ſuſtinent:
Si moveo me, omnino ejicient.

Aria.

(a) Exhibetur domus tenebris involuta, & in ejus atrio dormiens Fides, quam excitat Gratia.

Aria.

Olim erant tempora, (b)
Fides cùm consilia
Omnia regebat:
Nemo, nisi Duce me,
Nisi imperante me,
Nemo se movebat, *Olim!*

2.

Nunc *(O mores!)* cerebrum, (c)
Status, sanguis, commodum,
Lucrum audiuntur!
Fidei Dictamina
Sunt puerorum regula:
Vana sunt: spernuntur. *O mores!*

Gratia. Movet me tua afflictio.
Sed feret remedium, quod spero;
Hæc Epistola, quam ad Anthropum fero.

Fides. Dixi: abiit homo extra se, cum tota familia:
Nullum est pratum, quod non pertranſit Luxuria, Sap. 2.
Nemo est domi.
In ipsa domo, præter externam hanc speciem,
Non est relictus lapis super lapidem.
Inimici domestici everterunt omnia:
In Ferarum domicilium area transiit,
Anthropo, quia rarissimè introspicit se,
Vel dissimulante, vel penitus ignorante.

Gratia. Inclamabo hominem, & revocabo.
Tu à me *Lumen* accipe, ut, cùm redierit in se, (d)
Videat, paveat, horreat se.

Fides,

(b) *Justus meus ex fide vivit.* Hebr. 10. (c) *Filius hominis veniens putas, inveniet fidem in terra?* Luc. 18. (d) *Lumen ad revelationem.* Luc. 2.

Fides. Divinum est Consilium. *Sui cognitio*
Conversionis Principium erit Anthropo.
Introëo: Lumen infero.
Gratia. *At Sapientia foris prædicat*, Prov. 1.
In plateis dat vocem suam.
Anthrope! *Ubi es? ubi es?* *Adam ubi es?* Gen. 3.
Anthrop. Vocantem audio. Quis me?
Gratia. Anthrope! Anthrope!
Anthrop. Adsum! quid postulas me?
Gratia. Superi! an monstrum video *Africanum?* apage!
Ego hominem quæro, tu homo non es!..
Anthrope! *Ubi es?*
Anthrop. Aut cæcus, aut nebulo es!
Quis enim sum, si homo non sum?
Gratia. Bellua es, homo non es.

Aria.

Est facies plena horrore!
Quis videat sine terrore?... (e)
In capite *Taurus* succrescit,
In oculis Draco livescit,
Suillum in rictum se porrigit os:
In ore sunt dentes Canini,
Pro digitis ungues Lupini:
Ad *fœnum te* pronus inclinas, (f)
Hoc pabulo ventrem saginas:
Nec aliud cogitas cælum, quàm bos!
Bellua es!
Homo non es!

Anthrop. Inferi! hanc ego fero impudentiam?

Gra-

(e) *Ex hominibus abjectus est, & fœnum, ut bos, comedit.* Dan. 4. (f) *Omnis Caro fœnum*, Isa. 40.

Gratia. Laudo patientiam, & muneror etiam. (g)
Mentitus nihil sum. Ecce speculum! inspice!
Sed oculos Christianos, non Ethnicos adhibe.
Anthrop. Heu me! qualem me video?
Gratia. Ah homo non es! fuisti!
Sed, *cùm in honore esses, non intellexisti!*
Comparatus es jumentis insipientibus,
Et similis factus es illis. Psalm. 48
Anthrop. Tu verò quis es?
Gratia. Ex hac Epistola intelliges. *Tolle, lege!*
Anthrop. Ceram Domini video.. totis artubus trepido..
Et nuntius disparuit!.. suspicor! Janitor!....(h)
Huc Lumen admove.
Fides. Accensum est: ingredere!
Anthrop. Heu me! heu me! nova confusio!
Hæc domus est mea? hæc habitatio?
Fides. Talem fecit incuria, & dissimulatio.
Anthrop. Bene, bene domus hæc convenit belluæ, (i)
Qualem exhibent istæ tabulæ.
Anthrope, circumspice: *ubi es? ubi, & quis?*

Aria.

O mea lumina,
Ite in flumina!
Et amarissima
Fundite maria!
Mergite me!

(g) Pro speculo offert tabulas Decalogi. (h) Exhibetur domus conversa in silvam incultam, cujus consideratio fit per examen conscientiæ. (i) Inspicit speculum, hoc est, se, & silvam, hoc est, malos habitus suos, de quibus proverbium: *itur in antiquam silvam.*

Nunquam erit lachrymâ
Dignior materia:
Anthrope, fle!

2.

Hæc mea dignitas,
Hæc est nobilitas:
Omnes, omnes aliæ
Simplices sunt belluæ:
Nulla est composita,
Præter me!
Monstrum es! Anthrope, fle!

O speculum non fallax! O lumen terribile!..
Nescio tamen quid terribilius
Minantur istæ litteræ.
Amice, prælege:
Audiam, quid exprobret Dominus.
Domine, argue! argue!

Fides. O pretiosæ lachrymæ!.. ut fluant uberiùs,
Audi, *Hoc dicit Dominus:*
Quid invenisti in me iniquitatis, ut elongares à me, Jer. 2.
Et ambulares post vanitatem?

Anthrop. Peccavi!

Fides. *A sæculo confregisti jugum meum,* Ibid.
Rupisti vincula mea, & dixisti: non serviam!

Anthrop. Peccavi nimis!

Fides. *Tetendisti adversùs Dèum manum tuam,* Job. 19.
Et contra Omnipotentem roboratus es!

Anthrop. Mea culpa!

Fides. *Cucurristi adversùs me erectô collô,*
Et pingui cervice armatus es!

An-

Anthrop. Mea culpa!
Fides. *Oblitus es mei, & projecisti me post corpus tuum!* Ez. 23.
Anthrop. Mea maxima culpa!
Fides. *Scito, & vide, quia malum, & amarum est,* Jer. 2.
Relinquere Dominum Deum tuum!
Anthrop. Ah malum, & amarum!
Fides. *Orientur in domo tua spinæ, & urticæ:* Isa. 34
Et erit cubile Draconum,
Et pascua Struthionum,
Et occurrent dæmonia.
Anthrop. Video, paveo, horreo,
Fides. *Dixisti: dives sum, & locupletatus,* Apoc. 3
Et nullius egeo: & nescis, quia tu es miser,
Et miserabilis, & pauper,
Et cæcus, & nudus!
Anthrop. Nescivi, erravi,
Quia me non inspexi, non examinavi.
Fides. *Usque quò gravi corde, diligis vanitatem,*
Et quæris mendacium? Psalm. 4.
Convertere ad Dominum Deum tuum!
Anthrop. Miserere Miserator Domine!
Fides. *Conturbata sunt ossa mea,*
Et anima mea turbata est valde! .....* Psalm. 6.
Fides. Felix turbatio! bona sunt initia:
Videt, & horret Anthropus sua flagitia.
Tanti est, se in se colligere,
Se seriò inspicere.
Qui *extra se* semper peregrinantur,
Nunquam sanctificantur.

* Clauditur.

Aria.

Quid juvat per astra vagari?
Quid maris profunda scrutari?
Quid terras peragrare,
Et curioso oculo,
Quæ rerum sit conditio,
Ubique perlustrare,
Et *se negligere?*

2.

Tu tibi sis maxima cura,
Non cistæ, non cellæ, non rura:
Scis, quid in his agatur: ...
Ne minùs cures, obsecro,
Ut scias, quid in animo
Peccatum moliatur:
Te, te ingredere.

PUNCTUM II.

Disputationis Effectus.

SCENA I.

Augustinus. Nebridius. Potitianus. Romanianus.

Augustinus. Cessa, frater: nondum plenum matri gaudium feres. *Nav.* Axioma, quod te perdidit, damnas, & amicorum admittis consilia: bonum initium facis. *Aug.* Detestari falsum, bonum initium est, fateor: sed nisi inveniam verum, solatium leve. Et heu! propè periit Spes omnis mea, quando & in Fausto deceptus sum. *Nebr.* Spes in Africa periit, in Europa quæramus. *Pot.* Ut ego libenter huic disputationi adfui!

Augu-

Augustine, quàm diversam à Catholicis Doctrinam Manes habet! quanta audivi absurda! nihil simile Roma docet. Eja! rectà ad mare! *Rom.* Ego hucusque contrarius, jam & ipse te urgeo: proficiscere, & meliorem tibi Doctorem quære. *Aug.* Romaniane, ego tibi magnus debitor sum: gaudeo, quòd per me videas falsum, quod ego video: opto, ut sit, qui utrumque doceat meliùs. *Rom.* Si invenias, trahes me, ut te sequar. Sic enim existimo: in illa Secta, quam neque illius principes contra impugnantes tueri possunt, non est prudentis, velle vivere, minùs, velle mori. *Nebr.* Rectè judicas, & qui aliter agunt, nimirum quærunt sibi fidem conformem suis moribus, quantumvis resistat ratio, & postulet, ut, si sancta est fides, qualis utique esse debet, si est à Deo, curemus mores esse conformes fidei. *Aug.* Displicet nunc equidem Manichæorum hæresis, cùm video, me à dubiis extricari à nullo posse: non tamen ideò Fides Catholica ex integro placet. Docetis multa, Potitiane, quæ æquè parum mihi videntur digna fide, quàm quæ in nostris carpitis. Unum ex multis profero: dicitis, Deum esse corporeum, potéstne aliquid absurdius dici? *Pot.* Hem! quis hanc nobis affingit calumniam? *Aug.* Vos utique, qui dicitis, hominem factum esse ad similitudinem Dei: sequitur, planè Deum habere corpus, ùt homo habet. *Pot.* Homo secundùm animam, Augustine, imago Dei à nobis dicitur, non quoad corpus. Sed ego indignor loqui. Est hoc consuetum hæreticorum stratagema, quòd, cùm fidem nostram videant inexpugnabilem esse solidis argumentis, mendaciis contemptibilem faciant. Romam, Romam, Augustine, pergamus: intelliges plura, quæ te Doctiores viri docebunt. *Aug.* Sit igitur, navim paratam habe: Ego valedico Melaniæ. Seduxi miseram, & mecum in hæresin traxi: dedocenda est, ne ex iisdem principiis porro vivat, & ego perditionis reus sim. *Pot.* Abire non

sinet. *Aug.* Relinque hoc mihi; persuadebo, ut sinat. Juvat, ut sciat, se mecum deceptam à Fausto esse. Atque, ut videas, rem sine dolo me agere, ultimæ allocutionis testem fratrem, & Nebridium volo. Vos non sinetis, ut vincar. *Nebr. Nav.* Quantum possumus. *Pot.* Breves este. *Nebr.* Curabo. *Pot.* Tu verò dic jam, quo es animo post Faustum auditum, Romaniane?

SCENA II.

Potitianus. Romanianus.

Romanianus. Hoc ego nunquam putâssem. Nam, quæ est hæc audacia impudens, sic palam mentiri, & Faustum istum describere omni doctrinâ cultissimum! Credebam Apollinem me auditurum ex tripode, aut hominem certè Salomoni non disparem: tanta expectatio fuit. *Pot.* Video te tædiô turbidum. *Rom.* Nempe Potitiane, si iste Faustus Sectæ nostræ fundamentum est, video totam in arena fundari. Prô, ut miserum Augustinus exagitavit! *Pot.* Miserum vocas? Non tibi facundia, non morum urbanitas, non dulcedo verborum placuit? Meministin', ùt amicè salutatum Augustinum allocutus sit gravibus verbis, & grandem ægrotum vocaverit, cui proin opus esset etiam medico grandi? *Rom.* Ipse helleboro indiget. *Pot.* Deinde quàm dulce exordium fuit! *Rom.* Turbatus es, Auguste, ajebat, sed Dominus JEsus, ô nomen suave! Confide! Dominus JEsus per me dissipabit nubes, quibus tegitur cœlum tibi. Mihi ista verba jam lacrymas proliciebant, solatii testes, ac bonæ Spei. *Pot.* Amice, omnium, quos vidi, hæreticorum hæc lingua est. Semper Dominus JEsus in ore est, sed sono tenùs est, & strepitu linguæ. (a) *Viscum conficiunt ex commixtione syllabarum dulcissimi nominis, homines superbè delirantes, carnales,*

(a) *L. 3. Conf. c. 6.*

les, loquaces, in quorum ore laquei diaboli. Rom. Væ! væ! quibus gradibus deductus sum in profunda inferni! & quando me Faustus sefellit, cui jam credam? (b) *Pot.* Blanda verba, *vultus congruus, decorum eloquium, & quodam lepôre naturali jucundum*, etiam me delectabat initiô; sed quia attendebam ad cibos, quos apponebat, & non ad vasa, in quibus ministrabat, adverti, animam non satiari. Hinc curiositati successit fastidium, maximè cùm urgente Augustino vidimus omnes, hominem, exceptâ Grammaticâ, omnium artium Liberalium imperitum esse, & præter aliquas Ciceronis Orationes, ac pauculos Senecæ libros, propè nihil legisse. *Rom.* Docti viri famam garrulitas peperit: nunc patet. Sed ego, quid jam? *Pot.* Exemplum Augustini ante oculos habes: ducem inquirit, cui tutiùs, quàm Fausto, se credat, & inveniet apud nos. Solis Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus dictum est: (c) *Qui vos audit, me audit. Rom.* Nisi etiam ista jactantia est. Nam hoc est, quod nostri maximè in Catholicis improbant: asseritis summa mysteria, vultis illa simpliciter credi, & non probatis: difficile postulatum est. *Pot.* Imò facillimum intelligenti. Non est imprudens fides, qua credo, quæ capi non possunt: reddere possum rationem prudentem, interroganti, cur credam. *Rom.* Quam verò? *Pot.* Credo, quia, quod credo, Deus locutus est, qui est Veritas. *Rom.* Profectò prudens ratio, si certus sis, quòd locutus sit Deus. *Pot.* Testem habeo, qui nec falli, nec fallere potest. *Rom.* Nomina mihi. *Pot.* Ecclesia Christi est testis. *Rom.* Admitto, si tot inter Ecclesias ostenderis, quæ sit Christi. *Pot.* Prudenter dubitare non possum, quin sit Romana: neque enim est alia, quæ habeat signa certiora, ex quibus prudenter æstimem, quòd præferenda sit huic. Aut age, da mihi aliquam, quæ sit aut antiquior tempore, aut doctrinæ unitate constantior, aut pro-

(c) *Luc. 10.*

propagatione illustrior, aut denique sanctitatis laude Christo Auctori suo glorioſior, quàm sit Romana: & ego deserta hac, hodie ad illam transibo. Interim hoc conficio, aut nullam esse in terris Ecclesiam Christi; aut Romanam esse. *Rom.* Non ineptè concludis, sed ego, quid facturus sit Augustinus, expecto. En Alipius.

SCENA III.

Alipius. Potitianus. Romanianus.

Alipius. Potitiane, quousque trahimus moram? expande vela, navigemus. Video, vana spe fuisse illusum nobis. *Pot.* Novum narras malum. *Rom.* Quasi diceres, Augustinum non abiturum vobiscum. *Al.* Est, quod dicebam. Sperabat animo satisfieri per Faustum posse: prætextus fuit. Succubuit Faustus: jam patet causa, quæ hominem in Africa tenet. Heu! vicit amorem Sapientiæ amor mulierculæ. *Pot.* Prô! dedecus! *Rom.* Hem! adhuc triumphat Manes: *Prava virum natura cogit!* *Al.* Blasphemiam cessa! non est natura, quæ cogit, sed pessima consuetudo vim infert volenti, & pugnam pertæso, in qua vim vî posset repellere. *Pot.* Credebam, effecturum te apud puellam, ut sineret non invita discedere. *Al.* Jam effeceram, cùm ecce! victor Fausti ingreditur, &, ùt vidit Melaniam flere, (nam ita mihi Deus inflammaverat animum, & linguam direxerat, ut atrociſſimis coloribus vitæ turpitudinem, animæ periculum, Deum iratum depinxerim, ac præcipuè sceleris gravitatem, si Augustinum meliora cogitantem ab itinere Romano averterit, adeò ad terrorem exaggeraverim, ut tremebunda, ac lacrymans nihil se contra moturam promiserit) miseretur, intelligit causam, & mox aliam contra me disputationem orditur, & thesin propugnat, quam piæ aures horreant: *Negat, vivi castè ab eo posse, qui velit beatus vivere.* (d) *Pot.* A Logica

gica Augustini libera me Domine ! quod est hoc novum axioma animale, nefandum, diabolicum ! Superi desperate ! nunquam vester Augustinus erit, si hanc sententiam tenet. *Rom.* Contrarium utique propugnaveris tu ? *Al.* Humana, ac divina testimonia attuli, ratione pugnavi, meam ipsius experientiam allegavi, deridet omnia : negat beatum me esse, & castum tamen. Quin suis me paralogismis ita implicuit, ut propè amem sordes, quas abominor : demum fugere malui, quàm ultrà contendere cum tanto periculo. Nebridius, & Navigius adhuc cum ipso declamant. Ego amicum abdico : tædet morarum tandem : solus propero ad aram veritatis, quam Romæ quæro, ne fatigem patientiam Numinis, & pœnas cum ipso luam. *Pot.* Me miseret tanti viri : divinum ingenium immersum lacunæ non emerget ad ardua, non se eriget ad divina. *Al.* Utique. Et sepulta in cœno margarita non splendet. Postquam errores Manetis agnovit, jam, ut sit Maximus, præter cultum castitatis, desideres nihil. *Rom.* Natura sanè dona in hominem plurima, & maxima contulit, id quod me ad benefaciendum permovit. Amœna est indoles, facies liberalis, eloquium suave, animus magnorum facinorum & capax, & avidus, ingens cupido sciendi, intellectus lux mera, memoria ex asse fidelis, eruditio summa, vis in disputando invicta, facundia efficax, & semper triumphans. *Al.* Ex fonte tam claro, tam pleno quanta possent bona in utramque rempublicam fluere, nisi hæc macula pollueret ! *Pot.* Romaniane, ex hoc fructu cognosce arborem. Hæresis talia inspiravit axiomata : en effectum. *Rom.* Dolendum. Sed quid consilii est ? *Al.* Augustinus degeneravit in animal : quid consulemus ? *Rom.* Desperas ? *Al.* Nihil supra verum dixi. Intellectus & voluntas hominem ab animali distinguunt. Considera in Augustino utramque potentiam : in judiciis suis regitur ab apprehensione, non

à discursu, in desideriis ab appetitu rapitur, non à decoro: conclude, quid differat, & spera remedium. *Pot.* Heu! quanta mala unum post se trahit malum axioma, si quis illud semel pro regula suscipit! Mihi hoc mirum videtur, fieri posse, ut vir prudens aliquando suscipiat principium rectæ rationi tam adversum, quale est hoc: *Non esse nos, qui peccamus, sed pravam in nobis peccare naturam.* *Al.* Cum ipso Augustino hanc nuper quæstionem habebam, & ille, ùt promptus est, tres causas assignavit, præjudicia, simplicitatem, & malitiam. Præjudicia, ajebat, nascuntur nobiscum, vel certè educantur: unde fit, ut, quod à teneris pro vero coluimus, vix patiamur unquam examini subjici, aut in suspicionem falsi vocari. Simplicitas facit, ut ne dubium quidem occurrat: unde ignorantia talium miseria est magìs dicenda, quàm culpa. Malitia illis est propria, qui datâ operâ errant, & studiosè conquirunt argumenta, quibus tueantur errorem, vel ne videantur errâsse, quod superborum est vitium, vel ne ex erroris cognitione urgeantur, ut vitent, quod amant. Et in hac ultima classe Augustinum pono: dicite, quid potest sperari? tempus perdimus: Potitiane, jube signum discessûs dari, ut conveniant comites. *Pot.* Excidi magna spe, & triste sine Augustino est iter. Tamen, quoniam ita vult infelix, age nauta, signum ad abitum cane. *Rom.* Et ego quid agam? propè in portu fui: in medios fluctus nova fluctuatio retrahit. *Pot.* Te hominis tam pessumdati auctoritas movet, ut ames mendacium? non quis, sed quare aliquis exequi nolit, quod statuit, considerare in eo debes, quem tibi imitandum proponis. *

SCE-

*tuba canitur.

SCENA IV.

Accedit Nebridius.

Nebridius. Eja! in tempore venio. Itáne sine me? sine Augustino? *Al.* Age, mutatus es, an ibis mecum? *Nebr.* Desine querelarum: & vos audite, obsecro, rem miram valde. Fœmina, quæ ferè malorum omnium viris causa esse solet, hodie per accidens bonum fecit. *Pot.* Attentus sum, quid velis. *Rom.* Et ego avidus. *Al.* Nugas dices! *Nebr.* Jucundissimam veritatem. Tandem decretum est, Augustinus Romam ibit. *Pot.* Hodie? *Nebr.* Hodie. *Rom.* Sinet fæmina? *Nebr.* Ipsa urget. Alipi, magnum ad resolutionem momentum tua austeritas tulit. Commota jam ante puella, ùt te vidit irasci seriò, & adeò amicitiam scindere, ac abire, intelligere cœpit stultitiam Thesîs, quam posuerat Amasius, non posse se beatum vivere, & castum simul. Cum gemitu gravi, Augustine, clamavit repentè, ego contrarium experior: misera sum, quia casta non sum! *Al.* Bonum narras. *Nebr.* Vox attonuit hominem, siluit, & ego converso in Navigium aspectu, argumentum est ad hominem, tacitus insusurro, urge, quæso. Ille mox litteras à Matre profert, ac legendas Melaniæ tradens, potes, inquit, à miseria liberari, nam posthac tibi molestus non erit frater, uxorem ducet: sic mater petit. *Rom.* Expavit mulier? *Nebr.* Nihil, sed oculis cœlo fixis illacrymans dixit: sint laudes Deo! à promissa te fide libero. Addit, per Augustinum si stetisset, vitam se pridem aliam amplexuram fuisse. Iret Romam, aut duceret uxorem, perinde sibi fore. *Rom.* Hæc mihi puellæ audacia placet. Quid autem ad hæc ille? *Nebr.* Erubuit. Instabat ipsa, ut, quoniam putaret vivi beatè non posse sine fæmina, uxorem duceret. Nihil. Suspensi silentio expectabamus,

bamus, quid demum ageret, cùm sonuit optata vox: Melania, aut te, aut nullam duco: hæc fides data est, hanc servabo. Nunc, quoniam non displicet consilium tibi, Romam eo: ibi, postquam invenero, quod frustra sperabam à Fausto, verum, quid concluserim, scribam. Hæc accepta conditio est: ego inter mutuas gratulantium voces festinavi lætitiæ vos participes reddere. *Al.* Sint grates Superis! hæc resolutio magni operis principium est. *Pot.* Felix sum. Citò nautæ, signum alterum date, & explicate carbasa! *Rom.* Jam ipse adest.

SCENA V.

Personæ Omnes.

Augustinus. Salvete amici! tandem decretum est ire Romam, quanquam inter spem, & metum eo. *Pot.* Eja, tertiùm tuba sonet. Conscende navem victor Fausti, & quod magìs gratulor, victor tui. *Rom.* Et ibis sine me? non teneo, sed si quid merui, consilium da, quid faciam deceptus à Fausto, desertus à te? *Aug.* Mæcenas optime! Româ consilium dabo: si mihi bene erit, suadeo, ut me sequaris. Vale. *Nebr.* Illatæ sarcinæ sunt suo loco, & expediti remiges non faciunt moram. *Al.* Conscendimus. Amice, quanto me beasti gaudio, quòd mecum venias! *Nav.* Vale frater! & perge felix, dum teneas portum. *Aug.* Suspiro! vale. *Pot.* Solvatur funis! *Nav.* Quid dicam Matri? *Aug.* Ne parcat lacrymis. *Nav.* Quid ita? nondum igitur te adjunges Catholicis? *Aug.* Nondum sanè. Sed *jam cessavi Manichæus esse*: hoc nuntia. *Nav.* Tantæ molis erat, res tantilla. *Rom. Parum est: tamen non est nihil.* *Nav.* Lætum nuntium Matri feram.

O. A. M. D. G.

MEDI-

MEDITATIO II.
CONVERSIONIS
PROCRASTINATIO.

ARGUMENTUM.

EX Africa delatus Romam Auguſtinus, quamvis prava axiomata, quibus eum hæreſis Manichæa imbuerat, jam deteſtaretur, non tamen ideò ſtatim amplexus eſt Fidem Catholicam, etiam poſtquam illum Deus gravî morbô caſtigaverat, ex quo, ſi obiiſſet, fatetur ipſe, ſe rectâ ad inferos deſcenſurum fuiſſe. Cauſa pertinaciæ procraſtinatio, ſeu negligentia fuit, qua de die in diem differebat negotium indagandæ veritatis, partim, quia obſtinaverat animum, ut nihil crederet, niſi demonſtraretur, partim, quia vanæ gloriæ cupidîne captus in agendis cauſis, & oſtentandæ eloquentiæ curis bonum tempus terebat, tantô utrumque animæ ſuæ malô, ut ad Academicos defecerit, qui *omnia eſſe dubia* docuerunt, & ſolus eum *timor futuræ vitæ*, cujus aſſertionem *ſaltem eſſe probabilem* negare non poterat, coërcuerit, quò minùs Epicureis ſe jungeret. Talis erat, cùm eum Optimus Deus nihil tale cogitantem S. Ambroſii curæ commiſit: nam Mediolanenſes Rhetoricæ Doctorem tunc Româ petebant, & Symmachus urbis Præfectus Auguſtinum huic officio deſtinavit, amabili Divinæ Providentiæ conſiliô, quod proximè adorabimus. Ita rurſum ipſe l. 5. conf c. 9. & ſeq. Hodiernæ ergò Meditationis erit

Materia: Augustini in negotio salutis Procrastinatio, & negligentia.

Puncta duo: Primum, unde Procrastinatio veniat,
Secundum, quò ducat.

Fructus: Correctio *voluntatis pigræ*, quæ bona proposita differt exequi.

Propositum: Examinare se, in quo quisque piger sit circa declinationem à malo, aut operationem boni, & *in specie* adhuc hodie *per aliquam sui victoriam* vitæ emendationem incipere.

Personæ.

S. Simplicianus.
S. Augustinus.
Alipius Nobil. Afer.
Symmachus Præfectus Romæ.
Nebridius August. Familiaris.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad Præsentem. (a)

Anima meditans. Angelus explicans.

Anima. ANgele, fructum habuit prima Meditatio:
Adhuc se movet, & concutit me *mei cognitio.*
Adhuc hæret memoriæ
Vitæ hucusque actæ Compendium nobile:
Multa mala feci, parum boni,
Et hoc ipsum parum bene!
Tædet! pudet! pænitet me!

Aria.

(a) *Liber conscientia exhibetur.*

Aria.

O Homines! ô Cælites!
O ſi me, ſi nôſſetis!
Quid de me (ô pudenda res!)
Quid de me ſentiretis?
Et ego, ſi nôſſetis me,
Quò fugerem? quò irem?
Ah! pudor in infernum me
Protruderet, *& irem*!

2.

Nunc ecce! Tu, tu nôſti me,
Tu fibras inſpexiſti,
O Deus meæ animæ!
Et quid? ah! quid vidiſti?
Vidiſti fæda ſcelerum
Portenta, quæ patravi:
Et *tuum ego oculum*,
O ſcelus! non curavi!

Angelus. Optimè à dolore, pudore, & tædio pœnitentia incipit:
Sed in dolore, pudore, & tædio minimè deſinit.
Agnoſcere morbum, & fateri,
Nondum eſt, morbo mederi.
Remedium eſt adhibendum,
Atque, ſi opus ſit, igne ac ferro utendum.
Eſt inſuper *in mora* periculum,
Nec curatio difficilior, quàm quæ tardior.
Memento, quod monui.
Voluntas, quæ adhibet media ad finem *noxia*,
Eſt voluntas *perverſa*,
Quæ negligit, aut differt *utilia*.
Eſt voluntas *pigra*:

Per-

Perversa te potest damnare,
Pigra non potest salvare,
Quia, qui hodie non potest se vincere,
Cras poterit minùs:
Expertus est Augustinus.*

Aria.

Hanc ecce! hanc viro ahenam **Præludium.*
Dilatio cudit catenam,
Rumpendam facilè,
Si voluisset rumpere,
Priusquam per flagitia,
Ut repetita verbera,
Coîerant annuli.

Nunc dolet, nunc gemit, nunc orat:
Nunc suam miseriam plorat:
Nunc erit opus vî:
Et væ! væ homini!
Nî Deus per fortissimam,
Ac *triumphantem* gratiam
Adsit conatui.

Habes, quod consideres.
Fructus, quem ferat Meditatio,
Hæc sit conclusio:
Quod aliquando faciendum est necessariò,
Et fieri potest hodie,
Fiat hodie!

Anima. Promptus est Spiritus, sed caro infirma,
Et horrore laboris anxia.
Urge me!

Angelus. A cælo opem expete. *Aria.*

Aria.

O Timor, ſancte timor,
De cælo deſcende!
Anima. O Spes ſalutis, timor
Te mihi impende!
Angelus. Confige carnes ſtimulo!
Anima. Infige calcar aſino!
Ambo. Excute ſocordiam,
Urge diligentiam,
A malo retrahe,
Angelus. Et viam mandatorum
Anima. *Hac hora, ſine mora*
Me coge currere!

MEDITATIONIS II.

De procraſtinatione Auguſtini

PUNCTUM I.

Procraſtinatio unde venerit.

SCENA I.

Alipius. Nebridius.

Alipius. Dixi, Nebridi, nunc tempus non eſt, Simpliciano loquendi. Credo, virum eſſe, qualem mihi deſcribis, & gaudeo veniſſe in tuam notitiam. I, loquere illi de nobis etiam, *poſt paulum* ſequar, & Auguſtinum mecum adducam. Nunc adeundus eſt Prætor, & precibûs *rurſum* urgendus, ut meminerit mei, cùm locus vacabit in curia. *Nebr.* Atqui *poſt paulum* fortaſſe rédibit Mediolanum Simplicianus, & *rurſum* perit

occasio inquirendi verum, cujus tamen causâ ex Africa adsumus. Alipi, da veniam, si sensum animi aliquantò acerbiùs prodo. Proditis me, & vos, vestra tam longa procrastinatione. *Al.* Vide, ne sine causa efferveseas. *Nebr.* Ecce sine causa! amice, ut sciamus, quæ vera sit fides, & qua via ad beatitudinem eatur, salutis æternæ interest: & tu metuis, ne efferveam sine causa! valete! ego Simpliciano me jam addixi discipulum: cum ipso Mediolanum ibo, ut fruar cum otio. *Al.* Quis impetus? expecta paululum. *Nebr.* Tu expecta hìc ad istas fores, quantum voles. Mihi pretiosa momenta sunt, quibus occasio se offert operandi bonum, quod animæ prodest. Ah Alipi, si vel solas horas, quas expectando perdidisti, impendisses studio Sapientiæ, cujus tantum amorem prætefers, quàm propè abfores à summo vertice! *Al.* Quid faciam? rogari Magnates volunt, ut gratiam æstimes, quam concedunt. *Nebr.* Tanti est, Assessorem in curia fieri, ut ideò cura salutis sit habenda neglectui? *Al.* Differo paululum salutis curam, non negligo. Prior est Officii cura, non tamen major. Scio, quid deceat. *Nebr.* Quærendo *Officium pro Alipio*, negligis *Officium hominis*, hoc decet? *Al.* Non negligam, mi Nebridi, audîisti utique, non negligam: *differo paululum*, ut postea ferventiùs curem. *Nebr.* Vah! ita prorsus, ùt Augustinus. Nuper, cùm ægrotaret ille ad mortem, monebam, ut nunc saltem angeretur pro anima, respondit: nunc vacandum est corpori: cùm sanabor, cogìtabo de anima. Sanatus est, redeo monitor, ait: *sine paululum!* dicenda est Imperatori panegyris: postea tibi obsequar. Oratio dicta est, & Oratori applausum: iterum adsum, & ipse, cras, ait, faciam, quod voles: hodie respirandum est *paululum* à labore, & ambulatione cum amicis animus à contentione remittendus. Adest altera dies, cras, inquit, redi, hodie discipuli urgent: habe modicam patientiam. Ah! jam

istud

iſtud *modicum non habet modum*, & *iſtud paululum non habet finem*. Si hodie redeam, dicet fortè: ſine modò, donec uxorem ducam, tunc cogitabo: aut fortè neſcis tu, quòd jam cælibis vitæ conſilium abjecerit Auguſtinus? *Al.* Ah! ſcio, neque obiter me affligit iſta levitas viri. *Nebr.* Multum erit, niſi trahat etiam te in eandem ſententiam. Hi fructus procraſtinati propoſiti ſunt. Ardebat veritatis deſiderio Auguſtinus: damnaverat axiomata prava, quibus mores corruperat: ut meliora intelligeret, feſtinavit Romam. Adeſt Romæ, dies ivit è die, negotia ſe cumulârunt, curæ aliæ ſuper alias mentem diſtraxerunt, bonus animus diſſipatus eſt, fervor friget, Auguſtinus idem eſt Romæ, qui fuit in Africa, neque fortaſſe unquam erit alius, Et tu, Alipi, iſtis inſiſtis veſtigiis miſer, nec attendis, quò ducant? vox corvi eſt iſtud *cras, cras,* qua neſcio, an homo petulantiùs Deo, an ſtolidiùs ſibi illudat. *Al.* Vehemens oratio eſt. Si tamen nos amas, Nebridi, perſuade Simpliciano, ut diutiùs Romæ ſe teneat. Cùm vacabit, ambo adibimus. *Nebr.* Vultis, ut præter vos, & Deum, etiam ſit tertius, cui poſſitis illudere? vana ſpes eſt: ego provideo mihi. *Al.* Sed fores crepant. *Nebr.* Hem! fallor, an video Simplicianum! Alipi, occaſio eſt! *Al.* Gaudeo.

SCENA II.

Symmachus. Alipius. Simplicianus. Nebridius.

Symmachus. (a) Curabo, ut iſtis queſtibus Epiſcopi tui reſpondeatur, quod oportet. Eſt vir inquietus, & qui neſcit, quis Symmachus ſit. *Simpl.* Ambroſio Deus ante oculos eſt, Prætor: ab hominibus nihil cupit, nihil timet. *Symm.* Opportunè hìc ades, Alipi, quid petis? *Al.* Memoriam mei, Domine. *Symm.* Recordor. Sed modò Auguſtino loquendum ſtes Si vocas ad me contubernalem, obſequium facis. *Al.* Fa-

(a) *Literas Ambroſii legens.*

 ciam,

ciam; ut momentô adsit. *Nebr.* Amice! *Al.* Sine modò: properandum est propere. *Nebr.* Expecta paululum saltem. *Al.* Cessa, inquam. Audîsti, vocandum Augustinum Prætori. *Nebr.* Omitte nunc: *cras* vocabis. *Al.* Absurde! quid diceret Symmachus? *Nebr.* O hominem industrium, qui prætori tam celeriter obédit, & Deo tam lentè! *Al.* Pungor. Sed! ita postulant res meæ.

SCENA III.

Simplicianus. Nebridius.

Nebridius. Et quid postulet salus tua, non attendis? *Simp.* Video te zelo bono ardere. *Nebr.* Utinam salubri. Pater, iste est Alipius, de quo tibi heri! oro te, ut hìc expectes, donec Augustinum adduxerit: juvabit, vel de facie nôsse invicem, & obiter colloqui. *Sim.* Gratulor mihi occasionem agendi cum amicis Nebridii. *Nebr.* Utriusque bona est indoles, & inveniendæ veræ fidei par desiderium in ambobus arsit. Hæc causa me illis per amorem conjunxit. *Simp.* Sanctus amor est, & dignum Sapientiæ studiosis desiderium. *Nebr.* Sed nempe desiderium *lentum*, *ac somnolentum*. quale est pigri, qui vult, & non vult. Sic, qui dormit, cùm inclamatur, surge! redi post horam, respondet: sine modò! Post horam reverso, adhuc modicum, ait, nam grave est caput. Tertiùm repetitur clamor: surge! infertur lumen, trahitur stragulum, jámque se erigit Endymion, aperit oculos, surrecturus videtur, cùm ecce! recidit, versatur in alterum latus, iterum dormit. *Simp.* Nempe quia molesta lux est, & frigus terret, calor tenet. Fortè eædem sunt causæ, quæ Alipio se, & Augustino objiciunt, quò minùs celeriter obsequantur vocanti Deo. *Nebr.* Alipium, Pater, solum Augustini exemplum, Augustinum verò plura vin-

vincula adſtringunt ſpondæ, quæ quia, niſi per magnam vim non poſſunt rumpi, qualem ipſe nec infert ſibi, nec ab aliis inferri patitur, vereor, ne ſomnus tam diuturnus in fatalem lethargum abeat. *Simp.* Prudenter times, maximè ſi accedunt ſomnia jucundiora, & lepida, quibus ſit, ut dormiens amet ſomnum, & excitari ſe, etiam iraſcatur. Quid ais? nunquam ſic viſus eſt tibi Auguſtinus quaſi ſomnians loqui? *Nebr.* Ah! Pater, Punctum tangis. De nugis, de næniis, de gerris perpetuus ſermo eſt: de ſeriis aut nullus, aut abruptus. Prorſus ùt ſomniantes ſolent, jam plaudit, & jubilat ſibi, velut qui Oratoribus cæteris palmam rapuerit, jam diſputat acriter, &, ſi quos fortè, ex rudioribus, credo, Catholicis ſecum congredi auſos vicerit, ferociter inſultat, circumſpiciens ſe, quaſi orbem terrarum miſiſſet ſub jugum: jam denique de amoribus garrit, jocatur, impudenter etiam narrat, & jactat. *Simp.* Peſſima ſomnia! conjecto proximum lethargi periculum: actum de vita eſt, niſi medicina efficax properetur. *Nebr.* Plura te juvat ſcire. Nuper ſenſerat cum Manichæis: *non eſſe nos, qui peccamus, ſed pravam in nobis peccare naturam:* nunc intelligit, falſum ac impium principium eſſe. Quid prodeſt? pertinaciter tuetur alterum: voluptates, ad quas inclinat natura, eſſe facetias, quas homini luteo clementer indulgeat Deus, imò ſine quibus vivi beatè non poſſit. *Simp.* Execrabilis ſententia. Si quis exempla Scripturæ, & graviſſimos textus contrà objiciat, quid reſpondet? *Nebr.* Quod tu ſine horrore non audies. Catholici, dicit, volunt omnia nudè aſſerentibus credi: demonſtrent, quod aſſerunt. *Simp.* Cujus igitur nunc ipſe eſt fidei? *Nebr.* Ad omnes indifferens. Cum Academicis ſentit, perinde eſſe, quid quisque crederet: omnia enim eſſe incerta, ac dubia. Quin auſus jam eſt dubitare adeò, an non Epicurus præ aliis verum docuerit, cùm hominis beatitudinem in voluptatibus

carnis constituit. *Simp.* Hìc tu, mi Nebridi, non jam procrastinationis causas narras, sed funestos effectus. Ah! iste homo non jam differt, quod olim proposuit, bonum, sed jam desperavit consequi, & ipsum abjecit propositum. Cæterùm ego ex hoc sermone jam novi virum, &, nisi fallor, mali pessimi originem video. Duæ radices sunt, superbia, & amor carnalis. Superbia intellectum excæcat: hinc vanæ gloriæ cupido, pertinacia judicii, & æstimatio sui, solum se sapere super omnes credentis: amor carnis voluntatem infecit venenô, quo Spiritus projectus instar Epileptici volutatur in pulvere, amissis viribus, quibus se erigat. *Nebr.* Omnino hoc verum est Ectypon, & exactè correspondet Prototypo. Quid judicas autem? nunquid desperata sanatio est? *Simp.* Difficilis utique. Sed qui triginta octo annorum paralytico dixit: *surge, tolle grabatum tuum, & ambula!* Jubet, ne desperemus de quoquam, cui vita supersit. *Nebr.* Ecce ingreditur. Augustine, hic vir est, cui te colloqui velim.

SCENA IV.

Augustinus. Simplicianus. Alipius. Nebridius.

Augustinus. Veneror Legatum magni Ambrosii, cujus tanta est apud Cæsares auctoritas, tanta virtutis laus, tanta Eloquentiæ gloria, ut fortè secundum Europa non habeat. *Simp.* Magna decora memoras, Domine, sed quæ Ambrosius nihil æstimat. Ut magnus sit apud Deum, unum est decus, quod ambit. Ego verò gratulor mihi, quòd Augustinum nôsse de facie liceat, postquam de insignibus donis audivi, quibus eum liberale Numen ornavit. Optandum, ut bonis dotibus bonus usus accederet (amicis mutua inter se dilectione colligatis audentiùs loquor) optandum est, aio, ut bonis dotibus bonus

nus uſus accederet, qualis utique nullus eſt, niſi quem dirigit bona fides. *Al.* Nobis, Pater, jam diu bonæ fidei ſaltem deſiderium eſt. *Simp.* Sic mihi Nebridius veſter, & laudo. Sed ſcitis, quod ſcriptum eſt: *deſideria occidunt pigrum*, (b) imò etiam ipſa occiduntur per moram, & eſſe deſinunt, cùm diu nihil agunt. Opportunè alendus eſt ignis, & cudendum ferrum, dum calet. *Aug.* Experior verum dici: calebam olim, nunc frigus medullas habet. Alia ex aliis negotia, curæ, ac tædia omne tempus rapuerunt, quod inquirendæ veritati impenderem. *Al.* Neque hæc etiam hora eſt huic diſputationi idonea: properandum ad Præſidem: ſcis, vocatum Auguſtinum eſſe. Curo moneri, quòd adſis. *Nebr.* Utinam iſte ſit æquè impatiens ad ſeria, ùt eſt ad nugas! *Aug.* Tamen ſi eſſet ſpes inveniendæ veritatis, horam unam, aut alteram rogarem te, Pater, ut impenderes dubiis, quibûs angor. *Simp.* Libenter, ſi tamen hodie velis: nam cras redeundum eſt Mediolanum. *Aug.* Omnino hodie te audiam, & utar occaſione, quam ſibi Nebridius adeò lætam accidiſſe prædicavit, ut videatur ſibi, poſt longam jactationem, jam propè à portu eſſe. *Simp.* Hodie tuus ſum: quando me placet uti? *Aug.* Statim, cùm rediero à Præſide. *Simp.* Novum laborem imperabit Præſes, neque tu verbô ſtabis. *Aug.* Quemcunque imperet, differam. Hodie optatiſſimus labor eſt, loqui tibi. *Nebr.* Sic places. Nempe commodare negotiis nos debemus, non tradere. *Simp.* Stygii Pharaonis inventio eſt, opprimere laboribus mancipia ſua, ne tempus habeant, quo de modo liberandi ſe cogitent. Sic miſeri in circuitu ambulant, & præmium abſoluti laboris eſt labor novus, mercésque finiti negotii, timor, ne aliud negotium non finiatur. Ita pereunt anni, & quid inferimus æternitati? *Aug.* momentoſa eſt quæſtio, ſi quidem poſt hanc vitam expectanda eſt alia. *Simp.* Dubitat Auguſtinus, an im-

(b) Prov. 21. mor-

mortalis sit anima? *Aug.* Timeo magis, quàm credo. *Nebr.* Ecce redit in memoriam cogitatio, quam nuper suggerebam decumbenti ad mortem. *Aug.* Heu me! Pater! si anima vivit post mortem, & ego ex illo morbo obiissem, ubi essem? cæterùm fortè hæc sunt terriculamenta excogitata, ut in officio vulgum contineant. *Simp.* Fortè autem sunt veritates, quibus impunè refragari non licet. *Aug.* Nisi demonstres ad oculum, non credo. *Simp.* Experiri mavis, quàm credere? aut num existimas, quòd per hoc desinant esse pænæ, quia tu esse negas? Augustine, non auctoritate, non rationibus laboriosè quæsitis urgeo: tuum ingenium consule: quæro, an demonstrare possis, quòd cum vita etiam anima desinat? *Aug.* Non possum. *Simp.* Dubitas igitur? *Aug.* Fluctuo in ambas partes. *Simp.* Satis est. Jam igitur sana ratio te obstringit, ne in dubio tanti momenti, mores formes ad normam sententiæ minùs tutæ. *Aug.* Stringis, & intelligo, quid velis. Si credo, animam nunquam mori, nihil hæc fides nocere potest: si non credo ista mihi infidelitas nihil potest prodesse, nocere potest æternùm: nunquid hoc est, quod dicis? *Simp.* Penetrâsti præmissas: infer conclusionem. *Nebr.* Sapientis est, credere, patet hoc consequi. *Aug.* Omnino videtur. Intelligo me incidisse in virum, à quo sperare remedium possim malo, quod premit. *Al.* Præses prodit. *Aug.* Loquemur deinceps plura de his. *Simp.* Sed hodie. *Aug.* Hodie, & ibit Alipius mecum. *Nebr.* Sic places. *Simp.* Dona mihi has animas Deus! *Al.* Invenisse videris virum in Simpliciano, qualem descripsit Nebridius: nam incaluisse te cerno post frigus tam longum. *Aug.* nondum, Alipí, nondum deseruit nos patiens Deus, & ego abusum patientiæ timeo. Certè periculum in mora jam video, quale hactenus nunquam: dubitare de omnibus nimis dubiam salutem facit.

SCE-

SCENA V.

Auguſtinus. Symmachus. Alipius.

Symmachus. Auguſtine, ſcis, quanti te faciam. Memini, quæ mihi *de Diſcipulis tuis queſtus es ſæpius:* (c) hodie remedium fero. *Aug.* Profectò gratiam magnam facies, optime Prætor: neque enim tolerabile eſt malum ultrà. *Quos mores, cùm ſtuderem, meos eſſe nolui, perpeti cogor, cùm doceo.* Carthagine juvenes erant importuni, immorigeri, impudentes, qui proinde ſicut in Academiam veniebant nullius diſciplinæ patientes, ſic redibant ad ſuos ſine ſcientia, ſine conſcientia, ſine pecunia: Romæ, etſi modeſtiæ laudem aliquam mereantur, tamen in hoc peccant atrociùs, quòd *illis præ charitate pecuniæ, juſtitia vilis ſit*: (d) quando enim tempus adeſt minerval promiſſum ſolvendi, repentè dilabuntur, & perfidè Doctorem deſtituunt. Odi ſerviles animas, nec fulgenti luto turpiter inhiantes dignas exiſtimo, quibus labores meos impendam, utique nullo fructu, in ſolo ſterili, & arenoſo. *Sym.* Juſta querela eſt: ſed erit malo finis, ſi obſequiis, quæ præſtitiſti, hodie unum addideris, hodie tamen, nam cras ſerò facies, quod fieri velim. *Aug.* Audio, quid imperes. *Al.* Et ego ſponſor ſum, Domine, lentum in exequendo, quod jubes, Auguſtinum non fore. *Sym.* Neque facies ſine fructu, ſi urges. Ecce geminam Epiſtolam. Hæc operam tuam exigit, iſta præmium offert: Jam attende, quid velim. Petebam per litteras nuper ab Imperatore, ut everſam ab anteceſſore ſuo aram Deæ Victoriæ reſtitui ſineret: ſciebam, difficile poſtulatum eſſe, quod Principi Chriſtiano faciebam: ſed ita volebant Senatores, quorum multi, ùt nôſti, adhuc adhærent Religioni Majorum, & colunt plures Deos. Ego ita ſtupidus non ſum, Auguſtine, ut numerum inter Deos admit-

(c) *L. 5. Conf. c. 8. & 12.* (d) *Ibidem.*

admittam: multò minùs ita barbarus, ut cogere te velim ad propugnandam stultitiam, quam ipse damno. Quàm certus sum dari Deum, qui hoc Universum gubernat, tam certus sum, esse unum, cui non detur æqualis alter. *Aug.* Sana ratio, Prætor, non sinit te aliter judicare. *Sym.* Sic est: nam, si plures æquales sunt, aut perpetua sint inter Deos bella, necesse est, aut unum alteri subjici: quorum nescias, quid sit absurdius. *Al.* Sapienter, Domine, & ego gaudeo, te sic sentire. *Sym.* Interea res meæ postulant, ut sentire me simulem cum Senatu, cujus exemplum huc usque adhuc pars major vulgi sequitur, antiqui erroris retinens. Itaque placere volui: ideò suscepi Patrocinium Deæ. Jam stupete audaciam Popæ unius. Contradixit precibus meis in aula nemo: non pauci etiam salubre consilium, & utile Reipublicæ judicabant, si circa Religionem cuilibet relinqueretur libertas & sentiendi, quod vellet, & profitendi, quam inter tam multas mallet. Unus Ambrosius, cui, nescio, per quem subolverat consilium, ferream frontem opposuit, scripsit ad Cæsarem, & exemplar Epistolæ per suum Presbyterum misit ad me. Acerba est, viri tamen urbani, ac sibi moderantis: cæterùm succumbere Mediolanensi Præsuli urbis Romæ Præfectum, molestè fero: ferendum erit tamen, nisi tu properes, Augustine, Eloquentiam Eloquentiâ retundere, & hominis in aula auctoritatem solida confutatione opprimere. Cape Epistolam, utere ingenio, artem, quam potes, adhibe, sed hodie, nam festinatione est opus. Mandatum accipis glorioſum tibi: neque enim adversarium clariorem unquam duces in triumphum, nisi cùm Ambrosium viceris. *Al.* Profectò, Augustine, non fuit occasio alia jucunda magis, & idonea, ut ostentes, qui sis. *Sym.* Junge operam, si quid potes, Alipi, properate! mercedem uterque, quam volet, feret. *Aug.* Difficile opus imperas. Lego argumenta gravissima, & facun-

facundiam virilem, quæ rebus magis intendit, quàm verbis. Cum gigante pugnandum eſt mihi. *Sym.* Æquè giganti. Exaggeras difficultatem, ut pretioſiorem mihi tuum laborem facias. Sed confide: erit pretium dignum operæ. Feſtina modò: hodie volo reſponſum legere.

SCENA VI.

Auguſtinus. Alipius.

Auguſtinus. Tentabo vires. Alipi, ego neque iſtum virum intelligo, neque iſtud imperium amo. *Al.* Ego verò nolo tricari te; citò ſede, ſtude, ſcribe: de meis agitur, & tuis commodis. *Aug.* Alipi, totus à te abiiſti. In Africa unum veritatis, veritatis inveniendæ deſiderium fuit: nunc ſolius commodi, commodi ac boni privati te cura habet. Unde mutatio? *Al.* Utique à te. Nam poſtquam de veritate invenienda deſperavi tecum, quid ſupereſt, ut quæram, niſi commodum, & bonum privatum? & tu ceſſas? rumpe moram, quæſo, Prætor urget. *Aug.* Feſtina lentè. Non eſt laudabilior mora, quàm quæ trahitur in decernendo malo, in quod nos toties præcipitat impetus, quem inanis pœnitentia ſequitur. *Al.* Nempe malum aliquod videtur tibi latere in hoc imperio? *Aug.* Proſpicio graviſſimum. Symmachus ita vult *uni Deo* ſervire, ut non offendat diabolum, quem colit in *pluribus*: à tali viro bonum fieri imperium credis? examinare talium mandata eſt neceſſe, ne obediendo homini, offendas Deum. *Al.* Hem! à quanto jam tempore vocem tam religioſam non audivi ex iſto ore! ſi omnia ſunt dubia, ùt credis tu, quis jam de Deo te ſcrupulus angit? agere, quod libet, licet, quando eſt dubia obligatio legis. Aut, ſi etiam transgredimur legem, quid nocet ſcelus? pœnas præſentis vitæ etiam probiſſimi ferunt, & quæ narrantur

futuræ poſt vitam hanc, dubiæ ſunt: cur timemus? *Aug.* Loqueris eheu! ex meo ſenſu. Obſecro, quem à me induiſti, mecum exue. An omnia ſint dubia, Alipi, hoc eſt dubium ſaltem, & hoc dubium tenet me, *ne ad Epicurum deficiam*: timeo enim, ne ſit verum, quod timeo, judicium, internus, æternitas. Ecce! quò ſum prolapſus! in horrenda me abyſſo video: ah! porrige manum Deus! *Al.* Mirum! Auguſtine, nunquid à Simpliciano veniunt hi motus novi? *Aug.* Sic eſt, amice: ô bone Deus, nondum odiſti me! ſpes nova naſcitur! inveniri veritas poteſt! *Al.* Differamus hanc curam, cras commodius indagabimus: hodie parendum eſt Præſidi. *Aug.* Hodie Simplicianus adeſt, cras abit: arripienda eſt capillis occaſio, toties dimiſſa ex manibus. Novum ſtimulum hæc Epiſtola admovet: nam qualem deſcripſit fama, hìc Ambroſium lego. O ſi videre liceret virum, ſi colloqui! *Al.* Importuna hæc deſideria ſunt: ſine modò! nox de his conſilium dabit. Nunc Præſidi, Auguſtine, Præſidi eſt parendum: nam niſi reſponſum afferas, quid excuſabis? *Aug.* Occurret aliquid. A nocte ut expectem conſilium, non perſuades. Securiùs à Simpliciano requiro, an parere Præſidi liceat, & contra Ambroſium ſcribere. Nam, ſi non licet, certum eſt, non faciam. *Al.* A Simpliciano petis conſilium contra Ambroſium? quæ prudentia? *Aug.* Veritatis, Alipi, veritatis inveniendæ, uti nova ſpes, ita novum deſiderium eſt. Væ mihi, ſi rurſum differo urgentem affectum ſequi. *Al.* Quò trahis, ſequor te. Sed proſpicio, quid ſit futurum. Simplicianus utique prohibebit, & avertet à Præſide: ſic Præſes averſabitur ambos, ſpes noſtræ pereunt. *Aug.* Amicus Præſes, magìs amica veritas. Toties, cùm ſe obtulit, à me neglecta, ultrò ſe offert iterum: iterum negligam? Simplician us hodie plùs, quàm Præſes, terret. *Al.* Si ſpes eſt, inveniri poſſe, utique parendum eſt magìs veritati, quàm cui-

vis

vis Principi. *Aug.* Utique, quia beatum facere nullus me Princeps potest, neque eripere veritati contemptæ, si contumacem damnabit. *Al.* Sapienter. Sit igitur, tecum audio Simplicianum.

CHORUS.

Exhibetur secundum ad seriam Conversionem Medium, quod est *Timor Dei*, quo urgetur homo, ut manum operi sine *procrastinatione* admoveat.

Timor *in persona Operarii.* Gratia. *Fides.*
Anthropus. Quinque sensus *in persona Aucupum.*

Gratia. HÆc est domus, in qua voluit Dominus,
Ut esses operarius.
Rem tuam age strenuè.
Ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes. Jer. 1.
Constitutus es *hodie.* Pulso iterum.
Fides. O Bona *Gratia*, ùt ades in tempore,
Et tecum *Timorem* adducis!
Ad nugas Anthropus rediit,
Et *Seria*, quidquid opponat *Fides*, in crastinum rejicit.
Filii, tristem recreaturi parentem,
Instruxerunt aucupium:
Huic ille totum *hodie* addixit animum,
Et *cras*, ait, *cras* convertar ad Dominum.

Gratia. Abſurdam audio vocem corvi,
Neſcio, ſtulti magis, an impii!
Vah! homo temerarie!

Aria.

Offenſus Deus veniam
En! offert *hodie*:
Et dicis: *eras* accipiam,
Non placet hodie!
Ah! *cæli obſtupeſcite,* Jer. 2.
Et deſolamini!
Hæc vox: *non placet hodie!*
Eſt vox *mancipii!*

2.

Offenſo *reus* ſuggerit
Horam clementiæ! . . .
Peccator *Deo* ſtatuit
Momentum gratiæ! . . .
O *hominis* impietas!
O impudentia!
O *Numinis* benignitas!
O Patientia!

Sed perge, Fides, meum homini adventum nuntia,
Ad me evoca.

Fides. Si obſirmaverit januam, & nolit venire?

Timor. Vides hanc aſciam? pulſabimus fortiùs,
Ita, ut incipiant *ambæ aures tinnire.* Jer. 19.

Fides. Quod videbitur, facite. Ego aperio: (a)
Vos judicate, quid poſſit ſperari,
Et num ad vos audiendos Anthropus
Sit *hodie* bene diſpoſitus.

Timor.

(a) Aperitur ſilva, in qua ſenſus ſuas delicias aucupantur.

Timor. Negotioſi ſunt aucupes,
Et, quibus inſidiantur, garrulæ volucres.
Fides. Has homo inanis delicias capit,
Gratia. Imò, non capit; *capitur*: ita deſipit...
Viſus. Io! parata ſunt retia, amites, area, Omnia.
Trepidate gens volucrum! canimus claſſicum.

Chorus quinque Senſuum.

Omnes. Eia venite
Blandæ aviculæ.
Noſtræ deliciæ!
Venite!
Viſus. Vis formæ amæna,
Auditus. Vox gratiis plena,
Guſtus. Roſtrum eburneum,
Collum mellificum,
Odoratus. Plumarum balſamum,
Tactus. Et lepor ſaltuum,
Viſus & Auditus. Et caput ad pompam criſtatum,
Guſt. Odorat. Tact. Et corpus amoribus natum
Omnes. Amabiles faciunt vos!
Amamus! venite ad nos!
Eia venite!
Odoratus. Nobis vos dedite,
Guſtus. Nihil metuite!
Tactus. Adſumus aucupes,
Non, non carnifices,
Omnes tres. Qui mactent, & jugulent vos.
Viſus. Amare, vobiſcum jocari,
Auditus. Viciſſim à vobis amari,
Ambo. Hoc cupimus nos!
Omnes. Dedite vos!
Venite!

Gratia

Gratia. *Usquequò parvuli diligitis infantiam?* Prov. 1.
Anthrop. Fallor! an audio Gratiam?
Fides. Adest, & petit responsum ad allatam nuper Epistolam.
Anthrop. Cras redeat: cras faciam audientiam.
Gratia. Ego autem hodie mihi faciam.
Timor, inania dissipa gaudia!
Timor., Fugite! fugite! (b)
5, Sensus. Heu! heu! nostræ deliciæ! sistite!
Anthrop. Quis meis obstrepit importunus consiliis?
Timor. Tace homo indocilis!
Generatio incredula & perversa! Matt. 17.
Quousque ero vobiscum? usquequò patiar vos?
Anthrop. Prô! quæ voces suavissimas vox excipit horrida!
Timor. *Vox Domini in virtute!* Psal. 20.
Vox Domini confringentis cedros efferentes se in superbia!
Vox Domini intercidentis flammam ignis,
Qui exarsit in concupiscentia,
Vox Domini concutientis desertum, ubi onager luxuriat!
Vox Domini præparantis cervos ad partum,
Ne, qui parturit, semper parturiat,
Et nunquam pariat.
Hæc dicit Dominus: Hodie si vocem ejus audieritis Psal. 94.
Nolite obdurare corda vestra! nolite hodie!

Aria.

Ecce! post navem eversam (c)
Et scelerum fluctibus mersam,
Cum undis pugnanti,
Cum morte luctanti,

Tabu-

(b) Complosione manuum aves territæ fugiunt.
(c) *Vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret.* Prov. 1. v. 24.

Tabulam *hodie*
Porrigit Gratia...
Hodie accipe!
Hodie enata!
Periiſti, ſi audes jocari,
Et ipſo clamare ex mari:
Porrige cras!
Cras Gratia tibi illudet,
Cras aurem utramque occludet,
A longè Cras ſtabit,
Et cor obdurabit.
Flebis, &: heu me!
Dices: ô Gratia!
Hodie, hodie,
Ubi eſt tabula?...
Ridebit, & jam jam mergendo, (d)
Clamabit clamore horrendo:
Porrigam cras!

Anthrop. Ah! iraſcere, *iraſcere!*
Sed *à riſu*, à riſu tuo libera me, Domine!
Totis artubus trepido:
Quid ſit agendum, conſulite.

Gratia. Purganda eſt area,
Et exſcindenda radicitus hæc ſcelerum latibula.
Hodie, hodie manum admove.

Anthrop. Heu me! unde incipiam? quando finiam?
Laborem imperatis difficillimum.
Faciam tamen, faciam, ſed *modò non poſſum.*
Sinite paululum! *paululum!*

Gratia. Homo ignaviſſime!

Fides. Temerarie!

(d) *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo.* Ibid. v. 26.

Timor. Perdite!
Omnes tres. Si *aliquando* cogitas facere,
Gratia. *Quare non modò?*
Tim.& Fid. *Quare non hac hora?*
Omnes tres. Quare non? *quare non?*

Ariosè.

Anthropus. Assuevi huic silvulæ:...
Radicitus exscindere,
Et *hodie*
Est opus molestissimum!
Gratia, Fides, Timor. Sed opus necessarium:
Anthropus. Pro *tota* vita, *totum* me
A loco hoc avellere
Et *hodie*
Est arduum negotium!
Tres reliqui. *Cras* erit magìs arduum!
Anthropus. Non possum *hodie!*
Tres reliqui. *Cras* minùs poteris.

Anthropus. Rebellis repugnat natura!
Gratia. *Cras* magìs repugnabit!
Anthropus. Amor obstat, & sensuum cura!
Fides. *Cras* fortiùs obstabit:
Anthropus. Quid dicent homines!
Timor. *Cras* magìs metues!
Anthropus. In re tam ardua me vincere
Non possum *hodie!*
Omnes tres. Ah! potes *hodie*, & non vis:
Cras voles, & non poteris.

Gratia. Vince te! & saltem incipe!
Timor. * Cape arma, tenta te!

Anthor.

* asciam porrigit

Anthropus. Ah! *uſum non habeo.* 1. Reg. 17.
Fides. *Aliquando* utendum eſt *neceſſariò.*
Omnes tres. Quare non modò? quare non?
Gratia. Aggredere, ego adjuvo.
Anthropus. Domine! in tuo nomine! ... *
Fides. Vicimus! vicit ſe!

Aria.

Prima victoria
Nunquam eſt unica:
Trahet ſecundam,
Et plures poſt ſe,

2.

Semel qui vincit ſe,
Poſſe ſe vincere
Jam eſt convictus:
Major fit animus,
Repetit ictus,
Audétque ſæpiùs
Aggredi ſe.

PUNCTUM II.

Procraſtinatio quò duxerit.

SCENA I.

Auguſtinus. Alipius. Nebridius.

Auguſtinus. Quid multa? Amici mei! erratum eſt, graviſſimè erratum! ita me convicit Ambroſius in iſtis litteris. Eo, & nuntio Præſidi, fruſtra me in confutationem incumbere: vicit Ambroſius, Veritas triumphat. *Nebr.* Et tu, Alipi,

* clauditur, dum aſoiam attollit.

adhuc immotus es in tanto motu? *Al.* Nescio, quid magis stupeam, Augustini timorem, an Simpliciani consilium. *Aug.* Cessabis utrumque mirari, cùm istas litteras legeris. Cape, lege! veritas, veritas vultu terribili prospicit, strictóque ancipiti gladio minatur æternam mortem, si pergo tergum vertere, & dubiam viam ire. Hìc metus justus utique compulit me, ne auderem exequi imperium Præsidis, donec Simplicianus probaret. *Al.* Probâsse, hoc non capio. Ego prohibiturum certò credidi: præter spem evénit, ut urgeret ipse, & diceret: omnino, Augustine, obtempera Præsidi, festina, responsum ad Epistolam para. *Aug.* Idem mirabar tecum: nunc ex eventu laudo prudentiam Magni Viri. *Nebr.* Providit, quod factum est, & cepit te hamo tuo. Nebridi, ajebat mihi, cùm vos abîistis, & ego gemerem, novam moram à Præside injici meis spebus, Nebridi, hæc mora promovet salutis consilium. Augustinus, uti tumet superba æstimatione sui, ita disputando vix patietur se vinci ab alio. Itaque disputet ipse secum, vincat se: sic victus, victor erit, & veritati se lubens dedet, lubens repetebat, lubens dedet se: nam quò intentiùs se impendet, ut inveniat argumenta, quibus confutet Ambrosium, eò profundiùs ingredietur in adyta veritatis, & repentè admirabitur constitutum se in conspectu Reginæ, quam credebat ultra mare abesse. *Aug.* Propheta fuit. Confutandi conatus cogebat penetrare intimiùs, quod legebam. O felix necessitas! oblata est veritas, splendida face coruscans oculis animæ: adoravi, homagium præstiti. Alipi, quod video, poteram videre pridem, & debuissem: affectata ignorantia fuit, applicare considerationi me nolui, & serium conatum ex die in diem distuli: hæc me negligentia, hæc pigritia nunc malè habet. *Al.* Corrigamus ergò hodie. Quis erit modus? *Aug.* Tangis punctum, quod nunc cruciat. Correctio ista non est opus unius diei. Hodie

Simpli-

Simplicianus adeſt, cras abit, & deſerit ægrotum, quem cœpit affligere, ut ſanet. Heu! cùm potui, nolui applicare me ſtudio ſalutari, ſuperbia obſtante, quæ Magiſtrum non admiſit, & prohibente libidine, quæ tenebras ſupra lucem amavit: nunc, cùm volo, fortè non potero, & quid deinde, amici, quid deinde fiet mecum? Prô! in quæ me mala mea pigritia præcipitavit, & infelix procraſtinatio! iterum hodie aperit mihi oculos Deus, & video plura, quàm in Africa videram. Me inſenſatum! poſt fabulas Manétis abjectas currebam bene! quis me faſcinavit, ut ſiſterem curſum, imò rurſum ex via deflecterem, ita, ut facta ſint poſteriora pejora prioribus! *Nebr.* Procraſtinatio omnino, procraſtinatio ſufflaminavit primùm, deinde protruſit in devia. *Aug.* In devia utique, mi Nebridi: nam in abyſſo me video, quæ profundior eſſe non poſſet. Reſpicio ſcalam, per quam deſcendi, & capere nequeo, quomodo deſcenderim ſine horrore. *Al.* Nempe per gradus factum eſt iter à vix advertente, quò ires. *Aug.* Sic erat. Ardebat cor deſideriis calidiſſimis ad bonum, ad veritatem: veritas ex Africa Romam traxit. Si indagâſſem citò, ubi lateat, jam inveniſſem, jam felix eſſem. Diſtuliſſe hanc curam, abieciſſe fuit. Procraſtinatio peperit frigus, ex frigore nata eſt deſidia, ex deſidia deſperatio inveniendi verum, quod tædebat inquirere, ex deſperatione contemptus docentium, inde confirmatio in vitæ licentia, futurorum incuria, & ſenſim ſine ſenſu quidlibet audendi infelix temeritas. *Al.* Laudo lamenta tua, ſed utilius negotium facimus, ſi conſilia conferamus de reditu in viam bonam. *Aug.* Deliberate: ego Præſidi refero meum de Epiſtola ſenſum. *Al.* Diſplicebis. *Nebr.* Nihil refert. Minus malum eſt contra Præſidem, quàm contra veritatem pugnare. Nos interim intendamus oculum iſtis literis, ex quibus Auguſtino tanta ſpes venit, veritatem apud Ambroſium eſſe.

SCENA II.

Alipius. Nebridius.

Alipius. Necesse est, ut habeant pondus, quæ caput tam obstinatum inclinant. Audiamus. *Potentissime Cæsar: Quæ tibi à Symmacho urbis Romæ Præfecto oblata supplicatio fuit, Argumentum habet, cujus pertractatio ad Episcopos magìs, quàm ad Aulæ tuæ Consiliarios pertinet. Itaque veniam dabis, Clementissime Princeps, si, qnæ agitatur, controversiæ Ambrosius se, etsi non vocatus, immiscet.* Sincerum exordium est, & viri pro suo officio Zelosi. *Nebr.* Episcopi. *Al. Petitur, ut aram Deæ Victoriæ restituas, & fieri sacrificia sinas antiquæ Romæ consueta: audax postulatum est, in quo mihi Symmachus sui videtur oblitus fuisse, & tui, Cæsar, quia neque quid peteret, satìs attendit, neque à quo.* *Nebr.* Nihil dissimulans dicet. *Al.* Et clarè. *Quid enim? si ab Ethnico Principe Christianus Aulicus peteret, ut evertantur fana Deorum, & Christo ædificetur Ecclesia: quis Regum patienter audiret, nisi aut jamiam ad fidem nostram se adjuncturus, aut certè de nostra Religione optimè sentiens? Vide igitur, Princeps, quid de te existimet Symmachus, cùm à te ausus est petere aram Deæ, quam fides nostra idolis adnumerat. Inadvertentiam dicere malo, quàm injuriam: qualem non levem facit Majestati tuæ, qui sciens, ac prudens credit, te damnatis Superstitionibus, contra Patris, ac Fratris Exemplum non omnino nihil addictum esse.* *Nebr.* Argumentum ad hominem est. *Al.* Et quo sapienter sibi conciliat Principem. Pergit: *advertit, ùt est prudens, ipsum Symmachum periculum grave, ne preces suæ tacita accusatio Cæsaris viderentur, tanquam à quo sperare ejusmodi gratiam, idem esset, ac dicere: Valentinianus ùt ætate juvenis, sic in sua Regligione aut parum sapiens, aut modicè anxius est: idèo astutè incipit eò delabi, ut neget, scelus esse Imperatori Catholico,*

tholico, si subditis suis, etiamsi prohibere posset, cultum plurium Deorum permittat. Nam, inquit, cùm inter tot sectas incertum sit, quænam verè Deum verum Auctorem habeat, Ratio postulat, ut cuique pro modo ingenii liceat veritatem inquirere, & circa Religionem sentire, quod malit. Nebr. Alipi, hoc axioma est filia principii, quod nos tenemus: *omnia esse dubia.* Hem: quò ducimur? cùm erit commodum, etiam adorabimus idola sine scrupulo. *Al.* Certè, si Symmachus verum dicit. Audi, quomodo se defendat: *nam denique*, ait, *cultus quicunque tendit in Deum unum, & qui adorant plures, plura Nomina venerantur, non plures Dominos. Nebr.* Profectò callida defensio sceleris. Quid respondet Ambrosius? *Al.* Avidè lego. Exclamat: *ecce! ô Magne Cæsar, quàm speciosis vestibus incedit ornata Impietas, ut simplices animas fallat! seriòne Symmachus unum esse Deum credit, aut simulat? si credit, cur aboleri nomina ægrè fert, quibus fovetur error, & Idololatria subsistit? Si autem simulat, malus est servus Deorum, quorum cultum profiteri non audet. Nebr.* Fortiter stringit. *Al.* Sequitur: *sed ego suspicor, hominem neutrum esse. Nam, cùm dicat, incertum videri, quæ tot inter sectas verè Deum verum Auctorem habeat, opinor, eum se nulli addixisse, quod solent plures, non quòd omnino negent, dari Deum, sed quòd, quo cultu colendus sit, suspendant sententiam, &, ùt aiunt, isti se disceptationi nolint miscere. Inde fit, ut indifferentes ad omnia, hodie Catholici, cras Ariani, postridie Manichæi, denique Ethnici sint, prout ratio temporum tulerit. Atque hæc indifferentia, Princeps, Religio Prudentûm vocatur, quod nomen superbum jam multos fefellit, ex illis maximè, qui videri volunt supra plebem non modicè sapere. Nebr.* Alipi, non sentis, nos iterum pungi? *Al.* Nisi me stupidum credis, utique sentio. Sed profundiùs feriat, est necesse, ut doleat vulnus. *Nebr.* Perge. *Al. Ego fateor, Auguste, prudentis esse, non cuilibet credere, & optimè suspendi assensum, quando veritas reperiri non potest. Sed, quæ Religio â Deo præcepta sit, argumentis constat adeò manifestis, ut applican-*

plicantibus oculos mentis ad seriam considerationem, veritas occulta esse non possit. *Nebr.* Nunc arrigo aures. *Al.* Ego visum intendo. *Circumspiciat orbem Symmachus, percurrat provinicias, interroget ex singulis sectis aliquem: dic mihi, vir bone, cur tu colis Jovem? & tu, cur sequeris Arium? Tu autem cur Manéti adhæres? respondebit alius: quia sic natus sum: alius, quia non habeo alibi, unde alar: alius, quia non decet me à fide Majorum deficere: denique alius dicet: nescio, cur hoc potiùs credam, quàm aliud, nisi, quòd videatur Scriptura hoc potiùs loqui, quàm aliud. Responsa ejusmodi quis non videt esse communia omnibus, & patrocinari cuilibet, atque adeò nulli? verùm ad hominem Romano-Catholicum qui accesserit, audiet: Ego Catholicè credo, quia prudenter dubitare non possum, quin ista Religio sit à Deo.* *Nebr.* Quid tu sentis de hoc discursu? *Al.* Sine, ut absolvam. *Quidquid enim ab adversariis objicitur, aut mendacium est, aut nullius ponderis: quæ autem tenent me in Ecclesia, Argumenta sunt, quibus alia secta nulla potest uti pro se. Quæ enim est omnium, quæ suam originem, ab Apostolis probat? cui tot Prophetiæ suffragantur? quam tot Martyres firmant, & tanta Doctrinæ primùm, deinde morum ad Doctrinæ Regulam formatorum Sanctitas commendat? itaque ex Philosophis etiam, si penitius inspexerunt rationes, propter quas credimus, nemo est, qui non fateatur, fidem nostram esse fidem prudentem: sequitur, Auguste, non esse aliam, præter Catholicam, quæ mereatur Religio Prudentûm vocari.* *Nebr.* Alipi, quid opponimus? *Al.* Solida videtur conclusio. Examinemus ex Dialecticæ regulis, in formam redigo: *sola fides prudens potest habere auctorem Deum.* *Nebr.* Certum est: nam qui rationem homini dedit, haud dubiè postulat, ut in colendo se ratione utamur. *Al.* Atqui *sola fides Catholica est fides prudens.* *Nebr.* Rursus certum, quia *sola* pro se habet rationes nulli alteri *communes.* *Al.* *Sola igitur fides Catholica habet Deum auctorem.* Conclusio est manifesta, & video corollaria sequi, quæ nos omnino jugulant. *Nebr.* Ergò quæ docet fides Catholica

lica, vera ſunt, & contradicere ſcelus eſt: hoc primum. *Nebr.* Certiſſimè, quia contradicitur auctori Deo, & ſumma Veritas ſpernitur. *Al.* Sequitur, non eſſe liberum amplecti fidem quamlibet. *Nebr.* Etiam patet: nam cùm quævis alia in multis contraria Catholicæ ſit, neceſſe eſt, contrariam etiam Deo eſſe. *Al.* Præterea infero, imprudenter agere, quisquis in fide contraria hæret. *Nebr.* Utique, quia temerariè pergit ire viam, de qua dubitare prudenter non poteſt, quin à Deo abducat. *Al.* Denique concludo, teneri obligatione gravi ad inquirendam veritatem, cuicunque de ſua fide prudens dubium incidit. *Nebr.* Et nos negleximus! & adhuc negligemus? *Al.* Finit Ambroſius: *Itaque ne Symmachi preces audias, Magne Cæſar, Conſcientia obſtat, & Officii ratio: una Religio Deum habet auctorem, una habeat Cæſarem Protectorem: poteſtate abuteris, ſi uteris in favorem hominum, qui Deo injuriam faciunt, freti gratiâ, qua per te licet, ut faciant.* Virum invenimus, qui docere veritatem poteſt! *Nebr.* Virum magnum, & dignum, cujus Auguſtinus diſcipulus ſit. Hæc dies, Alipi, finem tot procraſtinationibus faciat: incipiamus Catechumeni eſſe, & nos inſtructioni ſubmittere. *Al.* Opportunè ingrederis, Pater, nam ô quanta ſunt, quæ narrabimus tibi!

SCENA III.

Simpliciamus. Alipius. Nebridius.

Simpliciamus. Ego reſponſum à Præſide poſtulo, quod ad Ambroſium referam. Quid Auguſtinus contra Epiſcopum ſcripſerit, vos mihi narrate. *Nebr.* Imò evénit, quod dixeras: vario, fortíque motu concuſſum eſt pectus legentis Epiſtolam, &, cùm, quocunque ſe verteret, occurreret nihil, quod oppo-

neret solidè, erubuit confusa superbia, quæ ipsum sibi adversùm quoscunque invincibilem mentita huc usque fuerat. *Al.* Illuxit radius ambulanti in tenebris, ac instar fulguris repentè detexit periculum, in quod ibat infelix, jam in margine terribilis præcipitii stans. Ego cum ipso video abyssum, cui nos proximè ignari admovimus; retraho pedem: intelligo, nimis vicinum exitio esse, qui de omnibus dubitat. Potest, potest inveniri veritas, & inquiremus pariter labore novo. *Sim.* Non erit opus magno, sed celeri. Nova dilatio novas difficultates objiciet, quas fortasse minùs superabitis, quàm illas, quæ hactenus tenuerunt. Hodie circumspicite Directorem, qui possit, & velit viam monstrare. *Nebr.* Qualem esse vis, & quas dotes requiris? *Simp.* Duos oculos, Doctrinam, & Sanctitatem. Qui doctus est, & parum sanctus, sæpe fallit: qui sanctus, & parum doctus, facilè fallitur. *Nebr.* Difficiles conditiones sunt, quas in multis conjunctas vix reperies: non enim passim Ambrosii, & Simpliciani occurrunt. *Al.* Si non occurrunt, qui ducant, opinor, hominem litteratum posse sibímet sufficere, si impendat se sedulò in curam salutis. *Simp.* Bene addis, si impendat se sedulò. Nam, quotusquisque est ex Litteratis, qui impendat se sedulò, nisi sit, qui dirigat, & qui urgeat? Alipi, Christus, quem omnes colimus, Pastori bono se comparat. Qualis sit ipse, poterat per alias similitudines explicare: sed quales esse cupiat nos, vix aliud symbolum clariùs explicat. Pastor & Ovis correlativa sunt: si igitur Pastor est Christus, vult, ut nos simus oves. Laudo in ovibus innocentiam, simplicitatem, patientiam, sed, quod Christus exigit, subjectio est, & patientia directionis: *Vocem meam audient.* * *Al.* Si Christus adhuc per se pasceret oves, quis se nollet ejus directioni submittere? Sed quando jam per Ministros pascit, cur non eximas Litteratos

* *Joan. 10.*

teratos? rudes, quid credere, fugere, facere debeant, neceſſe eſt, doceri ab aliis, & moneri, ut agant. Qui autem ætatem triverunt in litteris, cur non ipſi Magiſtri eſſe queant, ſi velint? *Nebr.* Alipi, miror, te hoc diſputare. Scis, quid propter negligentiam Magiſtri nobis, & ipſi Auguſtino contigerit. *Simp.* Sic Deus caſtigat ſuperbiam Doctorum, quos ſcientia inflat. Ecce Alipi, Doctorum pars magna meris ſpeculationibus vacat: maxima impendit ſe praxibus, ſed ad ſalutem ſervientibus nihil. Eſt Philoſophus, qui intervalla ſtellarum metitur; qua via ipſe ſupra ſtellas ſe evehat, nunquam cogitat: eſt Medicus, qui corporum morbis etiam deſperatiſſimis remedium affert, animæ ſuæ periculum ne ſentit quidem: eſt Jurisperitus, qui quàm eloquenter pro alijs dicit, tam miſerè pro ſe obmuteſceret, ſi hodie citaretur ad Judicem Deum. Quòd ſi ponas virum, qui etiam ſciat utilia ad ſalutem, nunquid hominem ponis, quem & intellectus fallere poteſt, & cui ſaltem memoria ſit labilis, & voluntas certè æquè ùt aliorum hominum ad malum prona, ſubjecta tædiis, languori, puſillanimitati, inconſtantiæ, ac innumeris malis, quibus non per ſcientiam, ſed per conſilium adhiberi medicina debet. Unde verò conſilium? tuam ipſe prudentiam conſule: niſi ab omnium rectè Sapientium ſententia diſcrepas, dices, certum eſſe, quòd nemo ſibi conſulat minùs, quàm qui in magni momenti negotio neminem conſulit, præter ſe. *Al.* Potenter peroras. Sed, quid faciam, ſi Director idoneus non ſe offerat, etſi velim? *Simp.* Orandus eſt Deus, ut proſpiciat. Dei ordinatio eſt, volentis, ut homo dirigatur per hominem: hominis oratio facit, ut mittat idoneum, id quod Deus eò libentiùs faciet, quò gratior victoria eſt, qua videt vinci ſuperbiam, quæ â tali ſubmiſſione abhorret.

SCENA IV.

Personæ omnes.

Symmachus. Adest ipse Simplicianus. Responsum expectas ad Epistolam Episcopi tui: vivum habe. Mediolanenses Doctorem Rhetoricæ à me petierunt: Augustinum do vobis; respondebit Ambrosio præsens, quod hodie distulit. Hic vir, hic est, qui retundet superbiam viri in sua facundia se jactantis, velut parem non habeat. Alipi, sicut amici estis, ita adjungo te illis: locus in curia Mediolani vacat, occupabis. Decretum accipe. *Al.* Gratiam tibi faciat Deus pro ista gratia, Prætor: ego faciam, ut te non pœniteat datæ. *Sym.* Uterque suo munere fungatur strenuè. Cogitate, quanto Cæsari serviatis, neque permittite, ut vobis Episcopus imperet. *Simp.* Domine, etiam Ambrosius Aulæ Leges, Aulicus ipse perdidicit: distinguere scit, quid interfit inter Ecclesiasticam potestatem, atque Politicam: non est periculum, ut se immiscat negotiis vestris, nisi vos immiscetis vos suis. *Sym.* Audis, Augustine, ad quos te homines mittam? audaces, insolentes, gratiâ Cæsaris tumidos, & scientiæ opinione inflatos? sume spiritus dignos te, & tanquam leo inter catulos, imbelles latratus sperne. Mediolanum do tibi, campum gloriæ, ubi te efferas triumphator Ambrosii, quem si viceris, attigisti verticem laudis, ad quam aspiras. *Aug.* Optime Prætor, quam de me concepisti, fiducia, vereor, ne te fallat. Audivi, quantus sit vir, contra quem est agendum. Non deest ad pugnam animus, spes victoriæ deest. *Nebr.* *Quid iterum audio? cum Ambrosio etiam pugnabit iste? *Sym.* Ego te, & Ambrosium novi, nihil metue: fama facit majorem vero: victorem gloria æterna manet. Vale.

SCENA

* tacitè.

SCENA V.

Omnes, præter Symmachum.

Simplicianus. Hoc agitur, ut inimicum Auguſtinum Ambroſio feram? hæc eſt, Nebridi, fides tua, hæc ſpes, quam feciſti? infelix! quid igitur reſpondere ad Epiſtolam potes? eja! hiſce ſaltem! *Al.* * Quid eſt? etiam me fefelliſti fiduciâ vanâ, velut apud Ambroſium invenienda ſit veritas? *Nebr.* Pater, iſtos Prætor novi muneris honore ſibi devinxit: ite vani, ite miſeri, quieſcite, gaudete in veſtris gaudiis: meum gaudium eſt, inquirere veritatem. *Aug.* Præter ſpem oblata conditio eſt Rhetoricæ Mediolanenſis: num acceptando malum feci, Pater? *Simpl.* Nullum. Sed nempe qui antè de veritate reperienda deſperaveras, nunc etiam impugnabis repertam, hoc malum eſt, hoc peccatum in Spiritum ſanctum! hypocrita! ſic te iſta Epiſtola commovit? *Aug.* Tu iraſceris mihi; mereor diu: ſed hodie non reſpondeo. Divinam Providentiam adoro, quæ ſic votis velificata eſt meis. *Nebr.* Quæ vota jactas? utique vanitatis, jactantiæ, gloriæ? tale tu tibi theatrum Mediolani gratularis! *Aug.* Etiam tu erras. Ego invito vos ad Numen adorandum; quod proſtat in iſta Aula: venite mecum. *Al.* Quid enim poſtulas? ad idolum nos duces? *Aug.* Inter media Idola neglectam unam vidi imaginem Providentiæ: hanc adoro. Ingredere, Simpliciane, judica, num malè agam. * Ecce hic Oculus in me reſpexit, etiam cùm tergum verterem. O Ocule miſericors! Ocule clemens, unde hoc merui! *Simp.* Niſi nos decipis, narra, quid velis. *Aug.* Alipi, Nebridi, vos eſtis teſtes, quantis deſideriis, cùm legi Epiſtolam, exarſerim ad videndum Ambroſium. Rediit ſpes, & cum ſpe cupido inveniendæ veritatis. Intro

* ad Nebridium. ** exhibetur divinus oculus.

tro ad Præsidem, narro, quàm possem invenire nihil, quod Ambrosio confutando serviret. Ille (stupete hìc bonum Numen) ille tædiô ex discipulis concepto, de quibus sæpe questus fueram, affici me interpretatus, ut solaretur, & animaret: nihil refert, inquit, quod Romæ non feciſti, Mediolani, ùt opinor, præstabis. Simul decretum porrigit, officii proventum, & decus laudat, adversùs Ambrosium concitat. *Simp.* Et quid tu? *Aug.* Quid facerem? Politicè cum Politico egi: spopondi facturum, quod possem. *Nebr.* Et quid facies? *Aug.* Quod facere nisi difficillimè, nunquam potuissem, nunc gaudens facio: eo Mediolanum, ut ibi Ambrosio fruar. *Simp.* Siste modò: dic, quo animo ibis? ut disputes? ut vincas? ut jactes te? *Aug.* Ut discam veritatem, Ambrosium Magistrum cupio. *Nebr.* Hæc vox est bona! *Al.* Hæc facit bonum! *Simp.*

Et sanctum facit, si, quod dixisti,
citò facis. Eja citò!

O. A. M. D. G.

MEDI-

MEDITATIO III.

AUGUSTINI LUCTA ANTE CONVERSIONEM

ARGUMENTUM.

Conciones S. Ambrosii, & freqentior conversatio cum Simpliciano jam id effecerant in Augustino, ut intelligeret, fidem Romanam solam ad salutem prodesse. Quò minùs tamen se illi per Baptismum statim post cognitam veritatem adjungeret, difficultas obstitit, quam vitium carnis objecit, diuturna consuetudine roboratum, & ante dignam sacramenti susceptionem utique damnandum, *veríque doloris, ac serii propositi* Exercitiô sollicitè execrandum, id quod tunc Augustinus impossibile factu sibi esse credebat, scilicet metienti se ex viribus suis, & de viribus Gratiæ adhuc diffidenti. Videatur *liber octavus Confessionum*, ex quo desumpta est hodiernæ nostræ Meditationis

Materia: Augustini difficilis Lucta contra pravam consuetudinem.

Puncta duo: Primum, Lucta cum Intellectu,
Secundum, Lucta cum Voluntate.

Fructus: Correctio *voluntatis infirmæ*, & novæ vitæ difficultates metuentis.

Prope-

Propositum. Obfirmare se contra quemcunque laborem in morum correctione subeundum, & *in specie* animare se per fortem Spem in Dei gratia, ejúsque opem oratione *seria*, & *fervente* implorare, qua qui utitur, testatur Deo, quòd, si nondum verè doleat de suis peccatis, saltem doleat, se nondum dolere, atque ita disponitur, ut recipiat gratiam, sine qua dolor est nullus.

PERSONÆ

S. Simplicianus.
S. Augustinus.
Alipius.
Nebridius Augustino Familiaris.
Navigius, ejusdem Frater.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem Præteritam, & Præparatio ad præsentem. (a)

Anima meditans. Angelus explicans.

Anima. O Miserrima miseria!
Condite radios aurea sidera!
Pereat dies, in qua natus sum!
Et nox, in qua dictum est, conceptus est homo! Job 3.
Heu! homo infelicissimus,
Destinatus æternis ignibus!

Aria.

(a) Exhibetur Cœlum stellis coruscans.

Aria.

O Cœlum,
Quot ſtellis illuſtratum,
Tot fruſtra deſideriis
A me deſideratum!
Actum eſt! perii!
Excidi ſpe!
Sperent te alii:
Actum eſt de me!
Rupes liqueſcite!
Silvæ miſereſcite! ...
Nunquam videbo te
Patria dulciſſima,
Terra beatiſſima!
Heu me!

Angelus. Quæ audio lamenta? quos gemitus?
Anima. Recede, bone Angele, recede à me,
Quia receſſit à me Dominus.
Angelus. Quid ita? nunquid expugnata eſt *pigritia*,
Abrupta *procraſtinatio*, incepta Converſio?
Anima. Incepta eſt: quid profuit?
Iterum tentata ſum.
Angelus. *Vita eſt militia.* Pugnâſti? Job. 7.
Anima. Pugnavi, & vici ſemel, aciterum.
Sed rediit vexatio!... perdita ſum!
Angelus. Anima miſera! ... non tamen perdita.
Erige animum Chariſſima!
Adhuc video Cœlum tibi propitium.
Bonus eſt Dominus.
Anima. Bonus Ipſum diligentibus, non mihi!..
Rumpere cor, dolore rumpere!
Angelus. Moderare triſtitiam! ſuſpice!

Aria.

Nullus micat in Cœlo Cometa,
Mali tibi instantis Propheta:
Placida sidera
Certa sunt Symbola
Non tonantis, sed donantis
Tua tibi scelera.

2.

Nemo pejùs, & stultiùs errat,
Quàm qui, *cùm peccavit*, desperat:
Antea metue
Deum Offendere:
Post patratum jam peccatum
Spes medelæ est à *Spe*.

Anima. Estne possibile, ut Deus in gratiam recipiat me,
Toties relapsam, toties fædifragam!
Angelus. *Fornicata es cum amatoribus multis,* Jer. 3.
Tamen revertere, dicit Dominus, & ego suscipiam te.
Anima. O verba plena dulcedine! revertar igitur,
O Deus, iterum revertar ad te.
Sed quid jam jubes facere,
Ne rursum succumbam in novo certamine?
Angelus. Vi pravæ consuetudinis
Facta est tibi voluntas inconstans, & *debilis.*
Huic malo feret remedium,
Quod Augustino Ambrosius dedit consilium:
Tota Conversio innititur uni Principio;
Ne sis pusillanimis.
Considera, applica.
Anima. Volentem Deus adjuva.

Aria.

Aria.

Anima. Confusa pudore,
Et novæ malitiæ
Tremens horrore,
Angelus. Non tamen sine Spe,
Ambo. O Deus coram te,
En anima prosternit se!
Prostratam respice!

2.

Angelus. Confirma labantem,
Da fortem animum!
Anima. Metu trepidantem
Sustenta spiritum!
Ambo. Dabis Victoriam,
Anima. Si des, ut pugnam strenuam
Pugnare *audeam*,
Si des, *ut audeam*,
Ambo. Dabis victoriam.

MEDITATIONIS II.

De Lucta Augustini

PUNCTUM I.

Lucta cum intellectu.

SCENA I.

Alipius. Augustinus.

Alipius. Impatientem me facis. Nam, quæ sunt istæ aliæ ex allijs moræ? jam Pascha imminet, & cæteri Catechumeni certatim Baptismum expetunt, multísque modis ad recipiendam Sacramenti gratiam præparantur: tu, post auditum Ambrosium, post dubia de fide soluta, post detecta, quibus Romanam Ecclesiam vilem nobis Hæretici fecerant, mendacia, denique post inventam, quam terrâ, marique inquisivimus, post inventam cum incredibili gaudio veritatem unius fidei, cessas adhuc lentus, & novas difficultates objicis? Homo temerarie! mihi tua amicitia nocet: rumpatur! accedo Episcopum, & inter baptismi Candidatos me scribi rogo. *Aug.* Non impedio. Tibi baptismus gratiam, mihi exitium ferret, si nunc susciperem. Justa est causa moræ: culpam imputa Simpliciano. Herì aderat, & quousque progressus essem in Doctrina fidei, examinabat. Credis, aiebat, Deum unum, & trinum? Credo, inquam, etsi non capio. Credis, urget ille, Dei Filium pro te passum, ac mortuum esse? Credo, & adoro amorem. Credis, post hanc vitam supereſse aliam, aut æternùm felicem, aut æternùm miseram? etiam hoc credo, respondi, imò postquam credo, Dei filium *animæ causâ* mortem oppetiisse, stulta est dubitatio, an anima sit immortalis: non potuit Mercator Sapiens

infini-

infinitum pretium expendere, ut vitam mihi emeret, *quæ habeat finem. Al.* Convincens ratiocinatio est. *Aug.* Perrexit: credis, ad vitam illam beatam unam esse viam, ex Ecclesia Christi? Assentior iterùm, dixi, nam verba Christi convincunt? (a) *qui non crediderit, condemnabitur.* Instat ipse: credis, Ecclesiam Christi non esse aliam, præter Romanam? Credo, aio, neque possum prudenter dubitare, cùm nulla sit alia, quæ suam à Christo probare originem possit. Quærit ampliùs: credis, quòd, quæ semel Ecclesia Christi fuit, nunquam potuerit à doctrina Christi deficere, & errare? affirmo, & palpo manibus, dicebam, quòd, si, Ecclesia Christi in sua doctrina vel *in uno articulo* contradicere doctrinæ Christi posset, & errare, necessariò consequatur, errare eam posse *in quolibet alio*, atque adeò incertam esse omnem Scripturam, incertam omnem interpretationem, incertam omnem traditionem, *dubia omnia*, cessaréque omnem obligationem credendi. *Al.* Haud dubiè: nemo enim tenetur credere id, de quo est dubium, an Christus docuerit: & Ipse *aut non potuit* nos obligare ad credendum doctrinæ suæ, *aut debuit* interpretem suum, qui est Ecclesia, infallibilem reddere. *Aug.* Nempe sicut Prophetas, & Apostolos reddidit. Itaque, quid vis ampliùs, exclamo tandem: *credo omnia, quæ credit Ecclesia Romana*, quid me prohibet baptizari? *Al.* Ah! & hodie rursum à baptismo abhorres? quæ levitas! quæ inconstantia! *Aug.* Audi, quæso! callidè huc me Simplicianus deduxerat. Mox ùt audivit confessionem fidei tam plenam, & absolutam, protrahit Biblia de sinu, explicat, legit textum ex Epistola prima Pauli ad Corinthios capite sexto: en habes. *Al. Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Aug.* Attonuit me ista lectio, & obmutui: videbam enim, in angustias me esse redactum

(a) *Marc. 16.*

ctum, unde non foret exitus. *Al.* Et quid hìc Presbyter? nam debebat premere. *Aug.* Spatium respirandi non dedit. Credis hoc, Augustine, credis hoc? ingeminabat. Ego, qui sine repugnantia dixeram *credo omnia, quæ credit Ecclesia Romana*, nunc hæsitabam. Ipse verò, Epistola Pauli est, inquit, Epistola Canonica, Verbum Dei est: ita docet Romana Ecclesia: credis? *Al.* Revocâsti professionem? *Aug.* Haud equidem, sed cum suspirio: difficilis Articulus est! dixi. Et Simplicianus, vah, intulit, nónne multò difficiliores Articulos credis? Deum in una natura Trinum, Filium Dei occisum, animam immortalem: & dubitas, an rapaces, an adulteri, an fures, an idolorum cultores excludendi sint à Regno Dei? respondi: de istis admitto; merentur enim excludi à Societate beatæ vitæ: de fornicariis, Pater, nimis severa videtur Pauli sententia. Tum ille iratus: Pauli sententia, inquit, est Dei sententia, & tu nempe corriges Judicium Dei? Deo fornicarii videntur digni æternâ pœnâ, Augustino non videntur: quis errat? terribilis interrogatio fuit, ad quam Simplicianus responsum non expectavit, sed negans me esse dispositum ad recipiendam baptismi gratiam proripuit se, postremùm hoc admonens, ut *per piam affectionem* inclinarem me studiosè ad fidem Divino Verbo *sine exceptione* præstandam. Hoc opus nunc molior, opus arduum, ut captivem intellectum in obsequium hujus articuli: *fornicarii Regnum Dei non possidebunt.* *Al.* Ah! me tædet ista toties ex te audire. Nam quousque! .. *Aug.* Condono hanc impatientiam innocentiæ tuæ! abi, ora pro me.

SCENA II.

Alipius. Nebridius.

Alipius. Et, quæ est demum pertinacia, si ista non est! opportunus ades, Nebridi, nam ego meis quæstibus non invenio

venio modum. *Nebr.* Heu me! iterum vana spe nos Augustinus delusit? non ibit nobiscum ad Præsulem, ut pro baptismi gratia supplicet? *Al.* Herì promissa, avolârunt cum verbis. Ego nihil spero de viro tam vario, & mihi hæc amicitia quò magis protrahitur, hoc magis est noxia. *Nebr.* Inventa est veritas, quid ampliùs quærimus? etiam sine Augustino nos Ambrosius recipit: eamus, petamus baptismum soli! fortè exemplum nostrum fortiùs, quàm verba trahent: certè consulimus nobis, & à periculosa procrastinatione cavemus. *Al.* Propè absum, ut persuadear. Timeo sanè, ne per moram novam incidam in malum antiquum, quod me Romæ vix non oppressit. Nebridi, ingenium viri, eruditio, & Sapientiæ studium me in Africa ipsi conjunxit, quo fructu? (b) *auctoritate sua* in hæresin Manetis me traxit. Evasi ex hoc Labyrintho ipsius operâ, qui seduxerat: quid tum? idem iterum in tetriorem voraginem me præcipitem dedit. Romæ, quàm magnum desiderium veritatis advenientibus fuit, tam citò per procrastinationem defecit, quam excepit desperatio inveniendæ. Inde quàm ad alia omnia quærenda uterque effusi simus, tu nôsti, amice, & deplorâsti: nihil minùs agentes tamen, bonus Deus Mediolanum misit: subiit nova spes, novâque cupido veritatis: inventa est, quid juvat? sentio fatale frigus, quod ex ista conversatione se propagat in me. Quæ desiderata delectabat tantopere, jam reperta vix afficit veritas: voluptas plùs agit, nempe cujus sicut experientiam nullam habeo, ita iste mihi curiositatem excitat tam vehementer, (c) *ut vix me teneam, ne experiar.* Vides, in quanto periculo sim. *Nebr.* Profectò tempus est, ut eripias te. Audiamus Simpliciani consilium. Ut ades in tempore, Pater, operà est opus tuâ, ut soleris Alipium.

SCENA

(b) *L. 6. Conf. c. 7.*
(c) *L. 6. Conf. c. 12.*

SCENA III.

Simplicianus. Alipius. Nebridius.

Simplicianus. Ego adsum, ut Augustino impendam, sicut herì addixi. Postquam ille meæ se directioni submisit, ùt filium diligo, & bona spe ago. Non eadem vos solatur, nunc maximè, postquam veritati porrexit herbam, se victum fassus? *Al.* Nos suscipe, quæso, istum abdica: dedecori tibi est nomen Patris de filio tali. *Simp.* Hoc Deus, hoc Ambrosius nolit, qui animam hanc nobilem tradidit curæ meæ. *Nebr.* Scilicet ne operam perdas, & oleum, hic noster est timor. *Simp.* De me timete, de Deo sperate. Nihil est Deo difficile. *Al.* Sed qui nolentem non cogit, tandem deserit. *Simp.* Sic est. Non omnibus exhibet Deus longam patientiam: misericors in aliis, in aliis severus est, nunquam injurius. In Augustino, ùt appareret, longanimis est: divitias suæ bonitatis si vult in ipso ostendere, eia, cooperemur alacriter, & non deficiamus. Me, de quibus narrâstis mihi, lacrymæ Monicæ in fiduciam erigunt: cum Presbytero Africano judico: *ut filius tantarum lacrymarum pereat, non potest fieri.* *Al.* Credo, nisi tamen obstinatè perire velit. *Simp.* Etiam obstinatio morbus est. Expectandus est motus aquæ, & cùm descenderit Angelus, mittendus in piscinam æger, ut sanus fiat. Felix, qui hominem habet juvantem se, quando *de ordinaria lege* non aliter hominem juvare, nisi per hominem statuit Deus. Amici, vos de Augustino nimis abjectè sentitis. Nondum fecit totum, quod ad conversionem requiritur, sed neque nihil fecit. Manichæos deseruit, ab Academicis discessit, fervore novo in veritatis inquisitionem incubuit, vicit superbiam, Catechúmeni gradum suscepit, denique Directorem admisit, cui conscientiam credat, quem in dubiis consulat, à

quo

quo solatium admittat in difficultatibus, quæ se objicere meliora cogitantibus solent. Quid? hæc omnia qui fecit, parum, aut nihil feciſſe vobis videtur? *Nebr.* Quid juvat, se submisisse tibi, si nihil obediat? *Al.* Ego, Pater, artem dirigendi animas non intelligo. Agendum tamen aiunt, quod Medici agunt, qui si plura remedia sine effectu adhibuerint ægroto, ne tempus, & famam perdant, dicunt: (d) *curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam!* & laborem ad alios utiliùs transferunt. *Simp.* Omnino, si spes frugis est nulla, probo, quod dicis: neque enim Sapientis est littus arare. Sed hoc tu de illis loquere, qui nulli Directori se credunt, sibi solis sapientes, quod stultorum est proprium. Isti enim, vel, quòd ægrotent, non sciunt, vel amant morbum, & nolunt sanari: secùs de Medico quærerent. At, qui curam sui à viro idoneo suscipi cupiunt, digni sunt, ut cum cura curentur. Mihi ille Pastor non placet, qui, postquam ovis aberrans ad primos clamores non redit, mox abjicit animum, & cessat officiô fungi. Si Pastor vult esse, laborem non fugiat, fugitivam persequatur, perditam per montes & valles requirat, relictis etiam nonaginta novem alijs, quibus non opus est curâ tam anxia. Quodsi persequi fugientem decet, quantò diligentiùs occurrendum est stanti, & dubitanti de via? qui statim deserit animam, quæ directionem non sequitur, superbus est, & credit, animæ correctionem opus esse suum, non Dei: aut, si Dei esse credit, cur retrahit ab aratro manum, priusquam sciat, decreviſſe Deum, nec pluviâ, nec rore ultrà rigare terram, huc usque frugiferam nihil. Nostrum est, quicunque animarum curam suscepimus; nostrum est removere *lapidem à sepulchro:* id postquam fecimus, si non continuò surrexerit mortuus, num ideò reponendum est saxum loco? abeundem à tumulo? Imò patienter expectare debemus, donec ei, qui jussit lapidem tollere, placeat inclamare

(d) *Jer.* 51.

cadaveri voce omnipotenti: *Lazare, veni fordò!* frustra Spiritui tempus determinamus: quando vult, spirat, & non est utilis animabus Director, impatiens moræ. *Nebr.* Laudo zelum, & fiduciam zeli. Sed hoc, Pater, non capimus nos, quòd sperare bene de illo possis, qui de se ipse jam desperavit. *Al.* Negat Augustinus (tu scis) negat, se posse credere, quòd fornicarii à regno cælorum sint excludendi, negat, quòd carnis vitium sit flagitium grave, negat denique, se posse castè vivere, nisi miserè: quid sic persuaso suadebis? *Simp.* Ecce hic ipse lapis est, quem jubet Dominus, ut removeam ab ostio monumenti: laborabo, ut ab intellectu incipiam, & convincam, quòd possit. *Al.* Nihil afferes, quod non jam attulimus: disputando Augustinus non vincitur facilè: propria magnis ingeniis est pertinacia, tunc minimè expugnabilis, cùm amant errorem. *Simp.* Disputando non cupio vincere, rogando vincam. *Nebr.* Quid rogabis? *Simp.* Ut hebdomadam saltem unam experiri velit, quid possit. *Al.* Hebdomadam unam castè vivere, quid hoc prosit? *Simp.* Plurimùm. Nam post hebdomadam redibo, & rogabo, ut alteram, ut tertiam, ut quartam adjiciat. *Nebr.* Etiam hoc parum est. *Simp.* Minimè. Nam, uti magnis ingeniis molestum est ab alijs de errore convinci, ita jucundum est, convinci à se; experimentum in Augustino jam à me Romæ factum meministis. Jam quid putatis? Si hebdomadam unam, si alteram, & tertiam castus vixerit Augustinus, nunquid propriâ convictus experientiâ intelliget, se errâsse? *Al.* Prudenter, Pater, & ad solatium mihi: respirat spes mea, si tamen hoc saltem impetres hodie, ut hebdomadam unam promittat. *Nebr.* Lentum remedium affers. Si tamen Deus expectat patiens istam moram, decet, Alipi, ut patiamur & nos, quod corrigere modò non possumus. Pater, aggredere sanctum negotium. *Simp.* Quid agit? *Al.* Secum disputat, an credendum sit Paulo, fornicariis cælum claudenti. *Simp.* Laudetur

Deus

Deus! Auguſtinus ſigna bonæ indolis, & animi haud ſanè penitus corrupti habet. Si abjeciſſet Paulum, ſi negâſſet oculos textui, ſi occurrentem memoriæ, inſtar blasphemæ cogitationis excluderet, tum verò malè de viro ſentirem: nunc hæc inquies, hoc ſtudium inveniendi, quid opponat, judico, indicium eſt mentis averſantis in peccato malitiam, & tantùm fragilitatem excuſare contendentis: Cùm intellexerit, inanem etiam hanc contentionem eſſe, credite mihi, ſuperabit naturam gratia, & *voluntas imperioſa* redibit in dominium, quod carni muliebriter ceſſerat. *Al.* Jucundum vaticinium eſt: date Superi, ut citò videamus eventum. *Simp.* Orate! amici eſtis: non poteſtis amicum juvare potentiùs, quàm orando. A cœlo venire auxilium debet mihi, ut loquar cum fructu, Auguſtino, ut me audiat cum profectu. *Nebr.* Me miſeret hominis. Exequamur conſilium in vicino ſacello. *Al.* Socium habes.

SCENA IV.

Simplicianus. Auguſtinus.

Simplicianus. Sic eſtis amici boni. Invenio abſorptum in Paulo. Nunquid, Auguſtine, an non reperias locum tibi mitiorem requiris? fruſtra es. Nunquam ſibi contradicit Apoſtolus: *fornicarii regnum Dei non poſſidebunt!* eſt veritas fidei. *Aug.* Video, Pater, me reluctari non poſſe, niſi rurſum à fide deficiam. *Simp.* Quid igitur decretum eſt tibi? adhuc vitæ caſtæ propoſitum horres? *Aug.* Ah! ingens amor veritatis ſemper fuit, quòd crederem, in ejus amplexu beatum me fore. Decepi me: miſerum ipſe amplexus facit! *Simp.* Beatum Baptiſmus faciet, ſi accedis cum ſerio dolore de commiſſis peccatis, & cum vero propoſito de non repetendis. *Aug.* Tu ſemper propoſitum urges. Si non ſervabo, quid prodeſt? ſi ſervabo

vabo autem, vitam tristem, ac tædiô plenam vivam. *Simp.* Ecce! vitam tristem! nondum planè desiit Epicurus exercere in te imperium, quod permisisti. Augustine, non est tibi *de beatitudine hominis* sensus bonus, & ego hoc affirmo, non solùm beatitudini vitæ futuræ, sed præsenti etiam hominis felicitati nihil magìs opponi, quàm amores prohibitos. *Aug.* Thesin ponis, quam si probaveris, captivam cum intellectu forsitan & voluntatem trahes. *Simp.* Gaudeo occasionem offerri de beatitudine disputandi cum viro erudito in sententiis Philosophorum. Sed altiùs exordiendum est, & paulò longior sermo habendus, si pateris moram- *Aug.* Avidè audio. *Simp.* Consideamus, & agamus pacatè. *Aug.* Omnino hoc cupio, & ideò necesse erit ante omnia, ut conveniamus *in nomine*, & quid nempe hæc vox, *beatitudo*, significet. *Simp.* Volebam hoc ipsum monere. Certum est enim, quòd, sicut nemo compos rationis est, qui non intelligit, dari aliquem Deum, sic nemo unus sit, qui non appetat beatus esse: verùm sic etiam nomen *beatitudinis* tributum est sæpe ipsi miseriæ, prorsus sicut nomen Dei à malè sanis impositum est lapidibus ac truncis, ipsísque dæmonibus. Tanti refert ideam veram de re formare, quam vox repræsentat. *Aug.* Omnino tanti. Tu igitur quid intelligis per hanc vocem, *beatitudo?* *Simp.* Cum Sophis loquor: *Beatitudo est omnium bonorum secura possessio.* *Aug.* Placet descriptio. Certum est enim, Deum beatum esse, nec esse beatum aliter, quàm, quòd *habeat omne bonum*, & habeat *securè*, sine metu perdendi. *Simp.* A definitione descendamus ad divisionem. Complector omne genus, si dico, unam esse beatitudinem vitæ *futuræ*, alteram *præsentis*, seu quod idem est, unam *in re*, alteram *in spe*. *Aug.* Quod idem est, inquis, quasi supponeres, hujus vitæ beatitudinem *in re* nullam esse, totam *in sola spe*. Loqueris contra communem hominum sensum, quorum plerique beatitudinem utramque appetunt, aliqui etiam præsen-

tem

tem ſolam, de futura aut nihil credentes, aut ſperantes nihil. *Simp.* Communis error ſanæ rationi non prævalet. Qui putant, in hâc vita ſe poſſe beatos eſſe, Auguſtine, in quibus rebus beatitudinem ſuam conſtituunt? ah! in bonis corporis, bonis animæ, bonis fortunæ, quorum aliqua non merentur nomen boni, omnia poſſidentur parum ſecurè. Bona fortunæ caſus diſſipat, bona corporis mille morbi peſſumdant, bona animæ corrumpunt curæ, timores, tædia. Denique cum vita omnia mors aufert, ſæpe minimè opinantem occupans. Ubi igitur in hac vita, & quando, & quamdiu, aut *omnium bonorum*, aut etiam aliquorum eſt *ſecura* poſſeſſio? *in re*, Auguſtine, nunquam, & nusqam eſſe poteſt, *in ſpe* tantùm. *Aug.* Seria conſideratio eſt. Sed mihi videris tuæ diviſioni contraria dicere: nam beatitudo, quæ eſt *in ſpe*, *in præſenti* eſt nulla, neque adeò debebas duo genera beatitudinis ponere: quod enim ſpero, futurum eſt, non eſt præſens. *Simp.* Adverte vir bone, ne confundas ſpem, &, quod vocamus, objectum ſpei. Objectum ſpei futurum eſt, quis hoc negat? ſed ſpes eſt præſens: *hac ſpe* beatus ſum jam nunc, in vita hac. *Aug.* Nunc puto, me aſſequi ſenſum animi tui. *Spes futuræ beatitudinis eſt ipſa beatitudo vitæ præſentis*, nunquid hoc dicis? *Simp.* Ita eſt. Non divitiæ, non opes, non deliciæ ullæ, ſed ſpes, Auguſtine, ſpes vitæ futuræ conſtituit beatitudinem vitæ præſentis. Spe hac qui caret, beatus non eſt, etſi cætera bona omnia habeat: ſpem qui habet, beatus eſt, etſi cæteris bonis omnibus careat: atque adeò ut ſis beatus in hac vita, ſpes ſola ſufficit, ſine ſpe nihil. Lætus forſan eſſe potes ſine ſpe, beatus non, niſi beatum vocare velis hominem, qui per maniam vel ſomnium lætus eſt, & velut aſſidens convivio plaudit ſibi. Sed nempe ejusmodi beatitudo evaneſcit ad ortum ſolis, nec tanti eſt, ut ab homine ſano appetatur. *Aug.* Nova hæc mihi ſententia eſt. *Simp.* Nem-

pe quia Evangelica: (e) *beati pauperes, beati, qui esuriunt, beati, qui patiuntur*, & utique non solùm beati *futuri*, nam *beati estis*, ait Christus, nempe quia *beatitudo præsens* constituitur *in spe futuræ*. Fidei suffragatur etiam ratio. Recole animo beatitudinis conceptum. *Beatitudo est bonorum omnium secura possessio*: talis possessio non datur in hac vita, nisi in spe: non datur igitur nunc beatitudo, nisi in spe. Quid? num rectè colligo? *Aug.* Rectè omnino, & ego video inanes esse omnes contentiones ac labores, quibus consumimus nos, nisi huc tendant, ut obtineamus spem vitæ futuræ. Unum adhuc est, quod opponam. Si beatus est, qui habet spem, beati omnes sumus, qui vitam futuram credimus. Quis enim est, qui hoc credit, & non sperat, beatum se fore? *Simp.* Bene opponis. Sed distinguere inter spem & spem est necesse: nam, cùm beatitudo sit *secura* possessio, patet, non à quavis spe hominem beatum fieri, sed à spe illa sola, quæ securum beatitudinis facit, & quæ non in vana opinione, sed *in Dei promissis fundatur*. Omnes sperant, beatos se fore, quo Argumento sperant? Alii putant, se peccata jam expiâsse, postquam obiter percusso pectore reos se esse confessi sunt; fallax persuasio est: alii credunt, nunquam fore, ut moriantur, priusquam rite dispositi sint; temeraria præsumptio est, non est spes. *Aug.* Si tu hoc exigis, ut spes *securum* beatitudinis faciat, vide, ne teipsum ferias. Conclusio enim sequitur, quòd in hac vita nemo beatus sit, nemo enim, dum vivit, *securus* est de salute: sic audio etiam vos docere. *Simp.* Augustine, hìc verbô abuteris: certitudine fidei *certus* est nemo de salute, hoc docemus: at *securus* esse possum, si seriò volo. Pone, filium rustici adoptari à rege? certúsne est, se regni hæredem fore? *Aug.* Non sanè, nam multi possunt obstare casus. *Simp.* At securus est tamen, & regio verbo fidens nihil anxius expectat sceptrum, spe sua felix, qua certum est ipsi regnum, quamquam ipse de regno certus non sit.

Aug.

(e) *Matt. 5.*

Aug. Subtilis est disputatio, & litigamus de verbis: tu docerem. Quæro: perire timeas, an non? *Simp.* Timeo vehementer. *Aug.* Si securus es de salute, cur times? *Simp.* Timeo, quia *certus* non sum. Cæterùm per hoc ipsum *securus* sum, quia timeo, & timere me scio. *Aug.* Mysteria loqueris. *Simp.* Plana sunt omnia: (f) *Beatus homo, qui semper est pavidus!* verba sunt Oris Divini, *beatus* utique, quia *securus* beatitudinis, non quia certus, nam qui certus est, non est pavidus: quid vis ampliùs? *Aug.* *Nescit homo, utrum odio, an amore sit dignus,* idem Oraculum loquitur: quis igitur est securus? *Simp.* Qui propter hoc ipsum, quia nescit hoc, semper est pavidus. Hic enim pavor parit spem, & spes beatum facit: non enim est pavor anxius, qui spei dulcedinem corrumpat, sed pavor cautus, pavor qui facit, ut peccata præterita deflere nunquam desinam, & contra futura omni diligentiâ me obarmem. Breviter: quia certus non sum de salute, ideò timeo, quia timeo, cautus sum, & quia cautus sum, *securè* spero, securitate, quæ in bonæ, quietæque conscientiæ testimonio fundat se: hæc spes beatum facit jam nunc, in vita hac. *Aug.* Video ad lumen Rationis aliam imaginem Beatitudinis, quam qualem mihi pinxerant passiones, & phantasia. Qui credit, supereſſe vitam aliam post vitam hanc, si vult jam nunc beatus esse, huc debet conniti totis viribus, ut perveniat *ad spem securam* futuræ felicitatis. Cùm abest ista spes, necesse est, ut adsit aut tristitia, aut insania, hoc est, *mera miseria*: evidenter intelligo. *Simp.* Utique. Nam si quis vivit *sine spe* vitæ melioris, aut non percipit, quid illa vita sit, quod insani est, aut si capit, fieri non potest, ut non sit tristis. Nunc reflecte animum, Augustine, ad nostram thesin: ajebam, etiam *hujus vitæ beatitudini* nihil magis opponi quàm amores prohibitos, sine quibus tu miseram vitam putas. Argumentare. *Aug.* Sentio vim: *Beatitudo hujus vitæ consistit*

(f) Prov. 8.

consistit in spe alterius: Spes nulla est, *nisi ex timore*, qui cautelam imperat, ne Deum offendam: & huic timori, ac cautelæ nihil magis opponitur, quàm libertas amorum: video omnia! *Simp.* Et planè sequitur: ergò nihil magis opponitur præsenti etiam Beatitudini, quàm!... nulla ratio huic Soriti resistet. *Aug.* Diutiùs ruminari me sine doctrinam tam solidam. *Simp.* Gaudeo, quòd velis. Sed en! quis huc?

SCENA V.

Accedit Navigius.

Augustinus. Superi! fratrem egò video! *Nav.* Salve Frater! cum Matre adsum. Per terras, & maria sequitur Monica Augustinum, tristitiam habens, ùt mulier cùm parit, donec te Christo pepererit. *Aug.* Navigi, hic mihi Pater in spiritu est: venerare. *Nav.* O Pater optime, ùt Angelum salutis colo. *Simp.* Lætus occursus est, & omen bonum. Cæterùm tu istum titulum Ambrosio tribue: ego Præsulis interpres sum. *Nav.* Et quam spem mihi de fratre facis? *Simp.* Saluta Matrem, Augustine: ego, si permittis, comes eo. Videre Monicam juvat, & audiet; quæ ad solatium sint. *Aug.* O pia Mater, quousque fatigo te! sed eamus! videat lacrymas suas non esse steriles, ut lacrymetur ampliùs. *Nav.* Ut lacrymetur ampliùs! atqui tuum est, ut abstergas. *Aug.* Opto, ut possim. *Simp.* Dabit Deus.

CHO-

CHORUS.

Anthropus cum novæ vitæ difficultatibus luctans animatur à Spe, modúmque vincendi tentationes docetur.

Anthropus. Gratia. Timor. Fides. Spes *in persona Architecti.* Quinque Sensus. Septem Vitia Capitalia *in persona Militum.* Consuetudo prava, primùm *in Oeconomi*, deinde in *Belliducis* persona.

Visus. VAh! vita Melancholica!
Tactus. Nusquam ullæ se movent aviculæ.
Odoratus. Quò aufugistis nostræ deliciæ?
Auditus. Quò abiistis gaudia? quò cantus, & carmina?
Gustus. Ubi sunt mei *cucumeres*, *porríque*, *& cepe*, *& allia*?
Omnes. Disparuerunt omnia! (b) num. 11.
Vah vita Melancholica!
Gratia. Abi scelestе, abi pestis! æternùm isthinc exula! (c)
Consuetudo. Procul non abeo. Insulta ferox gratia!
Non diu eris Domina. Exeo, rideo, redeo.
Visus. Prô! ejicitur etiam Oeconomus! quid agitur?
Gustus. Nutritius eripitur?
Consuetudo. Nolite pro me dolere, chariſſimi!
Vos, vos estis miseri.
Ego in exilium, vos ibitis in carcerem.

(a) Sensus redeunt à deliciis, quas ex fuga retrahere frustra studuerunt.
(b) Symbola sensualium voluptatum. (c) Consuetudo ex ædibus ejicitur, & abit cum sarcina scelerum.

Gratia intus dominatur:
Timor ſilvam excidit,
Fides aream deſignavit,
Et in ea Spes jam arcem architectatur:
Surrexit Templum, Armamentarium, Curia,
Struuntur muri, turres, & propugnacula:
Verbo: Carcer, carcer vobis paratur.

Auditus. Heu! pater in tyrannum mutatur?

Quinq. Senſ. Miſeri ſumus, miſeri filii!

Conſuetudo. Quare fertis patienter, & taciti?

Aria.

Eſte fortes, repugnate!
Nihil juvat gemere.
Agitur de libertate;
Currite, defendite!
Arma juvat expedire,
Bella juvat gerere:
Nobiles ſub jugum ire
Nunquam ſolent animæ.

Auditus. Conſilium ſuggeris generoſum,
Sed quo fructu? qua ſpe?

Conſuetudo. Audite me. (*exivi:* Luc. 11.
Ego paulò pòſt *revertar in domum meam, unde*
Vado, & aſſumo ſeptem alios Spiritus nequiores me,
Quorum ſi vel uni portam unam veſtrûm unus
Ingrediemur, arcem vaſtabimus, (aperiet
Et erunt poſteriora pejora prioribus.

Viſus. Placet, quod ſuades. Sed quid?
Si pater diffidens claves portarum nobis auferat!

Conſuetudo. Ut ſit mitior, & aliquid indulgeat,
Fingite, (d)

Sub

(d) Fraus diaboli contra incipientes.

Sub novis legibus haud invitos vos vivere,
Modò liceat interdum exire,
Et *auræ liberioris* beneficio
Tædia mancipatûs lenire.

Odoratus. Sapis, amice! fædus sit tecum perpetuum;

Omnes. Fædus sit perpetuum!

Consuetudo. Sit perpetuum! Intrate:
Ego ad socios propero, dum favet *occasio.*

Visus. Superi! quale ædificium! ...*
Fingimus gaudium! ...

Chorus.

Jo! Fratres plaudite!
Vivat Pater! vivat!
Desinamus perditas
Plangere delicias!
Illæ erant ludicræ,
Istæ sunt magnificæ:
Jo! Fratres plaudite!
Vivat Pater! vivat!

Anthropus. Sic placetis filii. Laudo gravitatem Judicii:
Denique, denique discetis sapere.
At verò cùm vagari *assueveritis,*
Jam repentè hos *intra limites* tenere vos, num potestis?

Omnes. Possumus! possumus!

Gustus. Imò paulatim jucundum fiet, quidquid triste videtur,
Quia consuetudo prava à consuetudine meliore vincetur.

Anthropus. Sic erit. Venite,
Singula lustrate mysteria, considerate.
In *Templo* habitat Gratia, fides in *Curia,*
Timor *ad portas* excubat:
Spes mecum erit in *propugnaculis,*

* Exhibetur arx cum munimentis.

Area intima adhuc vacua relicta est Amori,
Qui proximè veniet, & hortum constituet ibi,
Nobis, & sibi.

Omnes. Ad votum sunt omnia.
Videamus! gaudeamus!*

Spes. *Verba* sunt optima.
Tu noli fidere subdolis: vigila,
Opera examina.
Ne hostes sint *Domestici*, hoc metuendum maximè:
Extra te, nihil metue.
Nisi te ipse tradideris, arx est inexpugnabilis.
Unicum, necesse est, ut fortiter teneas monitum.

Aria.

Contemptu ut solo
Defendas te, volo:
Contemptu potes vincere;
Hæc vis divinæ Gratiæ,
Hæc gloria est Christi.
Si hostis oppugnabit,
Si furet, si vallabit:
Si machinis urgebit,
Si artes adhibebit:
Non tamen potest cogere,
Ut arcem velis dedere:
Dic: *nolo*: & vicisti.

Anthropus. Felix est mea conditio.
Claude portas: stationem occupo.
Eja! si quis est hostis, aggredere! provoco.
Consuetudo. Audio. Puer, pulsa tympanum,
Blanditias adhibe: *Minæ* sequentur. (e)

Spes.

(e) Duo sunt genera tentationum, non plura.
* abeunt.

Spes. Certandum est: Ecce movet se hostis.
Cupido. Amicus sum, si velis.

Aria.

Sum Amor, pacem colo:
Pax est, quam à te volo:
Voluptas mea Domina
De tua amicitia
Desiderat gaudere,
Hanc arcem obtinere.
Anthropus. Nolo:

2.

Cupido. Si tradis, felix eris:
Non est, non est in terris
Beatior conditio,
Præ nobili servitio,
Quod præstant Voluptati
Fortunæ Candidati.
Anthropus. Nolo!
Cupido. Admitte me, habeo litteras,
Ex quibus, si legeris, apertiùs intelligas,
Quanta sit, quam Domina mea tibi promittit
Futura felicitas.
Anthropus. *Nolo.*
Cupido. Summos honores:
Anthropus. *Nolo!*
Cupido. Maximas divitias:
Anthropus. *Nolo!*
Cupido. Omnes delicias:
Anthropus *Nolo!*
Cupido. Crude, quid dicas, non intelligis.
Ulciscetur injuriam Domina: iram non metuis!

En alter Legatus subit: dede te! iterum moneo.

Anthropus. *Nolo!*

Consuetudo. Anthrope, nôsti me?

Anthropus. Novi primogenitum Sathanæ.

Consuetudo. Expulisti me, redeo: aut recipe, aut injuriam vindico.
Solus non venio. Adeste socii!
Ultima experieris, nisi te dedis.

Anthropus. *Nolo!*

Consuetudo. Morieris!

Anthropus. Mori possum; vinci non possum, nisi volo: *Nolo!*

Consuetudo. Ergò agite! suas quisque in aciem turmas educite,
Portas singuli singulas obsidete, evertite, diruite!

Spes. Tu fortiter sta, & nihil metue!

Chorus Vitiorum.

Circumvallabimus!
Coangustabimus!
Ad terram prosternemus,
Nec lapidem sub lapide
Immotum relinquemus.

Anthropus. Spes.
Circumvallabitis!
Coangustabitis!
Sed non prosternetis:
Vos strati, Deo auspice,
Audaciam luetis!

Timor. Anthrope! Anthrope! huc arma propera!
Portas effringunt rebelles filii! accelera!

Anthropus. Heu me! *foris pugnæ, intus timores!* (f)

Fides. A me Scutum accipe!

Gratia

(f) 2. Cor. 7.

Gratia. * In hoc Signo vinces: sequere me!
Spes. Spes non confundit: sequere!
Repetitur Chorus.

Consuet. Io! calescit prælium: meis partibus accesserunt Domestici:
Jam non diu ampliùs absurdum illud: *Nolo!*
Repetet Anthropus.
Circuibo: certumest, portam inveniam, quà introëam:
Discederem, si nemo esset intus, à quo juvari me crederem.
Nam absque hoc auxilio, nihil proficio,
Etiamsi totus mihi succurrat inferorum exercitus.
Homo, homo contra se debet juvare me,
Et frustra auctorem scelerum accusat Diabolum:
Diabolus innocens est.

Aria.

1.

Miser Diabole, quanta de te
Crimina debes audire!
Non est flagitium, quod non à te
Homines credant venire.
Mæchus, & latro, & prædo, & fur.
Lupus vocaris, & leo:
Dicitis: *talis est!* dicite: cur!
Vincet, vel Judice Deo.

2.

Eja, vir bone, ingredere te,
Verum si cupis rescire:
Intus est hostis, qui prodidit te:
Dæmoni licet dormire.
Tu tibi malus Diabolus fis,
Te, homo, disce timere:
O! à te tibi cavere si scis,
Dæmonem potes ridere.

PUN-

* Vexillum porrigit cruce signatnm.

PUNCTUM II.

Lucta cum Voluntate.

SCENA I.

Augustinus. Navigius. Alipius Nebridius.

Nebridius Ego affluxi solatiis, & duleissima pro Augustino oratio fuit. *Al.* Ego ùt pumex arui. Credo, quia mihi de Augustini correctione spes minùs blanditur, quàm tibi: Videamus, quid fiat. * Nemo audit. *Nebr.* Fors abijt domo. Imò venit. Augustine! *Aug.* Relinquite mihi me! *Nav.* Frater, obsecro! .. ô amici juvate me! *Al.* Navigium Mediolani videmus? *Nav.* Cum Matre adsum! *Nebr.* Jucundus occursus est. *Al.* Quid vult ista fratris à fratre fuga? *Nav.* Ah! pudet narrare. *Nebr.* Credo, quia spei, quæ huc excivit Matrem, res non respondet ad votum. *Nav.* Utique non respondet. Sperabamus, inventuros nos Augustinum vel baptizatum jam, vel ad Baptismum in via. Neutrum egistis! igitur cui bono abiistis ex Africa? *Al.* Nobis succenses? in manu Dei est cor hominis: inclinabit, cùm volet. *Nav.* Scio, sed non vult semper manu sua: utitur instrumentis plerumque, si non repugnant. Vos abduxistis fratrem à Matre, quasi meliorem reddituri: hæc fides promissi est? novis lacrymis occiditur Monica, hoc habemus. *Al.* Quod te, idem & nos malè habet. Sed tu nescis, opinor, quantô faciliùs per conversationem cum malis, ex bonis mali fiant, quàm ex malis boni per conversationem cum bonis. *Nebr.* Non tamen nihil actum est: Augustinus Catholicè credit- *Nav.* Et Ethnicè vivit! magna laus! grande solatium! *Al.* Patientia! Ambrosius & Simplicianus præsta-

* *Pulsat.*

præstabunt, quod non potuimus nos: quanquam neque nos adhuc cessavimus operam jungere, quantulacunque est, suadendo, hortando, arguendo, orando. Si quid insuper desiderat Monica, ecce nos! *Nav.* Credebamus, à Melania avulsum jam penitus castitatis, sicut veritatis, amori deditum esse: deceptam se Mater dolet. *Al.* Quid? credidistis Mediolani nullam fœminam dari? amice, nec nobis, nec Matri satis comperta vis amoris carnalis fuit, quo se mulieribus Augustinus adstrinxit. Vitam cælibem' sicut studiosis Sapientiæ ad finem suum magis utilis est, sic suadebamus: ideò urgebamus discessum ex Africa. Nunc pœnitet consilij, & fortè prudentiùs consensissemus in nuptias, quas Monica suaserat: nam eheu! abijt ex Africa Augustinus, sed Africanus esse non desiit. *Nav.* Advertimus. Vix enim auditum est Melaniæ nomen, rubor in ore, ignis in oculis arsit. *Nebr.* Quid enim narrâstis de fœmina? *Nav.* Factum virile. (a) *Votô castitatis perpetuæ obstrinxit se Deo.* *Al.* Prodigium loqueris. Credo, hæc nova perturbâsse amasium. *Nebr.* Et ferunt perturbationis materiam. *Nav.* Exclamavit: Melania votum fecit! nec plura: proripuit se ex Matris conspectu, persequor, revoco, nihil ago, abdidit se; ira, mœror, an pudor agitet, dubius sum.

SCENA II.

Accedit Simplicianus.

Simplicianus. Putabam Augustinum vobiscum esse: quò evasit? *Al.* Cubiculo se inclusit. *Simpl.* Spiritum salutis parturit: juvari debet. *Nav.* Bonum credis: malum ego. *Simp.* Sapiens Mater pudorem utilem ab exemplo fœminæ excitavit in viro: non est negligenda mihi hora, qua video motum aquæ huic paralytico salutaris. Solatium Monicæ feci ex ista fuga.

(a). *L. 6. Conf. 6. 15.*

mihi spem. *Nebr.* Nescio, an non fallaris. *Nav.* Ego certè video, interpretationem hujus fugæ arbitrariam esse, & pro affectu. *Simp.* Effectus dabit. Cæterùm ego hoc queror, quòd de Augustino non satis sincerè relatum sit mihi hactenus, qualis sit. Dixistis, fuisse hæreticum, esse ambitiosum, propendere ad pertinaciam, amores amare: amoribus autem jam *ab annis pluribus* esse implicitum, non dixistis, & quia neque ipse hactenus hoc fassus est mihi, quam poteram medicinam adhibere, ut morbo, quem *inveteratum esse* ignorabam, cum fructu sufficeret? hodie mihi Monica statum animæ explicavit, quam curo. Juva me Deus, & ero felicior! Arte, Amici, aggrediar virum, ut ipse fateatur mihi, quod hactenus tacuit: vos sinite solum cum solo agere: nunc tempus est, quo & indiget meâ operâ, & utetur. Monica orat, & lacrymatur: ipse turbatus est, & luctatur: ego sentio urgeri me, ut urgeam opus perficere, quod Deus cœpit: locum cedite, quia amici estis. *Al.* Libenter. Ardere te video ardore divino. *Nav.* Matrem solatum imus. *Nebr.* Digna est. Redituros etiam tu solaberis, Pater? *Simp.* Deo auspice, spero. Intellectus à veritate convictus subjecit se: cum voluntate facilior erit pugna in bona indole, qualem Augustinus est nactus. *Al. Nebr. Nav.* Victorem te cœlum velit! *Simp.* Urgete Monicam, ut nunc maximè pergat orare: orate etiam, orate! sic nutantes muros oppugnabimus simul. Cadat Jericho, ut ædificentur muri Jerusalem! *Omnes.* O cadat!

SCENA III.

Augustinus. Simplicianus.

Simplicianus. Augustine! *Aug.* Sine Pater, sine obsecro! insolitus me turbo agit. *Simp.* De cœlo est, *tanquam advenientis Spiritûs vehementis.* Pande fores, *ut impleat totam domum.*

mum. Aug. Modò! ecce modò venio. Luctor cum fluctibus, velis, remisque adnavigo: *Sine paululum*, & in portum exiliam. *Simp.* Ut succollem, adveni. Sæpe fuisti proximus portui: quantillus ventus suffecit, ut in mare turbidum rejiceret navem, quæ per conatum non magnum jam applicita littori quiesceret secura in sicco! *Aug.* Parum absum, & jam exscenderem, nisi me bellua terreret, quæ aperto rictu in arena expectat. *Simp.* Intelligo te: jam *velles* castè vivere, sed dubitas, an possis, & difficultas te terret. Apage cum tuo ignavo *vellem, vellem!* dic: *volo, volo!* hæc vox fugabit belluam, & disparebit omnis molestia. *Aug.* Tumultus pectoris se ingens movet, & (b) *fremit Spiritus indignans turbulentissima indignatione, quòd non eam in placitum, & pactum tecum, Deus meus, in quod eundum esse omnia ossa clamant. Simp.* Potes, potes ire, si velis. Nam istud ire nihil est aliud, *quàm velle ire, sed velle fortiter, & integrè, & non semi-sauciam hàc, atque hàc versare, & jactare voluntatem, hac parte assurgentem, cum alia parte cadente luctantem.* In hoc negotio *facultas* & *voluntas* sunt idem, ipsúmque *velle* jam est *facere.* Melania votum fecit: non pudet, quòd te præcesserit? aut non pudet saltem, quòd ne quidem audeas sequi? *Aug.* Pudet, & urgeo in sequelam. Sed nondum possum! Melania *votum* fecit: ego ne quidem *serium propositum* adhuc extorqueo à me! non possum sanè, non possum modò. *Simp. Difficulter* potes, hoc credo, *omnino non posse*, falsum est. Vince te! de vita beata agitur: *res*, & *spes* perit, nisi tandem sis vir. *Aug.* Nunc nondum possum! & tu tempus, ac operam perdis, nempe, quia nondum satìs nôsti me, neque capis, sub quàm gravi tyrannide gemam. *Simp.* Et tu nescis, quid homo possit, si velit seriò. Ah! Augustine, quantùm te amo, tantùm saluti timeo tanto tempore resistentis tot stimulis, tantis gratijs. *Aug.* Omen cessa. Bonus & patiens Deus est: non projiciet fragile vas

(b) *L. 8. Conf. c. 8.*

quod plasmavit de gleba. Exempla scimus. *Simp.* Exempla scimus! heu! quanta jam projecit, etiam pretiosa, etiam quæ ex auro purissimo fuderat! Angelis non pepercit, & Augustinus non metuat! Bonus est Deus etiam malis, ita est, *sed non omnibus malis:* multis scelus primum & unicum fatale fuit. Patiens est Deus, ita est: stat, & sæpe diu stat ad ostium cordis, admitti petit, clamat, pulsat semel, iterum, rursum: sed repentè cessat, & abit. Quando? id nescimus. Beatus servus, quem, cùm pulsat Dominus, invenerit vigilantem! Infelix servus malus & piger, cui per somnolentiam grave est aperire pulsanti! *Aug.* Intelligo totum, probo omnia, & *aliquando* sequar. Nunc! ... *Simp.* Si aliquando, quæso te, cur non modò? cur non hac hora? quis ægrotus, si hodie potest sanari, differt in crastinum? *Aug. Modò* non possum! *Simp.* Et *aliquando* poteris? imò crescit difficultas per moram, & fit ex funiculo funis. Aut die, obsecro, confidenter, quare non potes modò? nunquid adhuc hæret animo illud Manétis dogma: *non sumus nos, qui peccamus, sed prava in nobis peccat natura? Aug.* Absit! pudet potuisse credere stultitias tam absurdas. *Simp.* Catholica Religio displicet? *Aug.* Placet, sed terret, quia nimis est sancta. *Simp.* Sanctitas Religionis allicere in amplexum virum prudentem debet, non absterrere. *Aug.* Amplectar aliquando. Catholicus mori volo: vivere, ùt lubet, sine. *Simp.* Augustine, Deus non irridetur. Qualis mori cupis, talis ut vivas, necesse est, & prudentia imperat, quæ tantam in tanto negotio temeritatem damnat utique! *Aug.* Quid disputas? corpus hominis Baptismi virtute Templum Dei fieri dicitis, quod violare per libidinem quasi sacrilegium sit: scis, opprobrium meum: non possum castè vivere! & faciliùs ignoscet Deus non baptizato, quàm si ablutus revertar ad volutabrum. *Simp.* Graviùs peccabis, fateor, si repetas peccata per Baptismum remissa. Sed ego Baptismum urgeo, ut peccare desinas. *Aug.* Atqui hoc

nego

nego posse me! diutiùs assuevi sceleri, quàm tu putes. *Simp.* Annum unum fortè, aut alterum in luto hæres: diuturnus est morbus, & gravis, sed non desperatus. *Aug.* Nihil dicis: audi, Pater, quod hactenus fateri horror prohibuit mali, audi, qualem hominem curandum susceperis: (c) *jam annos omnino decem in flagitiis dego. Simp.* * Nunc Superi date verba, quæ prosunt!... Prô Deum Immortalem, quid audio? *annos omnino decem! Aug.* Vides, ùt sim sincerus! tu quid jam stupes? *Simp.* Miseret tui. Vale! alio est opus Medico tibi: ego mederi morbo decennali non possum! *Aug.* Quid? confessus tibi omnem miseriam sum, & nunc me deseres? si ferre auxilium non potes, saltem solatium fer, aut juva consilio! *Simp.* Quid dicam! vincit omne consilium gravitas mali. Actum est: consuetudo tam longa altera natura est: priùs vitam, quàm vitium pones. *Aug.* Timeo sanè: nam quoties propè invitus in scelus trahor! *Simp.* Quid reponam ad istos questus, nisi lacrymas, & suspiria! ô anima nobilis! ergò in te periit Sanguis Christi! *Aug.* Omni tempore, omni loco sum miser, & amare cogor, quod horreo: tanta tyrannis est! *Simp.* O servitus infamis! mancipium miserum! *Aug.* Nulla pars corporis, nulla pars animæ est, quæ non premitur turpi jugô: servio, quantus sum, & quod teterrimum est, servire placet. Serviunt oculi, & anteambulones libidinis agunt: serviunt aures pro exploratoribus, serviunt pedes pro emissariis, pro ostiariis manus, lingua pro tabellario. Ita integram familiam sceleri alo. *Simp.* Superi miserescite! *Aug.* Præterea memoria in gratiam Veneris diu, noctúque se occupat, intellectus in viis flagitio complanandis laborat, voluntas onusta catenis, & gemens sub pondere ante currum lascivæ Deæ propellitur, affectus omnes observant nutum. *Gaudeo*, cùm ad turpe votum se offert occasio, *tristor*, si præterit; *Amo*, qui adjuvant, *odi*, qui obstant: quod promovet

 malum

(c) *L. 6. Conf. c. 15.* * *Tacitè.*

malum, *desidero*, quod medetur, *refugio*: sæpe *spe* erigor ad surgendum de cœno, mox *desperatione* dejicior: sæpe *audax*, clamo: *Dixi, nunc cæpi!* mox *timor* retrahit pedem, & cessio. Demum mihimet *irascor*, & quoties indignam servitutem vehementissimè exprobo? Servio tamen. *Simp.* Cessa, quæso! nam mihi dolore pectus rumpitur! poterisne in inferno esse miserior? *Aug.* Certè jam & damni, & sensûs pœnâ acerbissimè crucior. Fœdus ignis totum perurit, tenebræ, quibus circumdor, auferunt & aspectum, & desiderium cœli, vermis nunquam moriens jecur omne crudeliter exedit: væ mihi! si his suppliciis accedet æternitas, & sicut in illo, ita & in hoc inferno nulla redemptio sit! *Sim.* O Cœlites! hæc iste patitur, hæc sentit: & tamen ex hoc loco tormentorum non prosilit! *Aug.* O si possem! sed clausa est janua, non possum. Ah! mi Pater! nemo est mortalium miserior me! contrariis affectionibus discerpitur cor: amo scelus, quod odi, odi, quod amo! nihil mille proposita valent: cùm vel occasio, vel tentatio redit, recido: imò resilio in abyssum, unde statueram emergere. *Sim.* Et nihil à fœdo facinore præsentis, intuentis Numinis Reverentia retinet? *Aug.* Non æstimo. *Sim.* Quid? si mortis incertitudinem, Judicii rigorem, jacturam cœli, æternos ignes tibi ponas ob oculos: non terreris? *Aug.* Cogito, fortè nihil est horum, quæ timenda esse ajunt post vitam hanc. *Sim.* At saltem cogitatio Dei pro te in cruce inter angores ultimos Patrem deprecantis emolliret animum efferatum? *Aug.* Lapidi loqueris. *Sim.* Saltem occasionem fuge! *Aug.* Intus est malum: quocunque abeo, me mecum traho. (d) *Velle meum tenet inimicus: inde mihi catenam fecit, & constrinxit me. Ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Desperavi! *Sim.* Tandem sonuit optata vox, quam expectabam. Macte animo, Augustine,

(d) *L. 8. Conf. c. 5.*

ſtine, propinquus es libertati, rumpentur vincula, excuties jugum. *Deſperâſti de te*, hoc quærebam: nunc *in Deo ſpera*, qui neminem juvat promptiùs, quàm deſperantem de ſe. Quid in te ſtas, & non ſtas? projice te in Deum! noli metuere: non ſe ſubtrahet, ut cadas! proiice te ſecurus! excipiet te, & ſanabit te! quod non eſt poſſibile tibi *per naturam*, hoc facile, hoc jucundum fiet *per gratiam*, *& quod dimittere metus eſt, jam abjicere gaudium erit.* *Aug.* Quò me circumagis Pater! ex triſtitiæ barathro levas in lucem novam. Nondum ergò conclamatum eſt de ſalute? *Sim.* Dixi, nunc maximè ſpes bona micat. Errâſti, neſciens, (e) *quòd non poſſis eſſe continens, niſi Deus det.* Difficultatem vitæ caſtæ comparans ad vires tuas, quid poteras aliter, quàm angi, tremere, deſperare? factum bene. Nunc ſpera in Deo: Deus ſolus, ſolus poteſt (f) *mundum facere de immundo conceptum ſemine.* *Aug.* Sic in Apoſtolo legi. (g) *Omnia poſſum in eo, qui me confortat, non ego, ſed gratia Dei mecum.* Hem! quis repentè radius triſtes tenebras pellit? *Sim.* à Patre luminum eſt iſta lux: Deus adhuc te amat, Auguſtine, *tandem* & tu ama Deum! ecce hæc hora eſt, qua offert gratiam, extende manum, arripe citò! manus oratio eſt: ora, quære, pulſa: accipies, invenies, aperietur. *Aug.* At mi Simpliciane, mihi non ſufficit quæcunque gratia: opus eſt ſingulari, extraordinaria, triumphatrice: tantum ego bonum à Numine offenſo ſperem! *Sim.* Ah! quid diſputas? qui ſic dilexit te, ut Filium ſuum Unigenitum pro te dederit, nunquid negabit, quod minus eſt? quidquid petieris in Nomine JEſu, dabit tibi! ora quære, pulſa! oratio clavis eſt cœli? aſcendit oratio, & deſcendit Dei miſeratio. Obſequere Auguſtine, amico roganti: Miſeriæ gravitatem agnoſcis, periculi magnitudinem vides, te tibi non ſufficere intelligis: ora, ut te adjuvet Deus. Relinquo ſolum; ut ſuſpires liberiùs. *Aug.* Inter ſpem & metum obedio, coo pe-

(e) *Sap. 8.* (f) *Job. 14.* (g) *Phil. 4. 1. Cor. 15.*

coopertus pudore, & confusione amarissima. *Sim.* Sic decet. Cor contritum & humiliatum non despiciet Deus. Doles, quòd obediens & contumax fueris Domino tam bono, tamdiu? *Aug.* Fidem habeo, pudorem sentio, timor urget, spes surgit: dolorem solum adhuc à me non impetro. *Sim.* Donum Dei est bonus dolor, à Deo impetra. De hoc saltem doles, quòd dolere non possis? *Aug.* Vellem dolere utique, quia vellem me corrigere, modò possem! *Sim.* Bene est. Hæc voluntas disponit, ut ores seriò. Ora! ecce si rem grandem petjissem, nihil obluctari deberes ad eluctandum ex tantis malis: quantò magis, cùm dico: ora! *Aug.* Orabo. *Sim.* Solum sino: indulge suspiriis liberè: ego tecum tollam ad cœlum manus! cùm volueris, in vicino cubili reperies. Audi preces pium Numen, & sana animam gloriæ creatam tuæ!

SCENA IV.

Augustinus Solus.

Augustinus. Sana, Domine, sana me! da castitatem, & continentiam! *Sed noli modò! noli modò!*... quid obmurmuras anime? quæ est ista oratio? Deus bone! lingua dicit: *da castitatem!* animus dicit: *noli modò!* times, Augustine, ne citò exaudiaris, & statim saneris à morbo concupiscentiæ, quam expleri velles, non extingui!... Vah! etiam orare tædet! non possum seriò... quid impedit, quæso? *Nugæ nugarum*, vanitates vanitatum sunt, quæ me tenent. Pereant omnia!.. nugæ sunt, tenent tamen!.. rumpamus funem!.. non possum modò... nempe non lubet. O animum muliebrem!.. quanquàm verè, egóne vivere totâ vitâ posthac possim sine consuetis deliciis? non possum!.... hem! stultitiam cordis! quàm igitur diu vivam? vita hæc misera est, mors incerta: si subitò obrépat, quomodo

hinc

hinc exibo? ... quid? (f) si mors ipsa omnem sensum finiet? si anima cum corpore interit? ... prô! quò rursum relabor! credam, me nihil à bruto differre? absit! non moritur anima, non moritur! nunquam tanta nobis *feciſſet* Deus, nunquam tanta pro nobis *tuliſſet* Dei Filius, si morte corporis etiam vita animæ consumeretur. Quid cunctor igitur, contemptis vitæ præsentis ineptiis, totum me conferre ad quærendum Deum, ad spem vitæ futuræ, in qua spe omnis præsens beatitudo consistit? ... expecta tamen, Augustine, jucundæ sunt, & habent non parvam dulcedinem etiam nugæ: non facilè, non ita repentè abeundum est: pœnitebit, & turpe est rursum redire. Cùm senuero, relinquam ... quid? cùm senuero? nempe vinum adolescentiæ meæ pergam propinare sceleri, fœces senectutis Deo offeram! ... alternant venti: huc, illuc impellor. Ita tardo converti ad te Deus, & differo de die in diem vivere in te, nec differo quotidie in meipso miserabiliter mori. Infelix ego homo!

MUSICA.

Ex l. 8. Conf. c. 9.

Natura. Voluptas. Nugæ nugarum.

Natura, & Voluptas. AUguſtine! *dimittísne nos?*
Natura. *Et à momento iſto*
Non erimus tecum ultrà in æternum?
Voluptas. *Et à momento iſto*
Non tibi licebit hoc & illud ultra in æternum?

O *Arietta.*

(f) *L. 6. Conf. c. 11.*

Arietta.

Natura. Auguſtine,
Voluptas. Auguſtine,
Ambæ Vana vota deſine!
Natura, Ego tecum ſum creata,
Voluptas, Ego tecum educata:
Natura. Non es fruſtum duri ſoli,
Voluptas, Gleba es ex terra molli:
Chorus. Non, non potes
Non, non potes
Sine nobis vivere.

2.

Natura. Verte vultum,
Voluptas. Redde cultum:
Ambæ. Quid contemnas, reſpice!
Natura. Non es fortior Samſone,
Voluptas. Nec plùs ſapis Salomone,
Natura. Sine his non vixit David:
Voluptas. Et quis eſt, qui non amavit?
Chorus. Non, non potes,
Non, non potes
Sine nobis vivere.

3.

Natura. Triſtis vita,
Voluptas. Nulla vita
Ambæ. Sine nobis vivere.
Natura. *Sine ſenſu* relinquéris,
Voluptas. Cæcus, ſurdus, mutus eris:
Natura. Quanto dabis te mœrori!
Voluptas. Quoties optabis mori!
Chorus. Non, non potes,
Non, non potes
Sine nobis vivere,

Non,

4.

Natura. Fingis iram,
Voluptas. Fingis fugam:
Ambæ. Non sunt minæ seriæ.
Natura. *Ite nugæ!* lingua clamat,
Voluptas. Cor nos tamen adhuc amat:
Natura. Sæpe idem jam dixisti,
Voluptas. Nunquam tamen nos odisti:
Chorus Non, non potes,
Non, non potes
Sine nobis vivere!

5.

Natura. Quanquam vale!
Voluptas. Vive malè,
Ambæ. Dum sic lubet vivere.
Natura. Sed non diu sic lubebit,
Voluptas. Cras, cras rursum pœnitebit:
Natura. Cras tibímet irascéris,
Voluptas. Nempe cùm experieris,
Chorus. Quàm non parum
Sit amarum,
Sine nobis vivere.

Aug. Simpliciane! Simpliciane! frustra expectas. Hodie nihil fiet.

O. A. M. D. G.

MEDITATIO IV.
AUGUSTINI
DE SE VICTORIA.

ARGUMENTUM.

Opportunè Potitianus Mediolanum ex aula Cæsaris venit, quando Augustinus secum de vitæ ac morum correctione graviter luctabatur. Ille conversionem mirabilem duorum Aulicorum, quæ novissimè, se præsente, contigerat Treviris, amicis narravit cum effectu tam felice, ut sibi, suæque procrastinationi, ac ignaviæ vehementissimè irascens Augustinus, abruptô colloquiô, se in hortulum suum proripuerit, quò liberùs indulgeret gemitibus, quos dolor & pudor ciebant. Hæc agenti allapsa est vox sive ad cor, sive ad aures etiam: *Tolle, lege!* legit textum obvium ex Epistola Pauli ad Rom. c. 13. & eôdem momentô lectionem excepit lux mira in intellectu: dissipatísque nebulis difficultatum, quas imaginatio finxerat, lucem secutus est motus fortissimus in voluntate, & motum Heroica Resolutio, Resolutionem *perfectæ Conversio*, de qua utiliter legi potest totus *liber octavus Confessionum*, unde desumpta est hujus quartæ Meditationis

Materia: Augustini Heroica Resolutio *ad perfectam Conversionem.*

Puncta

Puncta duo: Primum, Resolutionis Difficultas.
Secundum, Difficultatis Victoria.

Fructus: Correctio *voluntatis restrictæ*, quæ se resolvit quidem ad conversionem, sed *cum exceptione* contra media paulò difficiliora.

Propositum. Excitare se *ad solidè tenerum, & tenerè solidum Amorem Dei*, quippe qui multò efficacior est, quàm *timor*, & *spes* ad conversionem perfectam, ac constantem efficiendam, animátque hominem *in specie*, ut posthac tentationibus ad relapsum non modò non consentiat, sed resistat etiam *per actus contrarios*, ex quibus paulatim fit habitus, vitæque mutatio cessat molesta esse, & incipit *jucunda* fieri, quod est certissimum remedium *ad Perseverantiam*, quæ sola coronatur.

PERSONÆ.

S. Simplicianus.
S. Augustinus.
Alipius.
Potitianus ex aula Arcadii.
Navigius, Augustini Frater.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad præsentem. (a)

Anima meditans. Angelus explicans.

Anima. *INfelix ego Homo!* Rom. 7.
Vel semper peccare, vel semper pugnare,

(a) Theatrum exhibet castra mystica. Alteru-

Alterutrum eſt neceſſarium, utrumque miſerum.
Anguſtiæ ſunt mihi undique: Dan. 13.
Non poſſum ſic incedere! 1. Reg. 17.
Loquar ad Dominum, cùm ſim pulvis, & cinis:
Ne, quæſo, indigneris Domine, ſi loquar. Gen. 18.

Aria.

Ah! cede; cede Domine
De ſummo tuo jure,
Da aliquid clementiæ,
Da fragili naturæ!
In certis circumſtantiis
Si liceat peccare,
Statutum eſt, in aliis
Alacriùs pugnare.

2.

Vim *ſemper* ſibi facere,
Et ſemper dimicare,
In armis ſemper vivere,
Et *nunquam* reſpirare,
Eſt nimium ſevera lex:
Quis poſſit obſervare?
Da aliquid, ô cœli Rex,
Nam potes diſpenſare.

Angelus. Vah! abſurda poſtulatio, quam ego audio.
Anima! quò te abripit nova deſperatio?
Anima. Ita eſt: arma abjicio, niſi juvas me novô conſiliô.
Caro concupiſcit adversùs Spiritum, & Spiritus adversùs
Nam, *quamdiu* oportebit ſic vivere? (*carnem!*
Angelus. Imò, quam diu *ſic* vixeris, diſpice.
Herì ceſſâſti peccare: *hodie* jam te pœnitet pœnitentiæ!
Delicata!

Delicata! nescis, quòd sit arduum omne principium?
Dura! & secuturis te Spiritûs deliciis serva!

Anima. Quid faciam, ut possim durare?

Angelus. Debes *amare.*
Fides, Spes Timor urgent, *ut velis meliùs,*
Non faciunt, ut *possis vivere suaviùs,*
Debet *Amor* accedere.
Ama Deum, *ama,*
Et evanescent omnia difficultatum phantasmata.

Aria.

Ars est mirabilis sancti Amoris:
Spinas in rosas commutat,
Quidquid in sensu se movet horroris,
Amor delicias putat:
Jugum, & onus, & labor quid sit,
Amor non scit.

2.

Habet hoc adeò *amor scelestus;*
Quando amatæ servitur,
Sæviat gelu, aut torreat æstus,
Vix ab amante sentitur:
Minor quòd *sacri amoris* sit vis,
Crede, si vis!

Anima. O Deus, ego amo te! amo te,
Modò aliquid *interdum* indulgeas,
Et *nihil arduum* mihi præcipias.

Angelus. O fatua, & sine corde anima!
Qui verè diligit, nihil excipit:
Respice! *artem amandi* docebo te hodie.
Vidisti Augustinum luctantem:
Peccator erat, & magnus, & diu,

Dum

Dum carnem *amavit:*
Factus est Sanctus, & Magnus, & Citò,
Cùm *objectum amoris* mutavit,
Et *pro carne* cœpit *Deum* diligere.
Ecce! ad omnia resolvit se media,
Non auditur aliquod *si*, aut *modò*,
Non acceptat *aliqua*, & rejicit *alia:*
Paratum cor meum inquit,, paratum est *ad omnia.*
Tu tibi frustra de amore blandiris:
Qui *talis* non est, *amor non est.*

Anima. Parce. Si amorem non habeo,
Amoris tamen desiderium habeo.

Angelus. Ergò ora, ora!
Et ab Amore amorem impetra.

Aria.

Anima. Erravi,
O Deus, erravi,
Cùm, ut alia dares, oravi:
Alia omnia,
Mera sunt somnia:
Amorem mihi da,
Et dabis *omnia.*

2.

Amare,
Ah! doce amare,
Sic demum cessabo peccare,
Cùm nihil delectabit me,
Quàm te, *te solum amare,*
Et amare *propter te!*
Sic, sic doce amare me!

MEDI-

MEDITATIONIS IV
De Heroica Resolutione Augustini
PUNCTUM I.
Resolutionis Difficultas.
SCENA I.

Augustinus. Ah! quousque me torques? ferrea consuetudo stringit. Pater, non intelligis, quanta sit vis. *Simp.* Quantacunque sit, major est Gratiæ. *Aug.* Non habeo gratiam adhuc tam fortem. *Simp.* Tandem ora, ut habeas. *Aug.* Orare non lubet: tumultus non sinit: non possum! Tu pro me ora: *Simp.* Tu pro me ora! frustra oro, experior, nisi tu ores mecum .... (*) Heu! Spes naufraga in portu mergitur! porrige tabulam Deus, ut felix enatet! orare non lubet, ô vox terrifica! nam, qui non orat, quid speret? quanquam quid etiam oratio juvet, si talis sit, qualis Augustini fuit: *Domine da castitatem, sed noli modò, noli modò!* Proh! istæ preces non misericordiam impetrant, sed iram provocant. Jam inops consilii & stupidus hæreo: nam, quid superest ut agam? ad Ambrosium me refero: suadebit aliquid Divinus Vir, quod Simpliciano non occurrit. *Aug.* (*) Pater, quò abis? deseris me? *Simp.* Tu teipsum deseris, miser! orare non lubet! Vox est nolentis sanari: nolentem non sanat Deus, quid ego faciam? *Aug.* Volo, & nolo: orabo tamen, ut Deus adhuc proroget patientiam suam, & suspendat furorem, neque puniat modò! *Simp.* Obstupescite cœli ingratitudinis monstrum! decennium totum scelera sceleribus cumulavit homo audax, & impudens: neque tam longa Dei optimi patientia sufficit, ut emolliat durum cor ad redamandum Amantem! *Aug.*

(*) *Augustinus abit.* (*) *Redit.*

Mane, obsecro, adhuc paululum, & miserere mei, sicut huc usque misertus est Deus. Amo Deum amantem me, amo, & desidero amare ampliùs! *Simp.* Mendacium loqueris. Non amat Deum, qui non obedit præceptis Dei. Stultæ blanditiæ sunt, quibus se decipit anima, quando verba suavia ingeminat: *Bonus est Deus! amo!* dum clamant nefanda facinora: *displiceant Deo, non curo! Aug. Affectus* bonus est, & trahet aliquando *effectum* post se. Nunc ecce mi Pater, annos vitæ triginta numero: habitus corporis, & bonæ vires triginta & plures alios promittunt mihi: ego, ut pro tanto tempore jam nunc me abdicem, rediturus nunquam ad consuetas delicias, violentum nimis imperium est: non possum facere! *Simp.* O tortuosas vias! quis enim est tibi sponsor vitæ tam longæ? fortè cras finis est: & si hodie castè vixeris, ecce de annis triginta diem dimidium vixisti Deo: nunquid rem grandem præstas? sed demus, venisse Angelum à Deo tibi, vitæ in extremum senium producendæ sponsorem certum, dic, age, decretúmne est, *aliquando* istos mores damnare, an nunquam? si statutum est, hanc telam ad finem prosequi, desperata est salus, & accensus jam crepat ignis, qui te æternùm uret. Si verò certum est, *aliquando* reverti ad Dominum, seriò tandem, quæso te, seriò & apertè responde responsum prudens ad toties inculcatam quæstionem: *si aliquando, cur non modò, cur non hac hora finis turpitudinis tuæ? Aug.* Faciliùs fortè *aliquando* me vincam, cùm per ætatem frangetur vis inimici tentantis. *Simp.* Deceptio est: ætas interdum facultatem eripit sceleri, voluntatem rarò: imò consuetudo eò usque protracta faciet, ut voluntas, quod patrare tunc non *poterit* malum, gaudeat *potuisse*, & optet adhuc *posse: ita tu desereris à scelere, non scelus à te.* Sed ne diu vagemur, demus etiam hoc, fore certò (quanquam multò certiùs utique non fiet aliquando, cùm tot subsidia deerunt, id quod negas posse fieri hodie, quando Ambrosius urget, Mater orat, amici instant,

Deus

Deus ipse motibus tam turbulentis cor obstinatum agitat) demus, inquam, fore certò, ut *aliquando* convertas te seriò, liberè utique, & tua voluntate, cooperante cum gratia, non coactè convertes te? *Aug.* Liberè omnino, nullum est dubium. *Simp.* Convertes te igitur, quia voles tunc, quod hodie non vis? *Aug.* Sic seriò statui: nam volo salvari. *Simp.* Jam attende me diligenter. Quæro: quid *tunc* movebit te, *ut velis* convertere te ad Deum, quod non jam *nunc* movere debet? Augustine, aliquando aut Timor Dei, aut Amor faciet, ut mutes vitam: neque enim datur conversio utilis ad salutem, nisi quam aut Timor, aut Amor parit. Dic, ex quo parente nascetur tua, si nascetur tamen, & non degeneret in abortum conversio, quæ parturitur tam diu? *Aug.* Uterque, ùt opinor, movebit fortiùs. *Simp.* Si Timor movebit, nunquid jam *modò* æquè terribilis Deus est, ac erit *aliquando?* si Amor, nunquid Deus *modò* est minùs amabilis, ac erit aliquando? Imò *& magìs terribilis modò*, & magìs amabilis est, quàm erit unquam. *Modò* instat, obsecrat, increpat in omni patientia, & doctrina: *timendum*, ne, si *modò* non audias, nec ipse te audiat *aliquando*. *Modò* quantis desideriis te desideret beatum facere, palam est. Vides, audis, sentis, quantum te amet: ipsa tam longanimis patientia convincit, quòd amari cupiat à te, veluti suâ interesset, non tuâ, ut ames! Qui sic amat, quando erit *amabilis* magìs? væ tibi, si expectes, donec refrigescat contemptus Amor, & in furorem se mutet! *Modò*, *modò* tempus est, ut manum applices operi: *modò* admovet machinas Deus, & cordis deditionem violentus exposcit sibi, quid differs dedere? malè credis fore dedenti te? recordare, quæ de beata vita disputavimus nuper: *in spe* consistit, *in spe*, cujus tu tibi dulcedinem invides, quamdiu converti differs. Ad experientiam provoco: aude vel unam hebdomadam continere te, spondeo, gustare incipies, quàm sit nihil vitâ castâ jucundius: qualem si deinde

Prosequaris diutius, quantæ miseriæ unà cum fœdis voluptatibus desinent, infamia, curæ, fastidia, vermis, extremum animæ periculum! succedet gaudium Spiritûs, quod exuperat omnem sensum, pax conscientiæ, elevatio mentis, cordis mundities, sublimia desideria, admirabile lumen, & dulcissima familiaritas cum dulcissimo Deo!.. quid siles? *Aug.* Quid dicam? linguam loqueris peregrinam mihi: nihil intelligo. *Simp.* Vel per unius hebdomadæ experientiam non parum disces. *Non jubeo te naturam exuere*, quam ad amores proniorem es nactus: *Ama, ama!* sed *objectum amoris* muta: *Ama Deum, & fac, quod vis!* nam facere, quod libet, licet, modò facias nihil, quod non audeas immolare Deo, & dicere: *facio ex Dei amore. Aug.* In creaturis quod amo, video, Deum non video: invisibile objectum Amoris non afficit, non delectat. *Simp.* Afficiet, delectabit, si adhibeas oculos, & contempleris, quid Deus sit. Oculis corporis non videtur; oculi mentis sunt intellectus, & fides: his inspice Dei naturam, & videbis, quàm sit amabilis Deus (a) *super amorem mulierum! Aug.* Sublimior est hæc Philosophia, quàm ut tam subitò capiam. Hoc video, *sine amore* vivere non possum! *Simp.* Interest, Augustine, ut inter objecta seligas *amore dignissimum.* Et quis est dignior Deo?.. deliberas?.. vah! ignavum suspirium!.. etiam abis?.. ô Deus, videre mihi conflictus videor, quibus in isto pectore certant hodie *amores duo:* ô vincat, vincat tuus, & de amore fœdo nobilem triumphum agat!

SCENA II.

Simplicianus. Alipius. Potitianus. Nebridius.

Alipius. Ecce Simplicianus. Hospitem, Pater, adducimus, etiam tibi, quod scio, charum: éstne Augustino per te loquendi facultas? *Pot.* Salve Pater, audio, quæ tua sollicitu-

(a) *2. Reg. 1.*

citudo sit pro amico, & delector. Ut habet Augustinus? *Simp.* O salve Domine! ùt primum lapidem per te posuit Deus, cui novam vitam inædificet Augustinus, sic, nisi me fallit animus, hodie tectum per te imponet. Non est casus, qui hac die Potitianum ad nos affert: Dei consiliô fit: conferes nobiscum operam, & quibûs potes, modîs instabis, ut se hodie Deo subjiciat homo: nam, hoc mihi credite, aut hodie se Augustinus convertet, aut nunquam. *Nav.* O nuntium bonum! nam mihi idipsum dicebat Mater, amarissimas huc usque lacrymas, quas fudit pro filio, hodie sibi dulces videri, mihi professa. *Pot.* Nisi arctos nimis terminos ponitis: nam cur tantum opus huic diei alligas? *Simp.* Quia hodie Gratia totis viribus urget, & solitô fortiùs oppugnat animum contumacem. Convictus est intellectus, consumpta, quibus se tuebatur, omnia argumenta, fatetur, se posse cum gratia, quod viribus naturæ non posset, fatetur, gratiam oranti non negari à Deo, sentit se ad orandum impelli, nulla supereſt, quam opponat, excusatio, muta trepidatio remansit, & infelix horror victoriæ tam facilis, tam præclaræ. Roditur intus, & confunditur pudore horribili vehementer, imago tetra vitæ malè actæ cruciat oculos, in auribus sonat vox Domini confringens petras, Imaginationem impleverunt tenebræ exteriores, fletus, & stridor dentium, quem timet, affectus omnes in rixa sunt: metuit mortem, horret Judicem, suspirat cælum, amat Deum, seipsum odit: verbô, ita æstuat agitatus à gratia, ùt cervus, qui cinctus à canibus, quà evadat, non videt. Concludite, quid futurum sit cras, si evaserit hodie. Cras & lumen languidius lucebit intellectui, & frigidiùs calebit voluntas, & mens pacatior lentiùs urgebit propositum: nihil fiet cras. *Pot.* Quid igitur vis, ut agamus? *Simp.* Amor ingenium habet: facilè quod prosit, invenit. Ego accedo Ambrosium, ut de actis edoceam, & novum consilium quæram. *Nav.* Si impetres, ut Præsul fratrem admittat ad col-

loquium, feciſti, quod Mater unicè optat. *Pot.* Túne difficilem acceſſu Præſulem putas? *Simp.* Omnibus omni tempore aditus patet. Imprudens verecundia fuit, quòd Auguſtinus, ſicut Ambroſii concionibus diligenter adfuit, ita colloquium fugerit. *Al.* Tanta reverentia eſt ſanctitatis. *Nav.* Certè qui Monicæ colloqui gravatus non eſt, non excluderet Auguſtinum. Amici, urgeamus, ut Simplicianum ſequatur. Spes eſt, nunc maximè, ſaluti congreſſum fore: nam verba Sanctorum medullas penetrant. *Simp.* In Navigii ſententiam eo. Si hoc perſuaſeritis, de Epiſcopo bene, optimè de Auguſtino meruiſſe vos dicam. Urgete citò, cùm favet hora. Non eſt ceſſandum: eſt quoddam genus ægrorum, quibus quieſcere, fatale eſt; & frigore rigidis non noceas pejùs, quàm ſi ſinas dormire. Interea fero Præſuli bonam ſpem.

SCENA III.

Potitianus. Alipius. Navigius.

Potitianus. Intellexi amici periculum, hoc ſatis eſt. Vobiscum ago, quod agitis. *Al.* Sines, ut de tuo adventu admoneam? *Pot.* Bonum facis. Tu dic, Navigi, quem, dum à vobis abſum, progreſſum amicus fecerit: nam juvat diſtinctiùs diſcere, quid poſſim ſperare. *Nav.* Simplicianus, ut Matrem perpetuis fletibus diffluentem ſolaretur, narravit herì, quousque juvante Deo perduxerit tanti momenti negotium. Poſtquam, ajebat, Manichæus eſſe deſiit filius tuus, & veritatis ſtudiô Romam petiit, cùm initiô non ſtatim reperiret virum, qui ſatisfacere dubiis de fide poſſet, tædiô laboris correptus eſt, cœpítque primùm deficere ardor, deinde extingui, denique in vetera objecta, in ſtudium vanitatis, & nugas amorum toto impetu verti. Redibat interdum motus aliquis deſiderii boni, nec rarò offerebat ſe occaſio diſcendi, quod vellet, ſed ſicut ex deſpera-

speratione languebat desiderium, sic usus occasionis differebatur, donec ipsa dilapsa est. Atque hæc procrastinatio, Potitiane, fecit, ut miserabilis homo ex Manichæo Academicus, ac deinde propè Epicureus sit factus. *Pot.* Rem horridam audio, mihi tamen non novam: vidi plures, quos incuria salutis, & neglectæ bonæ occasionis culpa in simile barathrum præcipites egit. *Nav.* Sed alios terribilis Deus in illo profundo deserit: Augustinum protrahere per singularem bonitatem incepit, jamque, sicut descenderat, ita ascendit per gradus. Mediolanum Româ translatus, ipso urbis Præfecto, ut Numinis Providentiam admireris, promovente, cœpit primùm sermones Ambrosii *singulis Dominicis* diligenter audire: fama viri, & facundiæ dulcedo trahebat. Inde didicit, prudenter à Catholicis credi, quod credunt, argumenta, quæ contra ipsos pugnarent, posse solidè confutari, tandem hac una via ad veritatem atque adeò ad salutem iri. Hæc cognitio fregit superbiam: Simpliciano subjecit se, ut doceretur. *Pot.* Gaudium mihi narras: nam initium bonæ vitæ à bona fide expecto. *Nav.* Urgebat hoc fides, & secum trahebat timorem, æterna mala minitantem, nisi ad agnitæ veritatis normam mores componeret: secuta est pugna, & ingens turbatio, quam Simplicianus frustra hactenus componere laboravit. Ex die in diem major tumultus movet se, quia, quidquid Presbyter de Spe loquatur ponenda in virtute gratiæ, nihil agere se tamen Augustinus arbitratur, quoties conatur propositum vitæ castæ à se extorquere. Ecce amice, huc usque ventum est, & hæc una suspensio propositi baptismum suspendit. *Pot.* Navigi, mihi fratris sapientia placet. Posset bonis verbis decipere Præsulem, & castitatis cultum spondendo, Sacramenti administrationem impetrare: sed intelligit, sibi hanc hypocrisin, non Ambrosio, pernicioſam fore apud eum, qui, cùm cor inspiciat, non decipitur proposito bono, quod in ore est natum, & in corde radices non habet. Sed

cur

cur, Navigi, Ambrosius non ad se evocat vel refugientem? Saltem tollerentur prætextus, quos objicit, cur non accedat. *Nav.* Idem, ut faceret, herì Mater rogavit Episcopum: responsum tulit: sine, dum ipse volet. *Pot.* Igitur faciamus, ut velit. Quid affert Alipius? *Al.* Magnum bonum. Cùm intravi, orantem reperi: turbare nolui, donec me ipse advertit. Suspirabat autem cum lacrymis sæpius: *O pulchritudo tam antiqua, pulchritudo tam nova, quàm serò te amavi!* Credo, Simplicianum ùt est vir prudens, cùm videret, *Spem* non sufficere, ut se dederet Augustinus, *de amando Deo* intulisse sermonem: nam, cùm vidit me, surgens, dicebat cum fremitu: ah! Alipi, quis mihi det, ut nihil unquam amaverim præter unicè amabilem Deum! nunc heu! cor abjectum *in bona nulla* quàm difficulter attollit se *ad bonum unum*! me attonuit vox tam nova! amens gaudiô irrui in amplexum, & collacrymans dixi: sic places, Augustine! ô fiat! quem nondum amavimus, nunc amemus! nunc tandem! deinde de te narravi, cujus ùt nomen audiit, exporrecta in lætitiam fronte, colloquar, ait, & abiit, ut oculos fletu tumentes abluat: ingredere, subjice ligna igni, qui ardet. (b) *Nam tu, quàm generosè Cæsari, tam fideliter, & fervidè Deo militas, scio.* En redit.

SCENA IV.

Augustinus. Potitianus. Alipius. Navigius.

Augustinus. O Potitiane, quàm est mihi jucundus aspectus tuus! *Pot.* Idem est de te gaudium mihi, tantóque majus, quòd Mediolani reperiam auditorem Ambrosii, discipulum Simpliciani, denique Catechumenum. *Aug.* Sic amavit me Deus. Matris lacrymis hanc gratiam debeo. *Nav.* Optandum, ut non sit vacua. *Aug.* Non erit, si Deus porro faveat! *Al.*

(b) *L. 8. Conf. c. 6.*

Al. Utinam hodie cooperemur! nam cur non? *Aug.* Sine modò. Te, amice, quis tenuit locus egressum Africa? *Pot.* Scis, me Cæsari militare: varias provincias pervagatus sum: militi ubique est patria, aut rectiùs, ubique exilium. *Nav.* Sicut omni homini extra cælum degenti. *Aug.* Dona mihi, amice, partem horulæ, ut amœna narratione tuorum casuum leves animum depressum curis. *Pot.* Scholasticis nempe curis? ridiculus es, (da veniam verbo,) quòd te molesta professione non abdices. Quanquam ecce! quid video? Paulum modò, non Tullium legis? *Aug.* Veræ Sapientiæ, & vitæ beatæ, cujus cupido tenet, hic melior Magister est. *Pot.* Dignum est studium ingeniô tuô. *Aug.* Sed habet quædam difficilia intellectu Apostolus, & interdum videtur severior, quàm ut possit placere. *Al.* Modò verum doceat. Veritas etiam horrida Sapienti placet, quia veritas est. *Nav.* Quæ obscura sunt, posset Ambrosius declarare. *Aug.* Huc usque Simplicianus suffecit. *Al.* Qui tamen & ipse ad alloquium Præsulis toties invitavit. *Aug.* Aliis curis est obrutus: non vacat nobis. *Pot.* Novi virum, cura animarum est ipsi prima: vacat cuilibet. *Nav.* Aliud est, quod te à Sancti colloquio absterret: juvat audere semel: facilis accessus est, & si non vacat, certè signabit horam, qua vacet. *Pot.* Puto, & juvat te conversatio *cum homine beato* multò plus, quàm omnis tua *de beatitudine* lectio: nam quod tu hìc legis, ille experitur. Mihi profectò cum hujusmodi viris egisse singulariter profuit. *Aug.* Ambrosium tu ergò beatum existimas? *Pot.* Judico. *Al.* Et ais, plures novisse te beatos viros? difficilis probatio erit de vita hac. *Pot.* Nihil de Magno Antonio Eremita audistis? recens memoria est, (c) *& propè nostris temporibus testatissima mirabilium ejus? Aug.* Quid de illo? *Nav.* Narra aliquid. *Al.* Nihil scimus. *Pot.* Mirabilis ignorantia, nomen toto pæne orbe decantatum vos non audisse. *Al.* Nempe in-

(c) *L. 8. Conf. 6. 6.*

tenti nostris studiis nihil de aliis quærebamus. Sed quid dices tu de Antonio? *Pot.* Ajo, illum ab ipso Deo doctum esse, quid beatitudo sit. Adolescens ingressus Ecclesiam audivit ex Evangelio legi: (d) *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni, sequere me!* credidit sibi dici, & *perfectionis*, sive sicut ipse interpretabatur, *beatitudinis* desideriô incensus, continuò relictis omnibus solitudini dedit se, humanis affectionibus major, & soli virtuti deditus, cui usque ad annum quintum supra centesimum invictâ constantiâ, inter dæmonum infestationes non minùs, quàm inter blandimenta honorum invictus adhæsit. Exemplum traxit ad imitationem innumeros homines, ex omni ætate, conditione, ac sexu: impletæ sunt solitudines incolis, & ædificata in plurimis locis Monasteria, in quibus homines, uti in prima Ecclesia vivunt, *habentes cor unum, & animam unam, & omnia communia.* *Aug.* De cænobiis loqueris, quale hìc Mediolani extra mœnia sub institutione Ambrosii viget? *Pot.* Omnino ejusmodi. *Al.* Horum tu incolas *beatos* prædicas? *Pot.* Credo sanè, hanc esse Philosophiam, in qua hujus vitæ beatitudo consistit, si tamen isti ex suis legibus vitam instituant. Si quis enim ex illis aliam viam eat, fateor, facilè contingere, ut eum suæ beatitudinis citò pæniteat. *Aug.* Concordem cum Simpliciano sententiam tenes. Ille beatitudinem præsentem constituit *in spe futuræ*, qualem spem vix ab alio *certiùs* obtineri, & *faciliùs* conservari, ac ali, quàm ab homine, qui se à carnis illecebris, & peccandi periculis abstraxit, facilè video. *Al.* Nos de illis aliter judicamus. *Pot.* Non ex vero. Nam nemo, Alipi, alieno judicio aut miser, aut felix est, sed suô. *Nav.* Etiam puto. Quid enim ad meam miseriam vel felicitatem facit aliorum judicium? *Pot.* Iam illi, quibuscum ego locutus sum, dicunt de se, & judicant, *se nullum malum pati, & nullô bonô carere:* quid deest,

(d) *Matth. 19.*

deest, quò minùs beatos dicamus? *Al.* Quid? potentiâ Majestatis, splendore nominis, honorum gloriâ, voluptatibus sensuum omnibus non fere carent? *Pot.* Mediocritate utuntur, excessu carent. Sed *ipsorum judicio* ista nulla sunt bona: unde non modò excessum non appetunt, sed defectum etiam patiuntur libenter, imò sponte ac hilariter abjiciunt prætextas, abjiciunt opes, rebus & spebus se exuunt, fugiunt nuptias, ut ita se uno ictu à mille curis, periculis, & miseriis expediant, quibus objiciunt se, qui gloriam, aut divitias, aut fæminas amant. Sic expeditos nullum etiam malum premit: nam paupertatem eligunt ipsi, contemptum quærunt, afflictiones corporis tantum abest, ut horreant, ut se ipsi affligant. Breviter: nihil illi bonum putant, nisi Deo placere, nihil malum, nisi Deo displicere: quòd autem Deo placeant, securam spem habent, quam nullus ipsis casus eripere, nisi volentibus potest. *Aug.* Non omnes capiunt verbum hoc. *Al.* Ex quo genere hominum sunt isti Philosophi? *Pot.* Dixi, ex omni genere hominum. Etiam rudissimi capiunt hanc sententiam, quia ad experimentalem Philosophiam pertinet, non ad theoriam. Testis de visu adsum, nec recordari sine tenero sensu possum, quod nuperrimè cum duobus ex aula nostra viris splendore generis, ætatis flore, opum magnitudine, ùt putabamus, felicissimis contigit. Meretur narratio, ut attentè audiatis, nam est jucunda. *Aug.* Cupio, Potitiane, ut sedulò narres. *Pot.* Vim amoris stupebitis, si seriò exardet in Deum. Treviris, unde huc adsum, nuper, cùm Circensibus ludis Imperator adesset, nostrûm aliqui ex aula progressi in silvam, venimus ad casam, in qua, quales descripsi, servi Dei habitant. Ibi divisi alii per hortulos ambulamus, duo Juniores irrumpunt in cellulam, videt alter librum (is vitam Antonii, de quo dicebam, continet) arripit temerè, legit. Ex bono tam tenui nata est ingens felicitas. Nam dum legit, miratur primùm heroicum sæculi contemptum in

juvene opulento, & nobili. Mox accenditur imitandi cupidine, meditatur, quid agat, pudore sobrio & amore sancto repletur, demum iratus sibi, & totus ardens, fixis in socium oculis, abrupta repentè lectione, cum impetu spiritûs, dic, quæso, amice, inquit, per omnes labores nostros quò ambimus pervenire? quid quærimus? cujus rei causâ militamus? majúsne aliquid sperare possumus, quàm ut amici Imperatoris simus? & ibi, quid non fragile, plenúmque periculis! & per quot pericula venitur ad majus periculum, cui etiam anima subjacet? & quamdiu istud erit? *Nav.* Sapiens discursus fuit. *Pot.* Concluſit: Amicus autem Dei, *si voluero*, ecce nunc fio. *Al.* Certum est. *Aug.* Quid interrumpitis? absolve Historiam. *Pot.* Hæc locutus, & turbidus parturitione novæ vitæ, reddit oculos paginis: dum pergit legere, fluctuat, pallet, incenditur, fremit colluctans secum: denique suborto lumine clariore, quo veram felicitatem discernebat à falsa, jam totus Dei, amice, exclamat, ego abrupi me à vana spe nostra, & *Deo Soli* servire statui, & hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior: te si piget imitari, noli adversari. *Aug.* Prodigium audio. *Pot.* Expecta totum. Dicebat hæc ille, & socium eodem igne inflammavit. Negavit se discessurum à socio tantæ mercedis, tantæque militiæ. *Nav.* Vim gratiæ, Frater, stupeo. *Pot.* Audite ampliùs. Interea eòdem ego cum socio deferor: monemus, ut redirent, quoniam declinâsset dies: recusant ambo, narrant, quid contigerit: ne molesti essemus, orant. Nos non sine lacrymis gratulati sortem bonam, nihil tamen morati, redimus in palatium, trahentes cor in terra, quod illi cælo affixerant. *Aug.* Illi aulici, nobiles, divites, juvenes! quò abripior! *Pot.* Adhuc audies majus prodigium, cujus ego testis sum, ùt dixi, de visu: habebant ambo sponsas, quæ, postquam hoc audiverunt, dicaverunt etiam ipsæ Virginitatem Deo. *Aug.* Alipi, quid est hoc? *Nav.* O Amor, ô divine Amor, quid potes? *Al.* Video

te

te vehementer commotum esse: quid pateris? *Aug.* Quid audisti? (e) *Surgunt indocti, & rapiunt cælum, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce volutamur in carne & sanguine!* Prô! turpe dedecus! pudet videri me! *Pot.* Insolita loquitur. *Al.* Et plus, quàm lingua, loquitur frons, vultus, oculi, color, modus vocis. *Nav.* Hodie sanè magna in fratre molitur Deus, & verum Simplicianus dicebat: nisi se hodie convertat Augustinus, convertet nunquam. *Pot.* Laus Deo, qui urgere non cessat pugnantem sibi! *Nav.* Urgebo Matrem; ut nunc orando pugnantem juvet: nam hæc nisi fallor, hora est peremptoria. *Pot.* Ego Simplicianum revocabo, ut juvet. *Al.* Ambo bene. Ego premo vestigia, ut observem à longè. Experiar, quid ab Augustino divinus Amor extorqueat, ut sciam, quid velit à me.

CHORUS.

Vitia nuper superata pugnam instaurant, sed ab Amore debellantur, & locus pugnæ in hortum voluptatis mutatur. (a)

Personæ Priores.

Consuetudo. VAh! jacetis Socij!
Et amici Sensus gemunt in vinculis!
O pugna infelicissima!
Spes periit me vindicandi,
Et evertendi ista mœnia.

(e) *L. 8. Conf. c. 1.* (a) Exhibetur arx, & in ejus fossa strages Vitiorum.

Cupido. Herum audio. Ceſſa gemitus:
Mortificati ſumus, mortui non ſumus:
Iterum tentanda eſt alea.

Conſuetudo. Vivitis? Io! ſurgite ad nova conſilia.

Chorus.

Surgimus, ſurgimus,
Arma reſumimus,
Tu noſtra vita, tu ſpiritus es,
Tu anima pugnæ, tu ſpes.

Conſuetudo. St! ſilentium! rem non bonam nuntio.
Gratia, quæ in perſona Tabellarii hactenus latuit,
Amor eſt: hodie ſe prodidit.
Amat, & amari deſiderat:
Ideo *hortum* parat Anthropo,
Ut accidat illi *jucundior* novæ vitæ conditio.

Cupido. Inferi! hæc me perimit æmulatio.
Delicias Spiritûs homo ſi ſentiet,
Omnis ei Caro deſipiet.

Aria.

Fateamur liberè:
Pura ſunt, plena ſunt, vera & ſolida,
Quibus afficitur *Spiritus*, gaudia:
Corporis deliciæ
Nihil habent ſimile.

2.

Spiritus cùm jubilat,
Muſica Charitum ſtrepit, ùt anſerum,
Deſipit Maſſicum, diſplicet balſamum,
Roſa deformis eſt, ipsáque Helenæ
Forma deſpicitur, veluti furiæ:
Intus ſe *mens* recreat,
Extra ſe non ambulat.

Conſue-

Consuetudo. Verum est, quod asseris:
Propterea in tempore opponamus nos
Amoris consiliis.
Omnes. Citò, citò ad arma, ad arma!
Consuetudo. Sileant tympana. Postquam nihil actum est vi,
Adhibendi sunt cuniculi:
Sequimini me taciti.
Anthropus. Audivi strepitum: quæ turbæ se movent iterum?
Amor. Explora Fides, Timor excuba, arma te Spes!
Anthropus. Superi! mortua ad vitam redierunt Vitia!
O Amor! ô Gratia! donec pax sit, *de horto* ne cogita.
Amor. *Pax est hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.
Anthropus. Ah! vix adfuit:
Rursum me *voluntas bona* deseruit!
Non, quod volo bonum, hoc facio, Rom. 7.
Sed quod nolo malum, hoc ago.
Amor. Causam video.
Nondum *imperas tibi satìs seriò.*
Nam, quid sibi vult istud, NOLO, *quod lego?
Defensivè nimirum habuisti te hactenus:
Laudo, & sufficit, ut hostes possis *superare*:
Sed, nisi egeris *offensivè*, nunquam pax erit,
Nunquam poteris *debellare.*
Anthropus. *Offensivè* jubes me agere?
Nescio, quid velis dicere.
Amor. Explico me.
Dico: cùm ad peccatum alliceris,
Non solùm, *non esse consentiendum,*
Sed *contrarium,* contrarium agendum.
Sic pugnat, *qui amat.*

Aria.

* Vox Scripta in porta arcis clausa.

Aria.

Tarda molimina,
Longa certamina
Amor, *ſi amor eſt*, odit;
Statim in aciem prodit,
Et *decretorio*
Decertat præliô.

2.

Igni eſt ſimilis,
Qui ſe in latebris
Diu non poteſt tenere;
Hoſtem vix datur videre,
Jam victor proſilit,
Invadit, perimit.

Anthropus. *Contrarium agendum eſt!* hæc eſt doctrina heroica!
Amor. Hoc eſt, *facere cum tentatione proventum.* 1. Cor. 10.
Anthropus. O nobile Amoris inventum!
Fides. Amor, Amor, ſuppetias propera!
Captivi Senſus ruperunt vincula,
Timor. Et rediviva cuniculos fodiunt Vitia,
Spes. Jamque labant propugnacula:
Omnes tres. Non ſufficimus victoriæ,
Amor, Amor adjuva!
Anthropus. Adjuva! ah! adjuva!
Amor. Noli metuere: *Amor vincit omnia.*
Vos, quid poſt muros latetis?
Eja! hoſti occurrimus, mecum procedite!
Anthropus. Et quid, Amor, *quid me vis facere?* Act. 9.
Amor. Contrarium, contrarium!
Ad *amores vetitos* volunt te vitia tua retrahere,
Ergò *odium* (ſic poſtulat *Amor*) *odium* exhibe.
Anthropus. Odi! Amo! & ex amore *in odio*,
Ex odio *in amore* exerceo me.

Aria.

Aria.

Amo te, Amo, amabilis Deus!
Neque tantùm Amo te,
Quia *timor* urget me:
Aut quia me allicit *spes*:
Amo te, *quia es Deus*,
Quia amari te *amor vult meus*,
Amo te, *quia amabilis es.*

2.

Pereat hora; qua te non amavi!
Pereant deliciæ,
Opes, & illecebræ!
Spes pereant omnes: & res,
Propter quas *tibi peccavi*, Psalm. 50.
Et te, ô Amor, amare cessavi,
Ah! te, qui *solus amabilis es*!

Fides. Victoria! plaude Anthrope! Victoria!
Ad internecionem deleta sunt Vitia,
Et subjugati Sensus faciunt imperium:
Respice! exulta! admirare *amoris prodigium.*
Anthropus. Superi! ubi sum? ubi sum? (b)
Timor. Persei fabula facta est Historia.
In delicias Anthrope, in delicias pectus exsplica!
Vitia tua in ipso æstu caloris,
Ut obversum sibi viderunt *scutum Amoris*,
Friguerunt, ùt marmora.
Spes. Locus pugnæ in Paradisum se vertit,
Quem, vide'n, ut ornant *bellæ*
Quas ex *belluis* formavimus, Statuæ?
5. *Sensus.* Nos etiam liberi à servitute peccati,

(b) Aperitur hortus.

Et veniâ rebellionis donati,
Post præstitum Amori homagium.
Vivimus beati! beati!

Anthropus. Cor dulcissimo mihi subsilit gaudio.
O Amor! ô Amor, quæ est hæc rerum mutatio!

Amor. *Mutatio Dextræ Excelsi!* Fruere! liberè Psal. 76.

Fides Spes Timor. Fruere, fruere!

Anthropus. Fruamur filii! *bonum est, nos hìc esse!* Matt. 17.

5. Sensus. Bonum optimum! bonum optimum!

Amor. Quantum sit, *Experientiâ* discite! *Tabernacula facite!*
Gustate, & videte,
Quàm suavis sit Dominus,
Suavis utique, & *amabilis super amorem mulierum*
(2. Reg. 1.)

Sed cum fame *gustantibus*,
Cum attentione *videntibus*,
Cum patientia *experientibus*.

Aria.

Ut cæci de colore,
Sic illi de amore
Non possunt judicare,
Qui nunquam didicerunt,
Vel certè non *senserunt*,
Quid Deum sit *amare*.

2.

Si nôsse vis, si capere,
Eja! *experire*,
Et *dies tandem aliquot*,

Non

Non ex spe, vel timore,
Sed *vero ex amore*
Servire Deo statue:
Tunc judica, tunc loquere,
Tunc *senties*, quid hac de re
Oporteat *sentire*,
Eja! experire!

PUNCTUM II.

Difficultatis Victoria.

SCENA I.

Simplicianus. Alipius. Navigius. Potitianus.

Navigius. Enimverò bonum est omen. Alipi, ùt occurris feliciter, audi, quæso: cùm ad Monicam veni, reperi lacrymantem. Docui, quid fieret, & ipsa, bonum, exclamavit, bonum nuntias: *hæc est dies, quam fecit Dominus!* hodie filius lacrymarum nascetur in lucem novam! hodie Mater ero! dolores jam nullos, sed suavissima gaudia sentio, propinqui partûs prodroma gaudia, nam istæ, quas vides, lacrymæ non, ùt hactenus, amaræ sunt, sed dulces, & jucundæ, iterum, ac iterum repetebat. Tu quid dicis? fallitúrne bona Mater, an Spiritus Propheticus agit? quò se abripuit Frater? *Al.* In hortum descendit. Mirabilis lucta est, & spectaculum, de cujus catastrophe, credo, Superos, inferósque impatienti expectatione suspendi. O bona fors, quòd adsis, Pater, & tu amice, quòd in tempore redeas! quid Episcopus promisit? *Simp.* Expansis brachiis in amplexum Augustini irruet, si potest adduci. *Pot.* Aut non curret ipse obviam, etiam lubens tandem! *Al.* Amici, nihil adhuc certum spondere possum. Hoc scitote,

duellô terribilî congressi sunt Amores duo, Amor carnis, & Amor Dei: pugnæ locus est hortus noster, area cor Augustini: arma armis, ictus ictibus concrepant, decretorium certamen est. *Simp.* Vincet Amor, quem vincere Augustinus volet. *Nav.* Ah! utique ut cælestis scelestum vincat, nunc tandem volet! *Simp.* Volet, si diffidens sibi, fidat strenuè viribus gratiæ: sic gratia, ut velit, faciet. *Pot.* Quin tu properas, Pater, pugnanti te adjungere, ut perficias, quod cœpit Deus? *Simp.* Imò sinamus Deum, quod agit agere. Rem magnam agit, & videtur velle solus peragere. Spectator prælii si esse possum, ducite, ubi non videat nos Christi miles, & unde, si opus sit, periclitanti succurrere citò possim. *Al.* Hoc est, quod opto. Nam ego explicando non sum, quantis animus solatiis innatet ex bona spe. Redundet in vos pars gaudii, quod istud spectaculum fundit. *Nav.* Me dubius eventus angit. *Al.* Deus, Navigi, adhibuit machinam: non potest infelix esse. Pater, impetu Spiritûs Augustinum abreptum vidi. Ut solum se vidit, cœpit primùm amarissimè flere: deinde statione abrupta, incitatis gressibus aliquoties inter gravia suspiria hortum perambulavit: mox prostravit se sub arbore, & Pauli Epistolas volvit: rursum se erigens in genua procidit, altissiméque ingemiscens, habenis permissis fletui clamavit cum miserabili ejulatu: *& tu Domine usquequò! usquequò Domine, irascéris in finem!* *Simp.* Orat tandem, orat Augustinus? *Al.* Oravit: *da mihi castitatem, & continentiam, & modò da, da modò!* *Simp.* O factum bene! & non audísti illud absurdum: *noli modò, noli modò!* *Al.* Nihil! sed diuturna oratio non fuit. *Simp.* Modò fervens, & seria, & sæpius repetita. *Al.* Nescio, quid postea. Postremùm hoc vidi. Surgens à precibus iratus est sibi vehementer, ac pectus plangens iterato verbere ingeminavit: (a) *quamdiu cras, & cras? quare non hac hora finis turpitudinis meæ?* hìc miseruit

seruit me boni viri, nec tenui lacrymas luctantis contentione commotus, dixíque tacitè mihi: utinam nunc Simplicianus adesset! sic abii. Nunc, quia in te incidi, oro, ut observes nobiscum, quò res evadat: deinde, quod dictaverit prudentia tibi, age, ùt decet. *Simp.* Severè agendum erit. *Nav.* Prô! quid audio? severè ages? iterum præcipitabit se Frater, unde emergit, si tu habeas malè. *Simp.* Præcipitet se, si vult: mihi certum est, cum ipso non ruere. *Al.* Deus bone! nunquam vocem similem à te audivi. Hactenus mitissimus virorum meras blanditias loquebaris: nunc tonitrua minaris, & fulmina: quis te Spiritus agit? *Simp.* Spiritus Christi, cujus Legatus sum, & pacis arbiter. *Pot.* Spiritus Christi est Spiritus dulcis, quia Domini *mitis, & humilis corde!* non utique degenerabis? *Simp.* Sinite me, scio, quid exigat officii ratio. Dixi: *Legatione pro Christo fungor*, arbiter pacis sum. Rebellem Augustinum vult optimus Deus in gratiam recipere, hanc offert per me: sed mihi sub pœna damnationis æternæ prohibuit, *exceptionem* ullam admittere: Nisi Augustinus *sine ulla conditione* se dedat, & subjiciat Deo, actum est, non potest ad Baptismum admitti: hoc debeo denuntiare, & si dissimulem, me cum ipso perdam. Quotquot homines infernus urit, perdidit omnes *voluntas mala*, sed aliorum mala fuit, quia *perversa*, & amans sceleris, aliorum, quia *pigra*, & semper procrastinans, aliorum, quia *infirma*, & ex horrore difficultatis passim à bona via resiliens, longè plurimorum tamen, quia *restricta*, & extra limites non procedens, quos Deus vult omnes prorui. Quid multa? *sine conditione*, *sine exceptione* dedi cor Deo debet *unum uni*, *totum uni*: sic est necesse, & mihi ligata potestas est, non possum aliter pacem dare. *Nav.* Metus novus oppugnat conceptam spem. *Pot.* A Deo veniet auxilium fratri, ut etiam rigorem ferat, quem lex Christi imperat pœnitenti. *Al.* Huc intrate, * Vides

* Seorsim.

iterum sedentem sub arbore? *Simp.* Paulum legit.... *Nav.* Flet amarissima contritione cordis sui! .. *Pot.* Tristis, turbidus, anxius frendet adversùs se... *Simp.* Credo, quia adhuc inter spem ac desperationem, inter audaciam & metum medius de sua turpitudine erubescit. *Al.* Nulla est quies. En ùt oculos cælo figit cum gravi singultu!... *Nav.* Iterum dejicit.... *Pot.* Resumit librum.... *Simp.* Rejicit.... *Al.* Surgit. Videtis, ùt gressum præcipitet?... *Nav.* Quò se proripuit? *Pot.* Redit.... Iterum residet.... *Simp.* Mutus dolor vocem elidit. Mihi ex isto aspectu liquescit cor.... *Al.* Nunc erumpit in verba mœror

SCENA II.

Augustinus accedit.

Augustinus. Ah! omnia me mihi exprobrant. Hi flosculi, vide, qua veste niteant! sed quamdiu? .. sic perit voluptas, quam carni quæro... Hæ arbores, quàm superba se extollunt specie!. folia habent, fructu carent. Sic ego in doctrina mihi plaudo: quam solam Deus æstimat, virtus nulla est.... Hic fons, ùt salit variè, & lusum oculis facit!. per vim in altum surgit, suo pondere in ima recidit. Intelligo.... *Vim* debeo *naturæ* facere: aliàs in terram diffluit, & in cloacam degenerat, ex cujus putredine serpentes venenati, & fœdi bufones prodeunt. Vah! turpis species vitæ actæ! *Simp.* Salubris cogitatio est. *Aug.* Cur autem non facio mihi *vim?* .. *naturam* nactus sum ad malos amores pronam: quid tum? sententia lata est: (b) *sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius. Vis, vis* facienda est. Eccur ergò non facio mihi *vim? Pot.* Potens interrogatio est, cui vix responsum reperies. *Aug.* Nempe Africanus sum, & in Africa homo castus monstrum est: regionis vitium, & malum clima temperiem humorum perdidit..

(b) Gen. 4.

quid

quid tum? Alipius, Nebridius, Potitianus Africani sunt, casti tamen. *Pot.* Per Dei gratiam. *Aug.* ¡Et indomabiles bestiæ cicurantur per famem: domari belluinus appetitus non possit?.. potest, sed nimirum per *vim*. Cur ergò non facio mihi *vim*?.. alii faciliùs facient sibi, quibus obtigit educatio melior: ego assuevi sceleri! & jam à tot annis! *Simp.* Tua culpa est, quòd jam difficilior emendatio sit. *Aug.* Assuevi! quid tum? adhibenda erit *vis major*, quàm ab aliis, quid tum? adhibenda tamen aliquando est, cur igitur non jam nunc facio mihi *vim*?.. non possum!.. aliquando potero, sic ego ipse mihi persuadeo: cur ergò non possim modò?.. utique possum, sed *vi* est opus. Cur autem non facio mihi *vim* denique? ah! hoc ipsum est, quod non possum!...& si possem *vim* mihi facere semel, iterum, etiam tertiò, quartò: semper possem? quid? hoc ego mihi promittam? *Simp.* Iterum lapsas miser! juvate boni Cælites! nam ista cogitatio pugnantem prosternet... *Nav.* Miserabiliter flet... *Pot.* Excipiet istum imbrem dies serenior. *Al.* Solare Pater. *Simp.* Utilis tristitia est. Expectemus. *Nav.* Velut extra se raptus, immobilis sedet.

MUSICA

Divinæ Gratiæ motus internos exhibet,

Ex L. 8. Conf. c. 11.

Continentia. Chorus castè viventium.

Continentia. *Augustine! tu non poteris, quod isti, & isti?*
An verò isti, & isti possunt in semetipsis,
Et non in Domino Deo suo?
Dominus Deus eorum me dedit eis.

Arietta.

Arietta.

1.

Cor sursum, Augustine,
Cor sursum erige!
Et obviàm Divinæ
Festina Gratiæ!
Chorus. Tardatum satis est:
Abrumpe tandem moram,
Hanc Deus signat horam:
Hæc tua salus est.

2.

Cur dubitas sperare
In ope Gratiæ?
Vult Deus te juvare,
Et potest facilè.
Chorus. Si Deus tecum est,
Quod est *naturæ* grave,
Per *gratiam* fit suave:
Fel ipsum dulce est.

3.

En dura, exiccata,
En terra sterilis,
Hoc sanguine rigata
Evasit fertilis.
Chorus. Quot fulget floribus,
Tot Gratiæ Divinæ
Ut fidas, Augustine,
Instat clamoribus.

4.

Quousque obluctaris?
Assurge, urge te!
Non primus evocaris:
Sunt multi ante te.
Chorus. A tot vestigiis
Jam tritam viam ire,
Et huc ad me venire,
Cur tu non poteris?

5.

Ah! potes, modò velis,
Si velis seriò:
Inanibûs querelîs
Non stat conversio.
Chorus. Quid prodest gemere?
Promisso crede meo,
Confide bono Deo,
Et manum admove.

Tolle, lege! tolle, lege!

Aug. Quid vidi? ô Deus! *Nav.* Redit ad se. *Aug.* O bone Deus! salubris exprobratio fuit! *Pot.* Gemit mitiùs. *Aug.* Et ita est: *una generosa resolutione* est opus: sic rumpentur omnia vincula, quæ me stringunt. *Simp.* Lux de cælo splendidiùs fulsit: speremus bene! *Aug. Tolle, lege! tolle lege!* quid legam? *Al.* Sanè ad cor locutum esse Deum, intelligo. *Aug.* Credo, quod Magno Antonio salutem tulit, idem mihi præcipi: quod fortuitò occurrit, legam. *Nav.* Frons, oculi, vultus, loquuntur mutatum fratrem: totus tranquillus est. *Aug.* O cultores castitatis Cœlites, dirigite manum, ut incidat in oculos textus, qui animæ prosit! *Simp.* Sic places. Divinæ voci obedientem video. *Aug.* Auditus sum! Superi! quò me vertitis?.. Alipi! Alipi! *Al.* Me inclamat. *Simp.* Tene te. opperiamur, quid porro fiat. *Al.* Discessit à me. Mira lux animo venit. (c) *Non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis.* Prodigium apertum! sæpe aliàs hunc ipsum Apostoli locum legi, nunquam sic. Nunc penetro. Augustine, quam tantis impendiis quæsivisti Beatitudinem, en manu tenes: vide, ne denuo abjicias. *In quo sit Beatitudo, & in quo non sit,* ecce habes. Non in oblectationibus gulæ, ac Veneris, absit! non in contentiosa ambitione honorum, & laudis, Augustine, sed in hoc beatus eris, quòd induaris Dominum Jesum. *Pot.* Pater, conversus est Augustinus! *Simp.* Intellectu quidem, voluntate nondum. *Aug.* Quid autem est indui Dominum Jesum, nisi conformare se moribus Jesu, moribus castis, pudicis, modestis, sanctis? *Simp.* Omnino sic est: *Aug.* Hac conformitate nititur tota (d) *spes vitæ futuræ*: sine hac adeò *nulla Beatitudo est.* Sic memini alibi docere eundem Apostolum, quòd *prædestinati* non sint, nisi qui *conformes fiunt Imaginis Filii Dei. Nav.* Erumpamus tandem! conversus est

frater! *Simp.* Nondum, ajo: nam aliud est cognoscere veritatem, aliud amplecti. *Aug.* Sed nempe ut ex imagine tam deformi, imago conformis fiat Prototypo tanto, hìc erit labor gravis, molestus, diuturnus! *Simp.* Auditis? *Al.* Et tu cessas nutantem firmare tandem! *Sim.* Patientia! *Aug. Una generosa resolutione* est opus! nam, quod potuerunt tot alii, etiam ego possum: certum est. *Sim.* Utinam agas demum, quod potes! *Aug.* Quando igitur me resolvam? *Sim.* Nunc gratia urget. *Aug.* Natura horret!... horreat! vincenda est aliquando, vincatur modò!.. Aggredere te! quid adhuc hæsitas? *Nav.* Jam flectit genu. *Aug.* Difficile est nihil refert. Impera tibi anime! eja citò!... *Pot.* Vah! nondum tamen! *Aug.* Iterum trepidas? ô homo imbellis, quousque mancipatum putridæ carnis feres? homo temerarie, quousque abutèris patientiâ optimi Dei tui! homo sceleste, quousque calcatis legibus Legislatorem Omnipotentem contemnis impudens, & cum execrabili audacia insultans clamas: *nescio Dominum! non serviam! non serviam!* .. velis, nolis, servire debes!.. eheu! annos omnino triginta vanitati, carni sceleri, diabolo vixi!.. satis est, plusquàm satìs! *Sit mihi cœlum & terra testis! reliquos, ô Deus salutis meæ, reliquos tibi vivam, & tibi soli, & hoc ex hora hac!.. Nav.* Victoria! *Sim.* Silete adhuc paululum. *Aug.* Boni Superi! quid est hoc? conversum cor sentio. Alipi! Alipi! *Sim.* Mihi supereſt actio, & hujus resolutionis examen, ne fallat nos Augustinus, & se. *Aug.* Súmne Augustinus, an non sum? non sum, certè non sum! ô cœlum, quis est hic sensus animi; quæ dulcedo insolita, & nunquam gustata mihi! (e) *ô gaudium, ô verè pax Dei, quæ exuperat omnem sensum!* Alipi! Alipi!.. cui dicam hoc bonum, quo subitò beatus sum!

SCE-

(e) *Phil.* 4.

SCENA III.

Augustinus. Simplicianus.

Simplicianus. Augustine! *Aug.* O salve Pater! tandem tuus est Augustinus, aut, quod audire malis, totus est Dei. *Sim.* Seriò? *Aug.* Facta est *Resolutio*, & non movebor ampliùs in æternum. *Sim.* Vidi pugnantem, audivi verba bona: sed ne ipse fervor, quo ardes, te fallat, metuo. Severè te inspice, & quanquam usus es gratiâ ad victoriam, ne triumphes, antequam debellaveris, sedulò cave. *Aug.* Novi me, Simpliciane, & timeo me: *in gratia spero.* Pater, non invenio verba, quibus me explicem tibi nunc. *Vivo ego, jam non ego*, alia prorsus nunc est mens, ùt primùm facta est *Resolutio* vitæ mutandæ. Abiit horror, disparuit diffidentia, evanuit ipsa, qua tenaciter ligabar, *affectio ad delicias carnis*, & in illius locum subiit *aversio, & odium*, ita ut jam mirer, placere potuisse voluptatem, cujus abominationem modò tam jucundam experior. *Simp.* Præmium Generosæ Resolutionis dat Deus. Quidsi paulò pòst subtrahat iterum has delicias Spiritûs, scilicet redibis ad illas, quas nunc damnâsti? *Aug.* Fastidium est vel cogitare. *Simp.* Quamdiu sic? paciscar iterum, ut unam saltem hebdomadam castus vivas? *Aug.* Pudet pacti! fidem, quam hodie Deo feci, servabo ad mortem usque. *Simp.* Redibunt nugæ tuæ, & tentationes vehementiùs ingruent. *Aug.* In te, Domine, speravi, non confundar. *Servabo fidem! Simp.* Non credo, nisi statuas præter peccatum, etiam fugere peccati periculum, & saltem proximas occasiones vitare. *Aug.* Velut à facie colubri fugiam. *Simp.* Si etiam fugitans, casu incidas, quid facies? *Aug.* Timore Dei videntis omnia, & ulturi, obarmabo pectus: *Servabo fidem! Simp.* Si mali habitus, & inolitæ consuetudinis vis propè invitum retrahat in amorem mali?

Aug. Vim vî repellam: *servabo fidem*, & dicam! NOLO! *Sim.* Sed de vita tam malè acta quam tu pœnitentiam ages? *Aug.* Recogitabo Domino omnes annos meos in amaritudine animæ meæ! & actibus contrariis actus pessimos expiabo. *Sim.* Quasi diceres: *Actibus amoris prohibiti opponam actus Amoris Divini.* *Aug.* Hoc dico, hoc faciam. *Sim.* Si autem amabis Deum, utique *ex amore Dei* suscipies labores, tædia, curas, molestias, saltem quales suscepisti toties amore amoris mali? *Aug.* In pudorem me agis, & video te diffidere mihi. Sed crede, Pater, plùs, quàm speras, mutatus sum, & plùs, quàm ipsémet speravi. Age, duc ad Episcopum, ut pro Baptismo supplicem. *Simp.* Si non admittat, si differat Sacramentum, ut probet constantiam, æquô animô feres? *Aug.* Amo Deum! *amore Dei* libenter, & hilariter feram, quidquid ferre me velit Deus. Ah Deus! *Deus meus, pulchritudo tam nova, pulchritudo tam antiqua, quàm serò te cognovi! quàm serò te amavi!* *Sim.* Serò utique, sed seriò tandem. Naturam nactus es ad amores pronam: si elegisses objectum amore dignum, quantus esses! *Aug.* Doleo, affectum tam nobilem objectis tam indignis me addixisse! tu solus, Domine, tu solus amore meo es dignus, & alius nemo *præter te*, nisi *propter te!* *Sim.* Solum igitur posthac amabis? *Aug.* Solum toto corde, totis viribus, tota anima! *Sim.* Quando? *Aug.* Omni tempore. *Sim.* Ubi? *Aug.* Omni loco. *Sim.* Quomodo? *Aug.* Omnî modô, quo ipse vult, ut probem amorem sibi. *Sim.* Vult, ut probes agendo, quidquid imperet. *Aug.* Agam. *Sim.* Omittendo, quidquid prohibet. *Aug.* Omittam. *Sim.* Patiendo, quidquid immiserit mali. *Aug.* Urat, secet! patiar, modò in æternum parcat, & ab amore sui miserum non excludat. *Sim.* Si præceptis superaddat consilia, excipis? *Aug.* Nihil, Pater, nihil excipio, quia amo, & ô unicè amabilis Deus, da, ùt amem ardentiùs, amem te fortiùs, amem amore, quantum capere cor istud potest. *Sim.* Sic bene! exer-

ce

ce te *in amore.* Amor Dei jugum suave, onus leve, servitutem jucundam facit: *& servit constanter, quem delectat servire.* *Aug.* Discipulum docilem habebit Ambrosius: siste me! moram longiorem non patior, nam hoc scito, mi Pater, fui, eheu! *fui peccator, & magnus, & diu:* at nunc *(vivit Dominus, in cujus conspectu sto!)* nunc statutum est: *Sanctus fieri volo, & Magnus, & citò.*

SCENA IV.

Personæ omnes.

Simplicianus. Jo! hæc est *perfecta Conversio!* nunc procedite amici, & *congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat.* *Aug.* Ecce, adestis vos! *Al.* Beatè est! *Nav.* O felix dies! *Pot.* Vive heros & victor tui! *Omnes.* O læta mutatio! *Aug. Benedicite Deum cœli, qui fecit mecum misericordiam suam!* evasi ex carcere tenebroso, rupi catenas graves, liber sum! *Sim.* Mutatio à Deo est. *Aug:* Et post Deum à vobis. Tantum bonum tuæ, Pater, directioni, & patientiæ, tuis, Potitiane, colloquiis, tuis, Alipi, exemplis, tuis, Navigi, obsequiis, & tuis, ô Mater mea, lacrymis debeo. *Nav.* Quantis Monica subsiliet gaudiis! præcurro nuntius. *Aug.* Simul ad ipsam imus, & cum ipsa ad Ambrosium. *Pot.* Præcipio animo Præsulem triumphantem lætitiâ. *Sim.* Triumphus est Gratiæ! *Al.* Triumphus grandis! *Aug.* Te Deum laudamus!

Omnes. Te Deum laudamus!

O. A. M. D. G.

MEDITATIO V.

AUGUSTINUS SANCTUS,

SIVE

FRUCTUS VICTORIÆ

ARGUMENTUM.

AUguſtinum jam converſum Ambroſius non ſtatim ad Baptismum admiſit, ſed dilata *per integrum biennium* Sacramenti ſuſceptione, conſtantiam viri vel probavit, vel firmavit, nempe ut non qualiscunque, ſed *perfectæ Converſionis* Exemplar poſteris daret. Tempus illud Auguſtinus, abdicatâ Rhetoricâ, in villa Verecundi prope Mediolanum unà cum Matre, Fratre, & amicis *in perpetuo Exercitiorum Spiritnalium uſu* tranſegit, ut *experientiâ* diſceret, quantô jucundius ſit Deo, quàm Carni, &Mundo ſervire. Præcipuè autem uſurpâſſe credimus *Exercitiuum Amoris Divini*, quod *Soliloquia* probant, libellus ſublimiſſimis affectibus plenus, & in illa biennali ſolitudine à nondum baptizato conſcriptus, tanto cum fructu, quantum admirari ſatis non poteſt, qui *librum 9. & 10. Confeſſionum* legit, & inter Auguſtinum *Peccatorem* ac *Sanctum* comparationem inſtituit. Nos hodie inſtituemus, ideóque hujus poſtremæ Meditationis erit

Materia:

Materia: Heroiçæ Reſolutionis Heroica Executio.

Puncta duo: Primum, Executionis Locus *in ſolitudine.*
Secundum, Executionis Modus *cum perfectione.*

Fructus: Deſiderium *Converſionis perfectæ*, qualis eſt, quæ ab amore perfecto inchoatur, & ab eodem continuatur.

Propoſitum: Reſolvere ſe ad frequens *Exercitium Divini Amoris* cum ſincero affectu uſurpandum, &, ut affectum ſequatur effectus, determinare ſe *in ſpecie ad certum ordinem actionum ſuarum*, qui faciet, ut *per Experientiam* diſcamus, quàm ſuave ſit Jugum Chriſti, & falſa multorum perſuaſio, quòd vita proborum ſit triſtis, ac melancholica.

PERSONÆ.

S. Simplicianus.

S. Auguſtinus.

Alipius.

Potitianus.

Verecundus.

Romanianus.

Nebridius.

Navigius.

PRO-

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationes præteritas, & Præparatio ad præsentem. (a)

Anima meditans. *Angelus explicans.*

Anima. O Bone Genie, quàm bene est mihi *hodie!*
Experior, quòd suave sit, *Deum diligere!*
Amore caleo, ferveo, æstuo!
O flammæ cælicæ! urite ampliùs! consumite me!

Aria.

Ah! quare
Non possum, ut vellem amare!
Improvida natura!
Dedisti plures oculos,
Aures, pedes, digitos,
Cur non & corda plura?
Domine, ut amem te,
Ah! quod *unum* est in me,
Non potest cor sufficere!
Improvida natura,
Cur non dedisti *plura!*

2.

O Deus,
Ut angitur animus meus!
O si daretur mori,
Et rupto posset pectore

Cor

Cor saltem istud liberè
Laxare se amori!
Dulcis mors! beata sors! ..
Horæ pigræ currite! ...
Adsit ô! quæ jubet me
Amabili victori
Succumbere amori.

Angelus Ardet *affectus*, gaudeo!
Sed parum æstimo, nisi *effectum* videro.
Nam *quamdiu sic?*
Novi te, & nondum tuæ fido constantiæ.

Aria.

Hodie sancta es: alas appendis,
Volatu audace ad astra contendis:
Supra Cherubinos
Inter Seraphinos
Amor constituit te!
Triumphas *hodie*:
Cras, Deus scit, quid sit futurum de te.

2.

Cras forsan pennæ diffluent,
Et Icarum sibi plaudentem,
Cordíque Divino hærentem
Heu! subitò destituent,
Ut lapsa *de cælo*,
Infelix *in cæno*
Repentè invenias te.

Anima. Averruncate Superi ferale præsagium!
Angelus. Implebitur, si dulci abrepta fascino piorum *affectuum*,
Obliviscēris, quæ Amor exigit, *operum.*
Anima. Ecce me! impera, instrue!

Angelus. Omnia, quæ meditata es, recole.
Fides te tibi exhibuit, ut horreres: *horruisti!*
Timor, ut jugum Domini *sine mora* susciperes, institit:
(*susscepisti!*
Spes, ut sub jugo perstares, animavit: *perstitisti!*
Amor, ut jugum ipsum diligeres, persuasit: *dilexisti!*
Porrò unum est necessarium Amoris exercitium:
Quod facis hodie, *cras prosequere*,
Et, quem cœpisti diligere Dominum,
Semper dilige.
Affectum, si frequenter exerceas, sequetur effectus,
Nam efficacissimum,
Ut bonum facias, incitamentum,
Et *ut in bono perseveres*, remedium
Est *amoris Exercitium*:
Semper dilige! .....
Sic Ambrosius Augustinum exercuit,
Sic Augustinus exercere se didicit,
Sic in verticem Sanctitatis *sine relapsu*, evasit.
Sequere. Certum est, *nec Spes*, nec *Timor*
Semper excludit peccatum: excludit *Amor.*
Non potes peccare, nisi desieris *amare.*

Anima. Jo! jucundum, & facile
Ad perseverantiam remedium
Amoris Exercitium!

Angelus. *Quale* esse oporteat, doceo hodie.
Animum applica,
Et, ut capias *praxin doctrinæ*,
Gratiam à cælo postula.

Aria.

Aria.

Ambo. *Amoris Exercitium*
Ad confirmandum animum
Volenti aggredi,
Favete Superi! ..
Sunt pia *desideria*,
Quæ si per vos, ô Sidera,
Junguntur *operi*,
Novum Augustinum
Pavete Inferi!

MEDITATIONIS V.

De Heroicæ Resolutionis Heroica Executione

PUNCTUM I.

Executionis Locus.

SCENA I.

Potitianus. Navigius. Nebridius.

Nebridius. Ah! quanta me voluptate vestra narratio afficit? Et cur ego infelix *non adfui* (a) ad spectaculum triumphi tam nobilis! *Pot.* Omnino jucundior aspectus fuit, quàm ut facilè capias. *Nebr.* Ut biennium integrum, quo ego in Africam reversus, hinc abfui, Augustinus *solitarius* viveret, effectus est, amici, victoriæ utique non vulgaris, præcipuè quia in primo congressu vidi, nihil illum in hoc vitæ genere tædiò affici, imò deliciis adeò affluere, ut dubitem, an non beatitudinem suam in

(a) *L. 8. Conf. c. 6.*

ista silva constituat. *Nav.* Certè Aulicorum exemplum, de quibus Potitianum narrâsse audîsti, ita commovit animum Fratris, ut nihil frequentiùs repetat, quàm beatissimos esse in hac vita homines, qui abdicatis negotiis, ac curis sæculi omnibus, sibi solis vacare, suæque saluti, possent. *Nebr.* Idem dicebat mihi, &, quod nescio, an vos sciatis, conversus ad Romanianum, quem ex Africa mecum adduxi, subridens addidit: ego, Romaniane, hanc ipsam beatitudinem unicè opto mihi, ac tibi. *Pot.* Romanianum salutabam herì, & narravit mihi *de consilio Vitæ communis* (b) quam statim post susceptum Baptismum, collatis in unum facultatibus, velletis ordiri, remotíque à turbis totam unius Sapientiæ, ac Salutis studio consecrare. Nunquid hoc volebas dicere? *Nebr.* Hoc: jamque trahitur etiam Verecundus in sententiam, ut ita nostrûm octo, aut decem in unam Societatem conveniant, quorum essent omnia omnium, & finis unus, *servire Deo Soli.* *Nav.* Fortè hoc ipsum est, quod optat Ambrosius. Nam cur biennium integrum à Baptismo suspenderet, nisi, ut protracto novæ vitæ tyrocinio assuescerémus solitudini, ac exercitiis piis, cæptámque bene telam perduceremus ad finem? *Pot.* Prudenter judicas, neque aliter excusari videtur posse rigor, & severitas sancti Præsulis. Perficite, quod molimini! ego, amici, quàm libenter me vobis conjungam, si liberare me possim à servitute, qua Cæsari teneor! nunc ligatus sum, & cras redeundum est Treviros, sicut nudius tertius Mediolanum Româ perveni. Ita nulla est quies in ista vitæ conditione, quam profiteor. Vix saluto amicos, jam cogor valedicere. *Nav.* Neque nos adhuc sumus in portu. Unum difficillimè movebimus lapidem, qui obstat vitæ communis consilio. Verecundus & Romanianus uxores habent: consensum mulierum requirere est necesse, obtineri posse vix aliqua spes. *Nebr.* Erit opus tamen virorum operâ: *opulenti sunt,* (c) & non possumus,

(b) *L. 6. Conf. c. 14.* (c) *Ibidem.*

mus, nisi ab illis suffulti, vitæ in sacro otio transigendæ expensas diutiùs sustinere. *Pot.* Laudabilis providentia. Conferre operam utilem apud fæminas Monica poterit, ut nihil opponant. *Nav.* Et jam cæpit. Nihil Matri optatius accidit ista methodo vitæ, quam tenemus. *Nebr.* Amor solitudinis mihi à puero fuit: hinc pronus in vestrum sensum, & nihil obluctans ibam. Supereſt, ut de methodo, qua vivitis, docear. *Nav.* Duobus verbis totam complector: *vivimus ordinatè. Pot. Solitudo*, & *Ordo*, ô gemina elementa, ex quibus vita beata conficitur! Sed, quæ nemini magìs quàm in Aula degentibus desunt! *Nebr.* Etiam mihi hæc descriptio placet, neque tu hæc duo, *elementa beatitudinis*, sine ratione vocâsti. *Pot.* Sic audiebam appellari à viris solitariis, quibuscum per occasionem agebam sæpe. Causam nominis requirenti, respondebant: omnis infelicitas *ex turbatione* venit: *turbatio* autem propè nulla, nisi *ex turbis* sive hominum, sive negotiorum. Comprehendi dudum hanc Philosophiam: ideò jam diu suspiro, ut liber sim. *Nebr.* Sed tu ipsum ordinis vestri modum diligentiùs explica: non enim quivis ordo potest ad beatitudinem conducere aliquid, sed *ordo actionum bonarum*, quarum varietas tædium pellat. *Nav.* Sic distributæ sunt horæ. Septenas per noctem concedimus necessario somno: totidem orationi per intervalla impendimus, iam contemplantes divina, jam Deo psallentes: septenas item lectioni damus, & scriptioni rerum spiritualium, piisque colloquiis, denique tres reliquas refectioni corporis, ac exercitationi. *Pot.* Cænobitarum hæc vita est. *Nebr.* Vita Sapientûm. *Nav.* Vita beatorum, quanquam hoc asserentibus vix quisquam credat, nisi qui se resolverit ad hujus methodi experientiam saltem per dies aliquot capiendam. *Pot.* Etiam Augustinus non credidit, quod sentit modò, & mihi non sine tenerrimo sensu professus est, sæpiùs repetens: Potitiane, non possum explicare, *quàm suave sit mihi, carere suavita-*

(d) *L. 9. Conf. c. 1.*

vitatibus nugarum! & quas' amittere metus fuerat, jam dimisisse, quantum sit gaudium, vix ipse capio. (d) *Nav.* Ut plenum sit, gratia Baptismi faciet, cujus quò diuturnior dilatio, tantò ardentius desiderium est.

SCENA II.

Accedunt Alipius. Romanianus. Verecundus.

Verecundus. Nebridi, Simplicianus ab Ambrosio adest: mihi cupido est, inter Baptismi * *competentes* adscribi. *Rom.* Nos jam condiximus: accedes etiam? *Nebr.* Nisi me Africa tenuisset, cum Augustino dedissem nomen. Nunc ecce adsum. *Al.* Erit copia loquendi Presbytero, cùm collocutus fuerit Augustino & Monicæ, ad quos arcana ab Episcopo mandata habet. *Nav.* Credo, de vitæ communis consilio, quod se relaturum ad Præsulem herì spoponderat. *Pot.* Aut, quid? Si exoratus tandem Baptismum offerat Præsul? Nam iterum propinquum est Pascha, & vos quàm sitis serii in sancto proposito, probâstis satìs. *Nav.* O si! ô si! *Al.* Lætior nulla luxisset dies, & ex hac villa jam cælum fieret. *Nebr.* Vitam Cælitum jam nunc vivitis, quando vita vestra tota in eo se occupat, quod Cælites faciunt, in *amore* & *laude* Dei. *Al.* Sed ô quanto fiet post Baptismum *Amor* securior, & *laus* jucundior, cùm Sacramenti gratia conatum adjuverit, & in quo concepti sumus, peccati vires potentiùs fregerit! *Verec.* Efficite, ut comes veniam! hoc Beneficium pro biennali usu istius villæ videor mihi jure expetere. *Nebr.* Mihi sufficiet, spero, amicitiæ titulus, ut velitis Patroni esse. *Al.* Severior est Ambrosius, ô boni, quàm ut patrociniis aliquid deferat. Probabit, certum est, & donec inter Catechumenos in doctrinæ Catholicæ tum notitia, tum usu profeceritis, quantum expetit, non admittet ad Sacramentum, quin ne quidem inter *competentes* adscribet, minimè inter *Electos.*

* *Sic vocabantur catechumeni.*

Electos. *Verec.* Non improbo prudentem rigorem. Cautè nimirum Ecclesiæ horreum implere triticô mavult, quàm paleis: ideò tam longum tyrocinium imperat, & istos in tyrocinio gradus. Subjicio me! utinam citiùs feciſlem! *Rom.* Poteras utique opportunitate uti in villa tua. *Verec.* Poteram, nisi seriùs agnoviſſem, quantum sit bonum, quod isti huc intuliſſent. Domesticæ curæ distraxerunt, ut ipsis parum attenderem. *Rom.* Me mea infelicitas in Africa tenuit, donec de Augustini constantia certiùs constitit. *Nebr.* Possumus moram fervore compensare. Transigite cum uxoribus vitæ solitariæ placitum, & erit occasio proficiendi celeriter. *Verec.* Audiemus saltem, quid Ambrosius velit.

SCENA III.

Personæ omnes.

Augustinus. Amici, *ordo*, & hora monet, ut consueta *collatio* fiat: ecce adest Parens animæ nostræ, qui nos pascat verbo, quod procedit de ore Dei. *Simp.* Salvete filii! gaudeo, frequentiorem solitô conventum videre. *Aug.* Hic est, Pater, Mæcenas meus, quem gratulor mihi, exemplô trahi ad beatam vitam, quam ego ambio. *Rom.* Participem me facio tanti boni, quantum inveniſſe se apud Catholicos Augustinus lætatur. Tu, Pater, ut novum discipulum admittas, supplex rogo. *Simp.* Ambobus brachiis venientem amplector, & te, Nebridi, redeuntem. *Nebr.* Utinam abiiſſem nunquam! Quod in Augustino displicuit malum, ipse admisi: sic homines sumus. Urgebat fervor, ut tardanti præcurrerem, nunc difficultas erit, sequi vel à longè etiam: adeò immutatum stupui. *Verec.* Agemus tamen, quod Deus postulat, ut digni simus eâdem aquâ salutis tingi. *Pot.* Hæc gratia probatis fiet, nunquid, Pater, ad

Pascha

Paſcha proximum? & ut nunties, ideò ades? *Simp.* Ideò, ſed non ideò tantùm. *Aug.* Navigi, Alipi, gaudeamus in Domino, lætemur de gratia! eſt propinqua felicitas deſiderata tam diu. Tandem Baptiſmum addixit Ambroſius. *Nav. Al.* Beati ſumus! *Pot.* Gratulor ſortem bonam! *Nebr.* Ego invideo. *Rom. Verec.* Nos ſperamus. *Aug.* Enimverò magna gratia, magna gratia pro me præcipuè, gratiam nunquam, & toties ſupplicia ſempiterna promerito! *Nav.* Magnus Deus miſerrimum homulum adoptat in filium, & facit hæredem, magna gratia! *Al.* Et me præ tot aliis ſeligit, magna gratia! *Aug.* Superabundo gaudiô, & tota mens melleo mari innatat! *Simp.* Sed præparandus eſt animus Sacramento, ut gratia uberior manet ex fonte tam dulci, ex quo omnes hauriunt multum bonum, plurimum ille, qui mundior, & magis capax accedit. Colloquamur, quoniam ideò ex urbe huc veni, ut, qua præparatione poſſitis capaciſſimi magnæ gratiæ fieri, edoceam. *Pot.* Audire & mihi liceat, nam quod de Baptiſmo loquéris, nunquid de cæteris etiam Sacramentis intelligis, quorum uſus eſt Baptiſmum? *Simp.* Sic eſt, Potitiane, & tu audies utilia tibi pro præparatione ad quodlibet. *Rom.* Ego ſaltem quantum abſim â vertice, in quem contendo, intelligam. *Nebr.* Et ego impellar, ut curram. Loquere. *Verec.* Nemo te audiet ſine fructu, poſtquam hac intentione convenimus, ut Auguſtini ſequamur exemplum. *Aug.* Præeundi certè deſiderium eſt: nam cupio ſaltem tam bonus fieri, quàm malus fui. Tu digitum intende in viam: ardua, & aſpera ſit, nihil refert, modò ſit certa. *Simp.* Certam & brevem monſtro. Confidete. Hoc ante omnia tenete, Filii, memores omni tempore, quòd, quanta felicitas eſt Catholicè credere, tanta neceſſitas ſit, Catholicè vivere. Intellectum ſubjicere *Deo* loquenti, & voluntatem non ſubjicere *imperanti* non eſt hominis bene ſani. *Al.* Nempe quia idem eſt Dominus, qui imperat credere, & qui imperat agere,

re, vel omittere. *Nav.* Nihil igitur nobis Baptismus proderit, & sancta fides, nisi fuerint & mores sancti, certa consecutio est. *Simp.* Certa. Jam ut mores fiant sancti, prima moderatrix Pœnitentia est; nemo est enim, qui non habeat aliquid, quod non damnet in se, & emendet. *Aug.* Ego plus, quàm omnes! *Simp.* Porrò pœnitentiæ initium fit *à dolore* de præteritis, & *à generosa Resolutione* ad futura rectiùs ordinanda. Errant ergò, qui in dolore subsistunt, neque verus est dolor, quem *nulla Resolutio* sequitur. *Aug.* Ah! quamdiu hæc me deceptio tenuit! *Simp.* Sed neque *resolutio* multum prodest, nisi sequatur executio velox, ac constans: velox, quia si differtur, plerumque fit nulla, constans, quia *nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* (e) *Verec.* Hìc rem difficilem commemoras in hac fragilitate naturæ. *Simp.* Quantacunque sit difficultas, nihil attendi debet, quando periclitatur æternitas, & ego, non quid sit facile, nunc doceo, sed quid necessarium. Tu verò Augustine, jam intelliges cum solatio, cur Ambrosius tibi solitudinem suaserit, & hucusque distulerit Baptismum conferre. *Aug.* A prudente Medico miser ægrotus rationem medicinæ non exigit. *Simp.* Sapienter feciſti, quòd patiens tuleris moram: modò disce ex te, quid aliis prosit. Recordare, quantis lætitiis incesserit bonus Præsul, cùm de generosa resolutione audivit, quam post gravem luctam feciſti. Statutum est, aiebas, *volo fieri Sanctus, & magnus, & citò!* Et Ambrosius si post hanc resolutionem, sicut poterat, quia *feria* fuit, statim administrâsset Sacramentum, dic, obsecro, quid loquitur animus tibi, quæ, aut quando hanc *Resolutionem* secuta esset *executio?* *Aug.* Pater, trepidat mihi cor ad istam interrogationem. *Simp.* Et ego, si cogito, *qualis fueris,* facilè intelligo, *qualis esses*, si nactus esses præcipitem medicum. Itaque quòd Ambrosius ante Baptismum solitudinem suaserit, factum est, non, quòd vellet te eremicolam perpetuum fieri, sed ut *Resolutionem* certiùs sequeretur *executio*,

(e) *Luc. 9.*

& velox, & constans. Nunc assecutum se gaudet, quod voluit, & tibi duo magna bona ne quidem advertenti ex ista vitæ methodo obvenerunt. Primùm, assueviſti *solitarius* vivere, itaque non amabis posthac *turbam hominum*, & nisi cogat ratio ferre, libenter te subtrahes conversationi mortalium, ut cum Immortali loquaris. Deinde aussueviſti *ordini actionum*, itaque fugies posthac *turbam negotiorum*, & cùm etiam premet moles, distribues labores per tempora, & semper residuum erit aliquod, quod Spiritui prosit. Quantum sit utrumque bonum, ùt ingeniô vales, ipse perspicis. Hoc palpas etiam, consilium opportunius cogitari non potuisse, nec adhiberi efficacius medium, ad hunc finem, ut esset *Resolutionis Executio* certò velox, & probabiliùs constans. *Aug.* Pater, suspicio mentem divinam in viro sancto: nunquam mihi hæc consilii ratio incidit. O beata solitudo! tibi debeo, *quod sum!* turbis debeo, eheu! *quod fui*, turbis hominum, turbis negotiorum! *Simp.* Tene affectum, & audi plura. Ex duóbus commodis, quæ narravi, natum est tertium, ut *executio Resolutionis* non solùm esset velox, ac constans, sed ex die in diem perfectior, & jucundior etiam. Processiſti per otium, ac ordinatè per gradus. *Memoria* collegit axiomata principiis diabolicis opposita: *Intellectus* perspexit veritates practicas, ex quibus se regeret immortalis anima ad acquirendam vitam illam, propter quam Dei Filius *descendit de cælo, & homo factus est*, ut nos faceret quasi Deos: *Voluntas* exercuit se in virtutibus variis, & *experientiâ* didicit, quàm verum sit illud Sapientûm acroama cedrô digniſſimum: *vicisse voluptatem, voluptas est maxima.* Denique ut paucis dicam omnia, hoc suo consilio fecit Ambrosius, ut primùm homo, deinde Christianus, denique sanctus evaseris. Vide, quid debeas. *Aug.* Ingratus sum, si aliquid negem. Quid nunc vis, ut faciam! *Simp.* Ut, quod feciſti, per hoc biennium, nunc maximè facias, cùm te præparas Sacramento: exerce te *in amore Dei.* Tria bona solitudinis numeravi: quartum est, quod nemo æstimare satis potest,

test, quòd solitudo doceat Deum amare. In solitudine videndum se exhibet invisibilis Deus, & agnoscitur, quàm amabilis sit. Hæc cognitio amorem parit. *Al.* Amantibus, amorem solitudinis facit majorem oratio tua, & erit perpetuus amor, si probat *vitæ communis* consilium sanctus Præsul. *Aug.* Et nunquid probat? *Simpl.* Placuit Ambrosio desiderium pium, adeò, ut propter hoc maximè gratiam Baptismi decreverit. Simpliciane, dicebat mihi exultans lætitiâ, Simpliciane, istis solitudo placet: ergò gustârunt & experti sunt, *quàm suavis sit Dominus.* Hæc *experientia* tenebit, ut constanter adhæreant Deo: probati sunt satìs: baptizentur. *Nav.* Divina pronunciatio! *Aug.* Omnino *experientia* docuit, quod nemo unquam persuasisset, ut crederem. Quòd si tanta suavitas se infudit nondum baptizatis, præcipite animo, quis futurus sit sensus dulcedinis post baptismum? Amici, *bonum est nos hìc esse!* Firmum decretum sit, quod Ambrosio placet: faciamus *Tabernacula.* Figatur habitatio in villa hac! deflere præterita, præsentia contemnere, meditari futura, hæc posthac vitæ reliquæ omnis occupatio sit. *Al. Nav. Solitudo placet!* Solitudini addicimus tecum annos omnes, quos Deus dabit. *Pot.* Felices animæ! *Nebr.* Accedo vobis! *Roman. Verec.* Et nos, cùm licebit. *Simp.* Præceps conclusio est: erratis omnes. Placere vobis solitudinem, hoc placuit Præsuli: ut *incolæ perpetui* sitis, hoc non placet: ad tempus & per intervalla redite, cùm erit commodum, non tamen ut hæreatis, sed ut pastus suis deliciis spiritus redeat fortior ad labores, quos exigit cujusque vocatio, & ratio statûs. *Aug.* Quid est hoc, amici, ad turbas hominum & negotiorum retrahimur abstracti ab otio tam dulci, tam salubri? *Nav.* Quæ est ista tam non exspectata sententia? *Al.* Tam molesta animæ soli Deo affixæ? *Simp.* Imò jucunda Deum amanti. Notate, quod dico: *solitudo ad tempus* suadenda est omnibus propter insignia commoda, quæ narravi: solitudo perpetua eligenda est nemini, nisi cui dubium prudens est nullum, quin suadeat Deus.

Aug. Mihi ſuadet: nam unde eſt iſta ſuavitas, quæ vitam aliis tetricam, mihi amabilem facit, ſi à Deo non eſt? *Simp.* A Deo eſt iſta ſuavitas, do tibi hoc: ſed non ad hunc finem eſt, ut ſilvæ te alliget. Non ut *fruaris*, Auguſtine, eſt data, ſed ut *utaris*: neque enim tibi es natus, ſed Reipublicæ, ſed Eccleſiæ, ſed orbi: & talenta, quibus ditatus es, non accepiſti, ut in ſolitudine ſepelires, ſed ut diſceres bene uti, ſolitudo adjuvit. *Aug.* Turbâſti gaudium, Pater, quia turbas timeo, à quibus tam malè ſum habitus. *Simp.* Amas Deum? *Aug.* Ideò ſolitudinem amo. *Simp.* Ideò ſolitudinem deſere! hoc adhuc unum deeſt *executioni* reſolutionis, quam amor exigit, ſolitudinem deſere. *Aug.* Quam tot laudibus extuliſti? *Simp.* Laudavi, quia Schola amoris eſt. Sed quis ſemper in Schola hæret? didiciſti amare, ſatìs fortis es, ut vel inter turbas turberis à nemine. Quanquam an fallor? aut verè te potiùs quàm Deum amas in ſolitudine tua? dulcedo tenet, laborem horres, vide, utrum aut hoc aut illud Argumentum ſuggeſſerit Amor Dei, an utrumque Amor tui. Ingredere te, & ſeverè examina, an & quantus amor ſit, quo amas Deum: poſtea quid ſit decernendum, intelliges. Decretum amandi Deum amore perfectiſſimo eſt illa præparatio, quæ requiritur, ut animam gratiarum magìs capacem Baptiſmo afferas! *Aug.* *Amore perfectiſſimo amare* Deum jam eſt decretum mihi: tu doce regulam, ex qua judicem, quis ſit perfectior. *Simp.* Docui gradus. *Charitas cùm fuerit nata, nutritur, cùm fuerit nutrita, roboratur, cùm fuerit roborata, perficitur.* Sic fit progreſſio: Nihil amandum eſt *ſupra* Deum, nihil *præter* Deum, & Deus *ſine* modo. *Aug.* Habeo puncta Examinis. Solus eo. *Simp.* Eadem vobis dico, candidatis Baptiſmi, idem examen facite. In nomine Dei Unius, ac Trini fiet ablutio, obſervate amoris cauſas: amandus eſt Deus, quia *Deus* eſt, quia *Unus*, quia *Trinus*. Deus eſt, ideò nihil amandum eſt *ſupra Ipſum*: *Unus* eſt ideò nihil amandum eſt *præter Ipſum*: *Trinus* eſt, ideò amandus eſt *ſine modo*. *Al.* Obſervatio gravis: expendam. *Nav.* Meditabor.

SCE-

SCENA IV.

Simplicianus. Nebridius Romanianus. Verecundus. Potitianus.

Potitianus. Vir magne, tu doctrinam Neophytis tradis, qualem ego Veteranus & cum cænobitis conversatus non rarò, vix audiviſſe me memini, minùs exercuiſſe. *Simp.* Capacitati audientium nos accommodamus, & aliis præcepta Dei, aliis etiam consilia prædicamus. In Auguſtino virum magnum præsagit Ambroſius, ideò magnis vult animis creſcere: apud alios exigimus plura, ut obtineamus aliquid saltem. Nihil diligere *supra Deum*, hoc eſt eligere potiùs omne malum, & abjicere omne bonum, quàm graviter Deum offendere, *salutis neceſſitas* poſtulat: nihil diligere *præter Deum*, *salutis ſecuritas* exigit, eò quòd etiam leviter inordinata creaturæ dilectio facilè præcipitet in ruinam: diligere Deum *ſine modo*, Heroum eſt nihil humile cogitantium, & placere Deo ſuo non quomodocunque contentorum, eò quòd ſciant, quòd Deus in animabus ipſi placere ſingulariter cupientibus, etiam ſingulariter placeat ſibi, ùt in pictura Princeps, in qua perfectiùs imaginem ſuam pictor expreſſit. In quaclaſſe ex tribus vos eſſe cupitis? *Rom.* Ego Chriſtianæ legis ſublimem ſanctitatem admiror. *Verec.* Ego ex admiratione confundor! *Nebr.* Ego conſequi nihil deſpero. *Pot.* Ego, quòd abſim tam longè, erubeſco. *Simp.* Amici, ego vos invito in ſolitudinem: ſeligite tempus aliquod, ſaltem pauculos dies, *vacate* & *videte* ſepoſitis negotiis aliis, quid neceſſe ſit, quid deceat, quid juvet, ut poſſitis beati eſſe. Conſilium *perpetuæ ſolitudinis* pro vobis non eſt. Menſtrua, hebdomadaria, dierum aliquot ſuadetur ſalubriter. Admittite *experientiam* animô bonæ frugis cupidô: certus ſum, gaviſuros ex fructu ... abeunt: nempe ut obſervent, quid ſociis fiat. Idem exſpecto & interea Deo ſupplico. O Deus amoris, quàm capax ad amores eſt pectus Auguſtini, tam exardeat vehementer, ut rumpat carceres, & ſe propáget in orbem terrarum!

CHORUS.

Anthropus lætitiæ ſpiritualis *Experientia* captus, vitæ melioris *Exercitia* æſtimat, amat, & *deſignatis temporibus* proſequi ſtatuit. (a)

Anthropus. 5. *Senſus. Fides. Spes. Timor. Amor.*

Anthropus. IO! feliciſſima felicitas!
Pergite filii, pergite ſtrenuè,
Ex Amoris imperio hortum excolere:
Experior pretium operæ, experior.

Aria.

Εὕρηκα, Εὕρηκα, (b)
Tandem intelligo, quid ſit lætitia;
Major in dies ſe explicat area:
Extra me, nulla eſt,
Intra me, tota eſt,
Ita me docuit Experientia:

Εὕρηκα, Εὕρηκα,
2. Fruſtra *laſſatus ſum*: (c)
Pernox, & perdius *avia*, *devia*
Fruſtra ſcrutatus ſum:
Navi per *flumina*, tranſii *maria*,

Nus-

(a) Hortus in 5. receſſus diviſus, & diverſa vitæ ſpiritualis gaudia *emblematicè* exhibens.

(b) Vox Archimedis Philoſophi gaudentis, quòd *inveniſſet* diu deſideratam alicujus theorematis demonſtrationem.

(c) Laſſati ſumus in via iniquitatis, & ambulavimus vias difficiles. Sap. 5.

Nusquam se obtulit *vera lætitia:*
Denique, duce te,
Experientia,
Reperi intra me,
Εὕρηκα, Εὕρηκα!

Timor. * Bene est: vocem lætantis audio:
Plaude Amor!
Possides Anthropum, gaudeo!

* Tacitè prodit.

Anthropus. *Vivo ego, jam non ego,* Gal. 2.
Amor vivit in me!
Alii sunt mihi oculi,
Aures & nares aliæ,
Gustûs item & tactûs
Nova prorsus affectio:
Nunquam sensi gaudium,
Quale hodie sentio.
Gustus. Nempe *purum,* & sine sordibus,
Tactus. *Perfectum,* & nullis implicitum vepribus,
Auditus. Non *puerile,* non *stolidum,*
Odoratus. Sed *sincerum, solidum,*
Visus. Et dignum homine gaudium.
Anthropus. Amor,, Amor vivit in me!
Timor. Vivat! gratulor: *
Ecce descendit, excipe!
Anthropus. Io! descendat!
Veniat Dilectus meus in hortum suum,
5. *Sensus.* *Veniat, & comedat fructum pomorum suorum,* Cant. 5
Visus. Fructum Contemplationis,
Odoratus. Fructum Orationis,
Tactus. Et Mortificationis,
Auditus.

* Amor de nubibus venit cum Fide & Spe

Auditus. Fructum divinorum Verborum,
Gustus. Et sacrorum Mysteriorum.
Anthropus. Fructum omnium Exercitationum Spiritualium.

Chorus.

Io! veni, dominare,
Veni Amor, impera!
Tua per imperia
Amor, potes nos beare,
Veni, veni, impera! Prov.8.

Amor. *Ego diligentes me diligo,*
Amicos, non servos nomino. Joan.15.
Placet, quòd placere vobis videam
Amoris Exercitia,
Fides. Ex his vivit anima,
Spes. Ex his crescit gratia,
Amor. Ex his cumulantur merita,
Anthropus. Et in his (quod heu! diu incredulum
Docuit Experientia)
In his est *Manna absconditum,* Apoc.2.
Quod nemo scit, nisi qui accipit.
Amor. Tu scis, quantus in illo sit sensus dulcedinis:
Age, explica pro aliis.
Anthropus. Ah! quis mihi det verba,
Quibus possim exprimere,
Quid sit dicere:
Exultavit Spiritus meus in Deo Salutari meo? Luc. 1.
Quidquid dixero, nihil explico.
Fides. Placebit conatus: dic saltem aliquid.

Ariosè

Omnes tres. Dic: Spiritûs gaudia tanta sunt gaudia,

Fides

Fides. Quanta nautarum sunt portum tenentium,
Quanta victorum sunt prædam agentium:
Anthropus. Ventus sunt, bulla sunt:
Spes. Quanta repertô thesaurô plaudentium,
Quanta in regium thronum scandentium:
Anthropus. Umbra sunt, fumus sunt:
Amor. Quanta sunt juvenum sponsam venantium,
Aut per Elysios campos cantantium:
Anthropus. Somnus sunt, nugæ sunt,
Ah nihil explico:
Sentire potui: dicere nescio.
A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui.
Quia puer ego sum, Jer. 2.
Ad explicandum, quo me obruis, gaudium.
O liceat utinam his in deliciis *semper* helluari!
Utinam nunquam contingeret avocari!
Sed sacro diutiùs oblectare me otio,
Non permittit vitæ conditio,
Non statûs ratio.
Redeundum est ad negotia,
Ad labores, ad tædia.
Amor. *Omnia tempus habent:* Eccle. 3.
Nescis hoc, Anthrope?
Si sapis, audis, quod consulo:
Dies tuos, & horas tres in classes distribue:
Invenies alias, quas *officio* impendas, & *statui*,
Alias, quas dabis *corpori*,
Et habebis adhuc reliquas,
Quas dones *Spiritui.*
Imò, *nota bene*, quod doceo:
Quidquid exerceas,

Exercitia ſunt ſpiritualia,
Si, quem *Fides* dirigit,
Spes animat,
Charitas imperat,
Aſſueveris *ordini.*

Anthropus. De quo tu mihi *ordine?*

Amor. Exhibeo in imagine. Suſpice! *

Aria.

Sol irrequietus, quin uſquam *figatur,*
Per ſigna bis ſena in cælo *vagatur;*
Sed! ſcriptum à Deo *per circulum* it.
Non exit *ad dextram, ad lævam* non vergit,
Per *mediam* viam *ex ordine* pergit:
Sic mundo jucundus, & utilis fit.

2.

Fac, erret, ùt errant exléges Cometæ:
Nil opus eſt voce minantis Prophetæ,
Clamatis: turbatus eſt ſiderum Rex!
Væ mundo, væ nobis! .. gementes ſtupetis,
Quem herì amâſtis, pro monſtro horretis:
En! tanti eſt *ordinis congrui* lex.

Anthropus. Imaginem video:
Nondum tamen, quid ſvelis, ſatìs capio.

Amor. Explico.
Quod ſol eſt in cælis, hoc tu es in terris,
Duodecim ſigna ſunt *duodecim horarum negotia,*
Circulus eſt *lex Amoris:*
In hac linea illa perambula, *certo ordine:*

* Exhibetur Sol in Zodiaco.

Ita

Ita etiam, cùm exieris *extra te*,
Non te deserent spiritûs deliciæ;
Modò tu illas non deseras,
Et cùm *ordo* poposcerit,
Rursum te *in te* recipias.

Anthropus. Ordo! *ordo!* nunc intelligo mysterium .....
Hem! *diarium* *
Tot perturbationum Seminarium!
Nullus hìc *ordo* est, mera confusio,
Quia non scripsit *Amor*, sed *impetus* & *affectio*.
Ah! Amor corrige!

Amor. Leva te supra te! ascende ad me!

Timor. Ascende, porrige.

Amor. In sole pone Tabernaculum;
Hinc impera, hinc jura da!

Anthropus. Beatus sum! *

Aria.

Anni, menses, dies, horæ,
Ite posthac in amore!
In amore vivere,
Est jucundè vivere.
Dum amabo, sum beatus:
Amor *bene ordinatus*
Bonum servat *Ordinem*,
Ordo *bonum hominem*.
Repetit Chorus. *

Timor. Ego, quod ultra hìc agam, non habeo,
Abeo, & novum alibi domicilium
Amori præparo.
Hoc est enim *Timoris* Officium.

* Exhibet diarium vitæ præteritæ. * Ascendit in sedem amoris, quæ est Sol. * Clauditur.

Ego sum *Sapientiæ Principium!*
Et frustra sperat in *Amoris Schola* proficere,
Qui noluit meus esse discipulus.

Aria.

Veræ Sapientiæ
Amor est compendium.
Sed, quod intelligere
Si quis velit, *sine me*
Temporis, & capitis
Faciet dispendium.

2.

Multi dicunt: *Domine,*
Amo! amo! amo te!
Ah! quid juvat scioli!
Didicistis *nomini*
Verbum *conjugare!*
Priùs iram Domini
Discite, ô miseri,
Bene *declinare.*

PUNCTUM II.

Executionis Modus.

SCENA I.

Simplicianus. Alipius. Navigius.

Simplicianus. Magnas de Augustino spes mihi animus loquitur: non miscet tamen se metus nullus. Nam si amantem solitudinis in turbas retraho, quis me securum faciet, non relapsurum

in

in sordes, unde tantus labor fuit extrahere? Ambrosius suasit, ut suaderem, ne vir tantus saluti animarum procurandæ subtrahat se, hoc solatur, & facit, ut credam, consilium hoc congruere cum Dei consilio: aliàs curam tam gravem suscipere non vocatum à Deo, nimis periculosa temeritas foret. Explorabo, quo animo ipse nunc sit. Alipius, & Navigius veniunt. Quid fit, amici, quid fit? *Al.* Mera prodigia vidimus, Pater, & nisi aut cesset Amor, aut confortet, necesse est Augustini cor divino igne consumi. Deus magne! ex infernali titione, qui nuper fumo piceo oculos nostros cruciabat, mutata est felix anima in facem splendidam, & cælestes flammas spargentem, quæ me simili ardore comburunt. *Nav.* Ego, Pater, nunc intelligo, quid sit, quod suaseras, *objectum amoris* mutare. Quò amabilior est Deus, quàm caro, tantò ferventior in fratre nunc ardet Amor Dei, quàm olim arserat amor carnis. *Simp.* Lætus audio. Nunquam hoc biennio tam insolitum ardorem in amico notâstis? *Al.* Dulces lachrymas, devota suspiria, sancta desideria quotidie observavi: motum pectoris tam vehementem hodie primùm. *Simp.* Causam scitis? *Nav.* Divino, hunc effectum *Examinis* esse, quod imperâsti. *Simp.* Rectè divinas: & ô si scirent homines, quanta sint bona *vitæ reflexæ*, quàm multos etiam hodie, sanctos numeraret Ecclesia! nunc probi quoque viri progressum in virtute exiguum faciunt, quia nunquam aut rarò *reflectunt* in se oculos, ut *examinent*, quousque processerint, & quanta superfit via ad terminum. Gaudeo, vos vidisse hujus Examinis fructum in alio, & spero usuros pro vobis. *Al.* Jam usus sum ad meum pudorem. *Nav.* Et ego intellexi, quantum absim à vertice. *Al. Nihil amare supra Deum*; quid est æquius? dictat natura, quòd majus bonum sit plùs amandum, quàm minus bonum, atque adeò *Summum Bonum* utique plùs, quàm omne aliud bonum: & iste primus amoris est gradus, quem cùm inspexi, dubitare cæpi, an vel in isto firmus consistam. *Simp.* Qualem te igitur vidisses in altero gradu, qui est,

nihil amare præter Deum? *Nav.* Ah! Pater! iſte gradus hominem exigit jam penitus ſibi mortuum; quando huc pertingam? *Simp.* Si pertigiſſes etiam, ſcandendus ſupereſſet tertius, qui eſt, *Deum ſine modo diligere.* Nunc quando mirabiles motus in Auguſtino vidiſtis, in quo gradu illum creditis ſtare? *Al.* Nos narramus, quod vidimus: inde tu judica. Quanquam en ipſe prodit.

SCENA II.

Accedit Auguſtinus.

Auguſtinus. Inſpexi me, Pater, & vidi, quod ominabaris, amorem ſolitudinis amorem eſſe mei, non Dei, & medium, non finem, ad quem me Deus vocavit. Habes obtemperantem Ambroſio: fide vivus, ſpe fortis, dolore contritus, amore ardens ad Baptismum venio: inde procedam in campum apertum, novus Chriſti miles prælia Domini præliaturus. Valete ſilvæ! huc usque intra vos amor me Dei tenuit: jam idem amor expellit, & à quiete evocat ad labores. *Simp.* Sic ſperabam, & æquum eſt, ut armatus ab amore de orco te vindices, qui tam diu captivum tenuit. *Aug.* Ulciſcar, ſic me Deus adjuvèt! ulciſcar probrum, & poſt me peccaturis exemplum dabo, quæ ſit ultio, qua ſe dignè vindicent de mancipatu, quem ſub turpiſſimo jugo dæmonis pertulerunt. *Simp.* Quid facies? *Aug.* Primùm, Pater, confitebor publicè, qualis fuerim. Sciet orbis ſcelera univerſa, quibus me inquinavi, ſciet & ſcripta leget à me ipſo, ut videant innocentes, & caveant vias, quibus itur in barathrum: videant peccatores, &, cùm legunt me, inſpiciant ſe velut in ſpeculo, atque exhorreant: videant puſillanimes, & diſcant, quid poſſint ſperare: videant impudentes, & intelligant, quàm Deus amore ſit dignus, qui cum patientia tam amabili connivet tam diu, & exſpectat. *Simp.* Laudo propoſitum, & erunt utique, qui ex publicæ Pœnitentiæ exemplo ſapient, & quos de te legunt, conſcendent

dent converſionis gradus, obſtacula ſuperabunt, *luctam* non fugient, vim facient ſibi, & reportabunt *victoriam*. Ita eris orbi univerſo *perfectæ converſionis exemplar*, in perpetua tempora. Generoſa Reſolutio eſt, ſed *ampliùs Amor exigit*. Quid adhuc facies? *Aug.* Aſcenſiones diſponam in corde meo, non greſſibus corporis, ſed affectibus mentis, ita, ut omnis poſthac mea converſatio in cœlis ſit. Immiſcebo me Angelis, & exultans de gloria Domini mei clamabo: *Gloria in altiſſimis Deo!* deſcendam ad inferos, & contemplans, quod merui, *miſericordias Domini cantabo* cum jubilo! circuibo per orbem, & rapiam ad Deum animas, & dicam eis: *Hunc amate! hunc amate!* & ô! ut traham ad te, Domine, ſaltem tot homines per pœnitentiæ exemplum, quot abſtraxi à te per ſcandalum! *Simp.* Laudabilis fervor eſt, qui tenerè pectus afficit, & nutrit amorem. Sed delicatior cibus eſt, quàm ut robur afferat, quod faciat ex puero virum: *ampliùs amor exigit*. Quid adhuc facies? *Aug.* Exibo à me, *abnegabo me ipſum*, & ut hoſtem Deicidii reum tractabo: ſubtraham mihi, quod appetitus poſtulat, & quod refugit, inferam, tantum ut ſim remotior à peccato. *Simp.* Jam magis places. Affectus ramenta ſunt, quibus ignis natus nutritur, abnegatio lignum, quo roboratur, & creſcit, ita, ut nec flumina obruant illum. Sed ignis nunquam dicit: ſufficit! *& amor ampliùs exigit*: quid adhuc facies? *Aug.* Egreſſus à me introibo in Deum, & illi me arctiſſimè uniam. Amplectar ambobus brachiis ſponſum animæ meæ, & non dimittam! brachium unum intellectus, brachium alterum voluntas eſt: uniam me *intellectu*, & judicium meum conformabo judicio Dei. *Simp.* Siccine: atqui Deus judicat nihil eſſe malum præter peccatum. *Aug.* Etiam ego. *Simp.* Deus judicat, nihil eſſe æſtimabile præter virtutem. *Aug.* Etiam ego. *Simp. Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum. Aug.* Etiam judico. *Simp.* Sic Auguſtine, errare non potes, nam Dei judicium, quia ſolum eſt infallibile, eſt certa boni judicii regula. Sed necdum ſufficit. *Ampliùs*

plùs amor exigit. Quid adhuc facies? *Aug.* Sicut judicium meum judicio Dei, sic meam *voluntatem* conformabo voluntati Dei, ut totus sim unus cum Deo. *Simp.* Totus unitus volebas dicere, non totus unus. *Aug.* Totus unus, Pater, totus unus! abdico enim me judicio proprio, abdico me propria voluntate; judicio Dei, voluntate Dei agere, & agi volo. *Simp.* Macte animo! jam non procul abes à vertice! sed nondum amor dicit: *sufficit!* quid sequatur ex his præmissis considera, num sit animus consectari. *Aug.* Quid sequitur? *Simp.* Ut sis *insensibilis ad mala tua, & tenerrimi sensûs* ad mala Dei. *Aug.* Conatus non deerit, Pater, & conatum juvabit gratia. *Simp.* Igitur injurias illatas tibi non vindicabis? *Aug.* Ego, cui tot injurias Deus condonavit, cogitem de vindicta? *Simp.* Dolores corporis, egestatis incommoda, contemptum tui æquô animô feres? *Aug.* Infernum merui! *Simp.* Etiam mortem immaturam, & ante tempus? *Aug.* Dei Filium video pro me mortuum: *velut agnus obmutuit coram tondente se:* & ego os aperiam? vivo, ut amem Deum: post mortem amabo magis, & ego mortem horream? adsit mors! optanda mors, quæ me solvet ex isto carcere, in quo corpus aggravat animam, ne amet, quantum potest! *Simp.* Bonum votum est, si præter te nemo sit, qui possit ad amandum Deum excitari à te. Nunc circumspice orbem terrarum, quanti sunt, qui ignorant Deum! quanti qui blasphemant etiam! & quot invenies tu, qui nunquam contemnunt tanti Legislatoris authoritatem? qui semper obediunt imperanti? Quid? te istæ injuriæ non movent, ut velis diutiùs vivere, possísque tuo labore & industria utiliter Deo militare? aut nimirum sicut vult Amor, ut insensibilis sis ad mala tua, sic dissimulat, si etiam nihil sentias mala Dei? absit! *amplius amor exigit!* quid adhuc facies? *Aug.* Postquam intelligo, Pater, quanta sit injuria non obedire Deo, nemo tenebit me, quin acerbissimè sentiam offendi Deum. Ideò solitudinem defero tam amabilem mihi! *Simp.* Audivi jactantem se: circuibo orbem, rapiam

rapiam ad Deum animas, & dicam eis: *hunc amate! hunc amate!* nempe si opponat se nemo, si via plana & strata rosis, si animæ, quas curabis, non obstinatæ? *Aug.* Imò super aspidem & basiliscum ambulabo, & caput serpentis conteram. *Simp.* Audies maledicentes Deo, negantes Providentiam, calumniantes Justitiam, duritiem accusantes! *Aug.* Pater, vulneras cor meum funesta commemoratione infrunitæ audaciæ! *Simp.* Videbis palam calcari leges, & petulanter contemni Decalogum! *Aug.* Ah vidi, & feci sine sensu, quia homo non fui! nunc gratia fecit hominem, & hominem novum fecit, ideò, quod sensi olim, jam non sentio: quod olim non sensi, sentio nunc. *Simp.* Sines, ut jam nunc probem, num verbis respondeat animus? *Aug.* Quod voles, impera. Ecce per ferrum, & ignes ibo, ut injuriam impediam Dei: tanta sensûs acerbitas est. *Simp.* Adhuc *ampliùs amor exigit.* Non solùm offendi Deum grave est amanti Deum, sed etiam minùs ferventer serviri Deo, angitur, flet, irascitur, laborat, ægrotat, moritur, qui *sine modo* amat. Nunc ecce amici sunt, qui hac in silva ambulant, homines bonæ mentis, sed adhuc non magnæ, dolent vitæ communis consilium à me eversum esse, separari à tua consuetudine nolunt: quid cessas? ostende, quòd ames Deum, & erige, ut, qui Baptismum expetunt, expetant etiam, quod baptizandum decet, ut esse velint de *numero paucorum*, quos Christus non solùm vocavit, sed etiam elegit. *Aug.* Ecce eo! facilis labor est cum animis bonis: mitte ad barbaros, sic probabis! *Simp.* A bonis incipe. Vix faciet ex malis bonos, qui ex bonis facere meliores non potest. Habet aliquid etiam terra bona, quo fatiget agricolam, quem amor non animat. I, collige homines, amare doce! *Aug.* Potitianus amat Deum! *Simp.* Amet ampliùs! *Aug.* Nebridius amat. *Simp.* Amet ampliùs! *Aug.* Romanianus & Verecundus incipiunt. *Simp.* Incipiant ferventiùs, quisque pro sua capacitate, conditione, & statu. *Aug.* Nunc quid velis, capio. Sic est, Christus venit, non modò, ut vitam

habeant oves suæ, sed & ut *abundantius habeant*. O Amor, da, ut dem! *Simp.* Et vos quousque adstatis attoniti? *Al.* Stupidos ardor Divinus facit, quo ardet ille, quem novimus, qualis fuerit. *Nav.* O admirabilem vim amoris! ecce per omnes gradus nihil hærens promittit frater se ire velle, & me tepor meus in imo tenet. *Simp.* Refert, qua quisque diligentia se in amore exerceat; *exercitatio* fortem & promptum facit. Ite, observate Augustinum, qua diligentia, qua arte agat, quod jussi agere. *Al.* Observabo ad fructum. *Nav.* Et ad pudorem.

SCENA III.

Simplicianus Solus.

SUperi! Boni Superi! Erítne constans hic fervor viri? ... erit constans, quia ab amore natus est. Amor, ô amor sacer, quàm admirandas facis metamorphóses ... ô Gratia, ô Gratia, quàm facilè ex scelesto fit sanctus, qui tibi cooperatur, cùm urges! Et quid fiet Augustino! ... Quære, quid factum sit. Jam *Sanctum* amor fecit, & faciet *Sanctum Magnum*, & *citò* faciet. .. Vah! miserum me! Ecce Simpliciane, iste Catechumenus, iste Manichæus, iste decem annorum Fornicarius præcedet te in regno Dei! ... tanti est pœnitentiam agere, quo modo, & tempore Gratia urget. ... Quò me abripis Deus? quid video! ô Boni Cælites, Augustinum video vestro splendore splendidum! ô aspectus amabilis! *

MUSICA

Fructum Victoriæ Augustini omnem ostendit, & ad simile ausum animat.

Gratia. Eja! triumpho victrix Gratia!
Augustinus mea est Gloria!
Per me ille vicit naturam,
Per me voluptatem subjugavit,
Et ferream consuetudinem stravit.

* Spectaculum in extasi.

Ad-

Adeſte puſillanimes!
Videte fructum Victoriæ,
Et diſcite, quid mecum poſſitis facere,
Si velitis vos mihi *in tempore* dedere.

Arietta.

1.

O ſegnes nimis animæ,
Quas ſibi mundus emit,
Aut caro tenet compede,
Aut orcus pede premit!
Quousque per ignaviam
A prælio ceſſatis?
Aſſurgite! victoriam
Promitto, ſi pugnatis.

2.

Nil terreat peſſumdata,
Nil fragilis natura:
En arma offert Gratia,
Vobiſcum pugnatura.
Si ego manum dirigo,
Vel *funda* eſt timenda,
Et nuda *pueri* dextera
Giganti metuenda.

3.

Invicta vis eſt Gratiæ,
Ab ipſo Deo data,
Ex Morientis latere
Progreſſa ſum armata!
Cùm, qui in ligno vicerat,
In ligno vinceretur,
Sum nata, ut, qui ruerat,
Homo erigeretur.

4.

Ex illa die maximis
De hoſtibus juratis
Inclarui victoriis,
Et ſpoliis relatis.
Quot Martyres, quot Virgines,
Quot ſtellæ ſunt (non fallo)
Tot teſtes ſunt, quòd vana ſpes
Non ſit, quam ego alo.

5.

Hoc moneo, hoc repeto,
Hoc urgeo, hoc clamo:
Me utere, cùm offero,
Cùm juvo te, cùm amo:
Nam venio, & abeo,
Non ſemper me habebis,
Et tibi, ſi non redeo,
Quid fiet? fruſtra flebis.

Simp. O gaudium! ô ſpes! ô horror! Auguſtine, quantum tibi bonum *una Victoria* & jam peperit, & adhuc pariet! ô peccatores, quantis animis creſcere ex hoc exemplo debetis! Et ſi differtis ſequi pœnitentem, quem eſtis ſecuti peccantem, heu! quid fiet vobis? quid fiet?

SCENA IV.

Perſonæ omnes.

Alipius. Pater, acta res eſt: jam ſe nemo Auguſtino oppõnit, vitam ſolitariam deſerturo. De amando Deo, & ex amoris impulſu ſuſcipienda animarum cura, ſi Deus vocet, ſic peroravit, ut conclamaverint omnes, etiam ſuas ſe animas directioni Auguſtini ſubmittere. Negavit, ſe Patrem eſſe poſſe, antequam per Baptismum renaſceretur: Ambroſio ſe commendarent. Statuerunt: & ego, Pater, ſi probet Præſul, idem cum amico vitæ inſtitutum amplector. Habeat me totum Deus, habeant me animæ ſibi. *Nav.* Pater, primus manipulus venit, quem Frater collegit in horreum Domini. *Rom.* O bene impenſas opes! ô bene peractum iter, quod huc me perduxit! *Verec.* Deus bone, quos motus ſentio! & quæ cupido ardet ad mutationem celerrimam vitæ actæ! *Pot.* Audivi verba, quæ nemo loquitur, niſi qui ardet. *Nebr.* Ego Simpliciane, Auguſtino adhæreo, quocunque jerit. Amoris ſancti, Amoris Divini tu mihi poſthac Magiſter eris. *Simp.* Video primitias zeli tui! veni, offeramus Ambroſio, videat oculis, quid poſſit ſperare. *Aug.* Imus, videat, & doceat, quæ vitæ ratio cuique congruat. Ego his animis lætus relinquo te, ô ſolitudo felix, ſolitudo dilecta, novæ vitæ Magiſtra mihi: ad fontem Salutis propero, & deinceps non *mihi vivam, ſed ei, qui pro me mortuus eſt!* (a) O Amor infinite, ſerò, ah! ſerò te amavi! nunc ſeriò amabo tandem, nec amabo ſolus, ſed, quod in me eſt, laborabo, ut totus mundus diligat te, *totus mundus diligat te! Simp.* Votum eſt *perfectè converſi!* agamus Deo gratias. *Omnes.* Deo Gratias.

(a) *2. Cor. 5.*

O. A. M. D. G.

DEVOTIO MARIANA

ARGUMENTUM TRIUM MEDITATIONUM, ANNI M. DCC. XL.

MEDITATIO I.

VERÆ DEVOTIONIS INCITAMENTA.

ARGUMENTUM.

IDeam *perfectæ Conversionis* in Augustino dedimus anno priore: necesse jam est *de mediis*, quibus illa efficitur, meditari. Est autem communis Doctorum sententia, inter media præcipua numerandam esse *veram*, *ac solidam Devotionem*, qua quis in Dei Matrem feratur. Cur ita sentiant, si interroges, dicent: *vera conversio pendet à gratia efficace, cùm nec cadat sub meritum, nec dari à Deo soleat merè gratis: impetrari orando debet: oratio, ut audiatur faciliùs, potest, & vult Maria efficere, si, ùt DOMINAM nostra devotione demeriti, PATRONAM apud*

Filium, & ADVOCATAM apud Judicem habeamus. Propterea, & quia credidimus, rem gratam nos præstare DD. Sodalibus, præcipuè jam aliàs tenero amore flagrantibus, atque ad præstandum pro Festo Tituli homagium annuum proximè accinctis, tres hujus anni Meditationes in considerandis Marianæ Devotionis *Incitamentis, fignis,* ac *Fructibus* exigemus.

Ordimur *ab Incitamentis,* per quæ & cultus B. V. *antiquus* excitatus est, & *novus* augetur, ac propagatur, sùntque eadem omnino, quæ Formula exhibet (nempe colendam esse Mariam, quia *sancta* est, quia *Dei Mater,* & *Virgo,* quia *Domina, Patrona, Advocata*) & qualibûs haud dubiè ab ipsis Apostolorum temporibus usi fuerunt viri Apostolici, ut regionibus, quibus Christum prædicabant, eâdem operâ Deiparæ venerationem inferrent.

Inter hos S. Dionysius Areopagita fuit, qui primus Lisbio Senatori Parisino ad fidem à se conversо persuasit, ut delubrum Mercurii sineret in Sacellum converti, in eáque pictam à S. Luca Deiparæ Effigiem magnificè ornatam collocaret. Factum iniquissimè ferens uxor Larcia, ad Fescenninum Romanum Præsidem virum detulit. Damnati capitis Discipulus & Magister, ambo Martyrum gloriam adepti sunt, non solùm, quòd Crucifixi, sed titulô singularî, quòd Mariæ Matris ac Virginis cultum publicè profiterentur. Valuit exempli vis, ipsâmque Larciam in viri sequelam traxit, unà cum Visbio filio, nam & ipsi pro eadem fide, ac cultu capite plexi sunt. *Ita Martyrologium Gallicanum.* Erit igitur præsentis Meditationis

Materia: S. Lisbius Mariæ se devovens, Dionysio Duce.

Puncta duo: Primum, S. Dionysii pro Lisbio cura.
Secundum, S. Lisbii ex cura profectus.

Fructus. Resolutio, cor suum, instar Sacelli, dedicandi Deiparæ, & amori solido totum consecrandi.

Pro-

Propositum. Statuamus sæpius meditari *incitamenta*, quibus amor hic excitatur, & *in specie* nunquam posthac renovare Formulam, quin priùs expenderimus tria Formulæ capita, nempe *cur* colenda Deipara sit, *quo modo*, & *qua spe*.

PROLOGUS.

Antiquissima Cultûs Mariani origo ostenditur ex Imagine, quam S. Lucas utique non sine divino instinctu pinxit.

S. Lucas. Angelus Personatus. Judith. Esther. Sponsa. Chorus.

Lucas. AH! quid ago? *Exhibetur pingentis cubiculum.*
Nimis imperfecta fit hæc Imago!
Tædet sic pergere....
Scilicet Mariam pingere,
Opus est majus humanîs viribûs.

Aria.

Vidi, vidi Virginem;
Et Mens admirabilem
Bene adhuc speciem
Sibi repræsentat:
Sed ideam animi,
Ah! non potest assequi,
Quidquid manus tentat:

2.

Cælum! da artificem!
Da, qui tam amabilem
Rectè pingat faciem!
Æquum eſt, quod clamo:
Clamo, quia celebrem
Volo fieri Virginem:
Clamo, quia amo.

Angel. Perſon. Ergò non perficies Iconem?
Lucas. Ah! quàm vellem! ſed! ...
Saltem ô! ſi quis mihi oſtendat imaginem,
Quæ ſerviat ùt prototypon,
Secundùm quod poſſim effingere ectypon!
Angelus. Cogita,
An nihil juvare te poſſint figuræ, & ſymbola.

Chorus.

Exhibitio. Talem pinge Virginem,
Talem habet ſpeciem!

Judith. Judithæ pinge ſimilem:
Eſt mulier fortis,
Ut caſtrorum acies ordinata terribilis.
Eſther. Eſtheri pinge ſimilem:
Regina eſt, quæ adſtat Deo
In veſtitu deaurato,
Varietate circumdata.
Sponſa. Non, non armatam, non Reginam,
Sed Sponſam pinge divinam,
Ex millibus electam,
Super omnes dilectam.
Sol. Ita, ita, pinge electam ùt Solem!
Luna. Imò pulchram pinge, ùt Lunam!

Aurora,

Aurora. Ut Auroram surgentem,
Terra. Ut hortum florentem,
Aqua. Ut fontem uniones fundentem,
Aër. Ut Irim ex nube pendentem,
Ignis. Ut rubum in igne fulgentem,

Chorus.

Sic, sic pinge Virginem,
Talem habet speciem.

Ariosè.

Judith. Mulier Hebræa
Inter trophæa,
Palma in manibus,
Oreus sub pedibus,
Esther. Throni Majestas,
Sceptri potestas,
Gemmea nobilis
Lux diadematis
Sponsa. Viva formosæ
Purpura rosæ,
Nivea candidi
Gratia lilii
Omnes tres. Propria Virgini symbola sunt:
Spon. Suavis,
Jud. Potens,
Esth. Gloria hominum,
Jud. Terræ præsidium,
Spon. Cæli delicium,
Esth. Domina superûm,
Jud. Bellatrix,
Esth. Beata,
Jud. Orbis Refugium,
Spon. Numinis gaudium,
Esth. Augusta,
Spon. Venusta,
Omnes tres. Apta Mariæ apposita sunt.

Aqua. Sic fundit favores,
Aër. Sic placet,
Luna. Sic candet,
Terra. Sic spargit odores,
Ignis. Sic splendet,
Aurora. Sic rubet,
Sol. Sic ardet,

Sponſa. Sic eſt amabilis, *Eſther.* Sic admirabilis,
Judith. Sic formidabilis:

Chorus. Sic, ſic pinge Virginem,
Lucas. Non ſic pingam Virginem,
Chorus. Talem habet ſpeciem,
Lucas. Non hanc habet ſpeciem.

Lucas. Abſcedite! non placetis:
Vix *umbram* Mariæ habetis.
Angelus. Ita eſt: ſed quid facies?
Perfectam Mariæ imaginem nunquam reperies.
Suadeo, ut ſedulò conſideres ſingulas,
Et, quod perfectum eſt, de ſingulis eligas;
Ac demum unam in tabulam omnia congeras.

Aria.

Aqua gemmas, terra flores
Sacræ det imagini:
Iris veſti det colores,
Ignis vitam vultui.

2.

Sol luceat ex oculis,
Et caput cingat radiis:
Aurora genas pingat,
Et Luna frontem fingat.

3.

Judith det ſeveritatem
Sponſa pulchritudinem,
Eſther addat Majeſtatem:
Sic, ſic pinge Virginem.

Lucas. Bonum, ſed difficile eſt tuum conſilium.

Ange-

Angelus. Cælum feret auxilium:
Spondeo certissimò.
Lucas. Sperabo in Domino .....
Quid hoc? quò servulus abiit subitò?
Nescio, quæ spes surgit in animo.
Ignotus ad servitium iste se mihi obtulit:
Et *spondeo certissimò*
Verba sunt plena solatio:
Quid? si sub servili schemate cælestis Genius
Lateret abditus?

Arietta.

1.

Habent hoc Angeli,
Vices ut famuli
Velint subire,
Magnæ si Virgini
Possint servire.

2.

Nempe sic homines
Volunt docere,
Quantæ sit gloriæ
Servi Deiparæ
Nomen habere.

Lucas. Rem indagabo ... ô Cœlum! ô Cœlum!
Angel. * Cave, hoc feceris: conservus tuus sum. * *Prohibet adorari se.*
Ecce perfeci imaginem:
Veni, judica,
Num rectè expresserim Virginem.
Lucas. O artificium! stupent oculi, cor ardet!
O artificium!
Angelus. Accipe, & similes pinge non tam in tabulis,
Quam in hominum animis.
Lucas. En ô Maria! en totum me!
O, ut possim facere,
Ut totus mundus diligeret te!
Accipio, & per orbem circumfero.

Hanc formam, ô mortales, hanc cordi imprimite,
Vitâ exprimite.

Duetto.

Huc oculis, huc animis,
Adeste! Festinate!
Hanc Iconem amabilem
Spectate!
Hanc formam admirabilem
Amate!
Hanc sine periculo licet spectare,
Hanc palam, cum laude, potestis amare:
Adeste! spectate! amate!

MEDITATIONIS *DE* MARIANÆ DEVOTIONIS INCITAMENTIS

PUNCTUM I.

Dionysii pro Lisbio Cura.

SCENA I.

S. Lisbius Haraldus. S. Dionysius. S. Rusticus.

Lisbius. Haralde, vir est Lisbius, non fæmina: & est virorum, semel statuta bene amplecti fortiter, tenere constanter. *Har.* Sic tamen læsisse Deos, afflixisse sororem meam, scio, pænitebit. (*) *Lisb.* Insanus sit, quem pænitet egisse bene. Stat fixum animo,

(*) *Haraldus abit.*

mo, tuum me Servum, Virgo, *publicè* hodie profitebor: Nec permittam ultrà, ut à meis subditis aliquid contra tuum honorem unquam agatur. *Dion.* Opportuni venimus. Salve dilecte in Christo Fili! *Lisb.* O Salvete mei Patres! sed cur duo soli? *Rust.* Nempe ad baptizandos Neophytos trans *Sequanam* Eleutherius abiit. *Dion.* Totus, ùt video, affectu cales. *Lisb.* Ita est: totus ardeo. Amo, exosculor Divinam Virginem! O ut mecum filius, uxor, Haraldus, & omnis cognatio amet! *Rust.* Exemplô trahes. *Lisb.* Sic spero equidem, & spem Florillus facit, qui me secutus, quanquam, volente me, quòd Sacra Christiana susceperit, adhuc dissimulat meis, tamen admirando fervore urget, ut dejecto ex aris Mercurio hanc Iconem substituam, & *primus* esse Parisiis velim, qui Matri Dei Sacellum statuat. *Dion.* Est, quod dixi, vir bone: Contemptibilia mundi elegit Deus, ut confundat fortia! puer, mihi crede, virtute baptismi fortis viros, cùm se feret occasio pugnæ, in pudorem salubrem aget. *Lisb.* Imò egit: puduit morarum me, quas exprobravit toties charus præ filio puer: Humanæ prudentiæ est datum satìs, declaravi me meis, idolum amovi, Sacellum vestivi: (*) Paratum altare stat: ornandæ imagini ultimam admovere manum vestrum est. Imperate, quid deceat: nullis sumptibus parcam, ut palam constet, quantùm cupiam Deiparam coli. *Dion.* Digna est Senatore Parisino magnificentia! *Rust.* prodigalitas sancta! sed quid ad hæc amici, quid Larcia uxor dicunt? *Lisb.* Nihil de me vos angite: vobis est, quod metuam. Nam uxor, ubi tantum auri pro Sacelli ornatu expendisse me vidit, exarsit irâ, & Haraldo fratri suo amarè questa est. Vereor, ne quid in vos machinetur, velut auctores facti. Cavete! scitis, quid mulier avara possit, & furens. *Dion.* Nihil potest: Nam *Christianus nihil, nisi peccatum, timet.* *Rust.* Tu tibi metue, ne quid illa tuæ constantiæ noceat. Scis, quid in maritos uxores possint. Bene currentem navim sæpe in scopu-

(*) *Sacellum aperitur.*

los rapiunt Sirenes blandæ. *Lisb.* At ego maritum me esse memini, non servum. Amo uxorem, sed plùs honestatem, plùs virtutem amo. *Dion.* Et plùs JESUM, plùs MARIAM amas. *Lisb.* O Pater, exultat animus tantas oculis delicias gratulans. Non sum explicando, quid intus sentiam, cùm contemplor hanc faciem. *Dion.* Et tamen inanimem tantùm vultum vides. At mihi obtigit beata sors, ut vivam viderem. *Lisb.* Et poteras sine mentis excessu? *Dion.* Quibus gaudiis innataverim, DEUS novit. Aspectu amabili raptus procidissem in genua, adoraturus ùt Deam, nisi fides sancta prohibuisset. *Lisb.* Credo: Nam Divinum certè aliquid hæc facies habet. *Rust.* Sic est omnino: Neque enim hæc forma accendit, sed extinguit libidinem. Vel gravissimè tentatos ad scelus, unus hujus Iconis aspectus juvit, ut omnes profanæ pulchritudines sine mora forderent. *Lisb.* Ah! bellua sit oportet, qui caducam formam præ cælesti diligit. Tria, quibus rapior, hinc effulgent, *Modestia Virginis, Amabilitas Matris, & Majestas Reginæ!* Mater, Domina, esto, obsecro, apud Filium Patrona mihi, & Advocata! .... Eja! ornate, Altari imponite! festus mihi hic dies erit, quo Sacramentum MARIÆ dicam, & *perpetuum servum* scribam, paratus, nobilem famulatum etiam fuso sanguine profiteri palam. Accingite vos: dum vos altare, ego Syngrapham paro. *Dion.* Verba dictabit amor. *Rust.* Calamum fervor reget.

SCENA II.

Accedit Florillus.

Florillus. Here. *Lisb.* Quid interpellas? En! Matri tuæ meæ Dominæ, quod urges toties, jam tandem me palam mancipo *Flor.* O Divinum consilium! sed metuo, ne inimicus omnis boni novas moras bene coeptis injiciat, & vobis maximè formidandas, O mei Patres! *Dion.* Quid enim affers, mi Fili!

Flor.

Flor. Ah! Fescenninus Præses hac hora ex Liguria in urbem rediit, & adest servus ab illo missus cum mandatis, ut quantocyus in curiam properes. *Lisb.* Quid est negotii, quod ita urgeat! *Flor.* Româ, ajebat, accepisse mandata Præsidem, sine mora exhibenda Senatui. *Lisb.* Romana mandata adsunt! quid? si in Christianos statuta? *Dion.* Certè odit Christum infelix Roma. *Lisb.* Quidquid sit, audienda sunt. Dic, protinus compariturum. *Dion.* Eamus, Rustice, eamus hinc: latebras jam amare nos decet, ne cruenta tempestas nobiscum involvat hospitem tam beneficum. *Lisb.* Absit hoc: Decreta dies est, hodie me Deiparæ, & hoc Sacellum consecro. Perficere vos coepta velim, dum scia m, quæ res agatur. In omnem casum firmatus est animus mihi: Nihil veniet improvisum, quidquid venerit. Si moriendum, aut pro vobis, aut certè vobiscum moriar. *Dion.* Firma cælum, quam audio loqui, fortitudinem, dignam præcelsis cogitationibus, quas Christus suggerit! *Lisb.* Quantum quantum est animi robur, vobis debetur totum, & Evangelio. O quàm Sapienter quotidianam hujus Sancti Codicis Lectionem suasistis mihi! En! ùt opportunè paulò antè se Textus ex Luca obtulit: *Dico autem vobis amicis meis*, O verè Divinam Divini Servatoris humanitatem! mancipia amicos vocat! .... *Dico vobis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius, quid faciant: Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem, mittere in gehennam: Ita dico vobis, hunc timete.* O Sententia salutaris! Nempe quidquid contrà nitar, moriendum est aliquando: Morbô an ferrô moriar, quid interest viri, si modò bene? At si post mortem gehenna me excipit, tum verò verè miserè mecum agitur. Patres, hic timor omnes noxios timores pellit. *Solus DEUS terribilis est: DEUM qui timet, nihil timet, præter peccatum.* *Dion.* Plaudite Superi! cecidit in terram bonam verbi Divini semen. *Rust.* Perge fortis. Priùs tamen huc iterum verte oculos: Roga

Vir-

Virginem, ne patiatur, ut verbis facta dissentiant. *Lisb.* Chara Mater! juva filium, & dignum tuâ gloriâ inspira animum mihi! eo.

SCENA III.

Dionysius. Rusticus. Visbius. Haraldus.

Dionysius. Salvum te Deus velit. At nos, Rustice, levemus capita nostra, quoniam appropinquat redemptio nostra! quid enim aliud mandata Romana ferant, nisi nuntium de adventu Domini? *Rust.* Gaudeo, quia si hodie venerit Dominus, inveniet vigilantem. *Visb.* Ergò in periculo Pater est, & citò monendus. Vah! quos rursum video? *Harald.* Auctores turbarum vides. *Visb.* Hìc soli? ubi est Pater? *Dion.* Expectare nos reducem jussit: ipse in Senatum vocatus abiit. *Visb.* Revoco periclitantem. *Harald.* Cave! nam ipsa ex Senatu absentia suspectum commercii cum Christicolis faceret. Si doceas de discrimine, satìs est. *Visb.* Obedio. *Har.* At vos, nisi expectare vim malitis, sine mora vos hinc proripite! ita Haraldus jubet. *Dion.* Dominus ædium? *Har.* Amicus Deorum, Larciæ frater. Oggannire cessate, & purgate locum! nisi properatis, expellam. *Rust.* Contra vim nihil possumus. Sed quomodo injuriam excuses Lisbio, tu videris. *Har.* Excusabit Fescenninus Præses, ad quem jam ego vos traherem, nisi Lisbium amarem, quem hæc malè feriata Societas parùm abest, quin jam perdiderit. *Rust.* Trahe, quò vis, gaudentes ibimus: nam *Christicnus nihil, nisi peccatum timet. Har.* Jam sæpius audivi hoc apophtegma jactari: modò se offert occasio, qua apparebit, qui sitis, heroës utique digni, quibus Furiæ Mausolæum struant. Liberate tandem oculos meos invìso conspectu! antiquam ego faciem huic loco restituam: vos, nisi me orcus glutierit, hanc domum non revisetis.

SCE-

SCENA IV.

Dionysius. Rusticus. Florillus

Dionysius. Bene est, confirmor: illuxit suprema dies tot votis desiderata! *Rust.* Illuxit! superabundo gaudio, dum spero futurum hodie, ut dissolvar, & sim cum JEsu, cum Maria! *Dion.* Una tamen me cura angit: Quid Lisbio fiet? quid reliquo novello gregi, post pastores dissipatos? provide, obsecro, providum semper Numen! ad preces, amice, ad preces nos conferamus! donum perseverantiæ donum optimum *de sursum est à Patre luminum!* *Rust.* Quem nobis, Virgo, & nostris oviculis propitium reddas! Quid tu, Florille, affers anhelus, & pallens! *Flor.* Ah! fugite Patres, explorata res est: contra vos Fescenninus coëgit Senatum, de vita agitur. *Dion.* Bonum nuntias. *Flor.* Nempe vobis, quibus mori est votum, ut cælo fruamini! sed orphano mihi quid fiet? *Dion.* (*) Hunc Patrem habes, istam Matrem: & te orphanum vocas? *Rust.* Quanquam si eâdem viâ eundum nobiscum tibi in cælum foret, an nolles ire? *Flor.* Inani me spe solaris: desertus sum, si vos deseritis. *Dion.* Imò ante nos in prælium tu vocaris: Haraldus, qui hinc ejecit nos, crede mihi, arma parat adversùm te, & metuo, ne triumphet. *Flor.* Haraldus ejecit vos! O ferum hominem! sed ego non timeo: hodie sciet, qui sim, cùm hujus illum facinoris coram Lisbio arguam. Quo me donâstis, hoc munus sanctum obfirmat pectus: satìs armatus sum! vel si concitatus furore orcus irruat, invictus stabo. *Rust.* Sic places. Quòdsi tamen, ùt homines sumus, cùm ad rem ventum erit, trepidare cor senseris, huc oculos conjice, hæc Virgo est mulier fortis, & fortem faciet. *Dion. De te nihil spera*, quia infirma est caro, *pro te omnia*, quia MARIAM amas, & ipsa te. Jam vale, fili, notas tibi repetimus latebras, ne hospiti fraudi simus. Si qua opus est

(*) Imagines exhibet.

Lisbio noſtrâ operâ, cùm redierit, admone: reperies orantes Deum, ut inſtanti pugnæ animos præparet. *Flor.* Servet vos nobis cælum! obedio juſſis. At ego ſic ſentio calere pectus, ut nolim latere ampliùs! (*) affixum pectori ſplendeat hoc ſignum palam, & ſciat orbis, quàm te, & tuum amem Filium, O Virgo Mater! ... Hem! nola ſonuit: ad pugnam Haraldus vocat. Heu! quod monſtrum video!

SCENA V.

Haraldus. Florillus. Lisbius. Visbius.

Haraldus. Gaude Mercuri! nunquam pretioſiùs colebaris. Sed hinc tua potentia fulget illuſtriùs, quòd per tuos inimicos hunc honorem paraveris tibi. Chriſticolis hanc Lararii magnificentiam debes: Triumpha! ... Puer, citò Dominam ad hoc ſpectaculum evoca. *Flor.* Putas acceptum fore? *Har.* Quid hoc interrogas? *Flor.* Quia, niſi inſanam credis, tandem ultrà non poteſt placere truncus altari impoſitus. *Har.* Inferi! jam tu quoque crocitare didiciſti cum corvis? ... Sic eſt: hem! palam ſignum contempti Dei oſtentat impudens. Abi ſtygis pabulum, aut victimam Deo immolo. *Flor.* Cui Deo? nam iſte tuus Mercurius unde ſe DEUM probat? Chriſtum autem ſi DEUM vocas, en jugulum! immolari gaudium eſt: Chriſtianus nihil, niſi peccatum, timet. *Har.* Portentum pueri, inſultas viro? *Flor.* Provoco. Sed herus redit. Ah here, quæ eſt hæc audacia viri, qui te abſente reſtituit idolum aræ, quam tu hodie Sacram Deiparæ honoribus cupis! nunquid ut dejiciam, jubes? *Lisb.* Vah! Spectaculum inſolens! hoc auſit aliquis domi meæ! *Flor.* Ruat informe lignum! in ignem truncus! *Har.* Siſtis impie! *Visb.* Temerarius puer! *Flor.* In ignem! *Visb.* Non prohibes nefas, Pater?

(*) Iconem B. V: affigit pectori.

Pater? *Flor.* Imò nónne sic jubes, here? *Lisb.* Florille places, sed quiesce tantillum: nondum facinoris generosi satis dignum Theatrum habes. Spectator sit Dionysius, est necesse, ut laudem feras. *Har.* Dionysius nempe, quem ex Fescennini adventu trepidum jam fuga abstulit. I nunc, & Christicolarum fortitudinem jacta. *Flor.* Prô! quid est hoc? tantum virum non pudet mentiri! here! non fugit vir sanctus, sed cum ignominia hinc ejectus est domo, ab hoc Haraldo. Scio, ubi moretur: vis, ut revocem? *Lisb.* Perge celeriter. *Flor.* Inducias habes Mércuri, sed cùm rediero, væ tibi! *Har.* Rumpor irâ! *Lisb.* Me verò oporteret irasci, si Christianus non essem. Nunc, quoniam mansuetudinem Christus imperat, hoc interrogo, qua tu auctoritate in ædibus non tuis hæc agis tu? *Har.* Cavebam tibi, & pro te sollicita jubebat Larcia: num injuriam feci? *Lisb.* Jubebat Larcia! dominari mihi mulierem passurum credis? injuriam viro facis. I, nuntia uxori, sollicitudinem de me ponat: non ita imprudens sum, ut opus sit consilium à fœmina petere. *Har.* Atqui video te à Senatu abesse, qui contra Christi asseclas convocatus est, quid? hoc viri prudentis consilium vocas? *Lisb.* Postquam audivi, cur sit coactus, non decebat intrare. Decernant collegæ de absente, quod volent: Lisbius nihil, nisi peccatum, timet. *Har.* Non diu ampliùs insultabis. Blasphematur Mercurius, contemnitur soror, puer petulans exsibilat virum, & Lisbius ridet! hoc ferat Haraldus! vindicabo. *Lisb.* Pueros sic terre! Lisbius nihil, nisi peccatum, timet. *Visb.* Ah! Pater!

SCENA VI.

Lisbius. Visbius.

Lisbius. Et tu adhuc ingemiscis, mi fili? *Visb.* Nempe quia sic ego infelix Filius sum, qui Patrem habeam Deorum hostem. Felix eris, si Patrem sequeris. Aut age, quod tibi in me displi-

cet facinus; quod minùs dignum videtur viro prudente, ac nobili? *Visb.* Per Matris lacrymas, per meam orbitatem, per familiæ luctum precor, ut accedas Senatum, quò es vocatus, neque adeò te ipsum prodas, ac opes, famam, honores, vitam improvidè prodigas. *Lisb.* Senatum accedam, qui contra Deum coactus est, quem à me coli nôsti? *Visb.* Ah! contra Deum! in quo tu stipite Deum aspicis, ego vis hominem video. *Lisb.* Scilicet non habes oculos meos. Tamen, si hoc solum petitur, fiat, quod petitis, accedo Senatum. I, nuntia Matri. *Visb.* Irrides Pater? *Lisb.* Serius loquor: Accedo Senatum, & Romana mandata audiam, at, non ut probem, audiam. Cùm legentur, fili, cùm tumens irâ Præses nostram reposcet sententiam, palam assurget Lisbius, palam affixum cruci attollet Deum, & diplomatis damnabit sævitiem. I, nuntia Matri. *Visb.* Heu! quid loqueris, chare Pater! quod facinus meditaris immane, barbarum, horridum, execrandum! *Lisb.* Facinus Deo glorioſum, mihi utile. Eo. *Visb.* Ah! siste, obsecro! jam muto preces. O si quid filius potest exorare Patrem, ne quæso, Senatum intra! in quas me miserias projicis! *Lisb.* Sine. *Visb.* Sinam in mortem ire? non sino. Per quidquid charum, quò ruas, cogita. *Lisb.* Cogitatum est satìs. Si Patrem diligis, premis vestigia. Sequere! in cælum imus. *Visb.* Ah! si in cælum imus, cur sine Matre eam? Si occideris Pater, quid mihi, quid Matri fiet? vive, obsecro! Si errare videmur tibi, errores dedoce? dissimula tantisper, qui sis: quis scit, lætus an non tandem venturus sit dies, quo pectus impletum virtute supera audeat profiteri fidem tecum, quam refugit modò, eúmque, quem colis tu, ego & Mater pariter colamus Deum. Miserere Pater! *Lisb.* Hem! nunc loqueris aliquid. Spes ista vincit. Utinam hæc adsit hora brevì, qua tu, & Mater cessetis amare me, & cor totum meo donetis, qui solus amorem meretur, Deo! Senatum, quoniam sic vis, accedam, & quà licet, personam etiam dissimulabo: num satìs hoc tibi? *Visb.* Satìs Pater! nunc amas me. *Lisb.* Jam

tu

tu viciſſim hoc agas velim, ut advenas, quos adducet Florillus, hìc domi occultes meæ. Cave, ne quid illis aut ab uxore, aut ab Haraldo contingat mali. Secùs ſi fiat, quì ſim, quantumcunque reſiſtatis, clamabo palam.

SCENA VII.

Visbius. Haraldus.

Visbius. Beâſti me. O factum bene, quòd falſam ſpem ruenti in exitium objecerim Patri! nunc exarmanda & Mater erit. Felix ades, Haralde! *Harald.* Quid triumphas? *Visb.* Diſcuſſæ nubes ſunt, redit Sol. *Har.* Eja! *Visb.* Mutavit mentem Pater, & abiit in Senatum. *Har.* Seriò? *Visb.* Sic eſt. *Har.* Mutaverit ſe Lisbius, non ſe mutavit Haraldus. Stat vindicare me, & ulciſci Mercurium. *Visb.* Pueri petulantia virum non lædit. *Har.* Niſi petulantiam Vir approbet. Vidi, ſenſi ſarcasmos, quibus illuſit Lisbius mihi, cùm inſultaret Haraldo Florillus. *Visb.* Crede avuncule, alius jam eſt parens: in Senatum ivit. *Har.* Et ego ad præſidem eo, ad quem jam præceſſit Soror. *Visb.* Mater ad præſidem ivit? quid factura? *Har.* Accuſatura virum rebellem Diis. *Visb.* Prô miſerum me! non erit rebellis ultrà: num centies dicam? *Har.* Quoties voles, non credam tamen. Pereat, qui odit Deos! *Visb.* Téne hæc decet loqui? te Matrem ſic concitare? Ah! ſi quid amas cognatum ſanguinem, miſerere Visbii, parentem ſerva! *Har.* Amicus tu, amicus parens, ſed magìs amici Dii. Atque ut intelligas, quàm non ſim inimicus Lisbio, hoc ſcito, non id me agere, & Sororem, ut ipſe pereat, ſed ut pereant inviſi Deo advenæ. Si mentem, quod ais, mutavit parens, agat, quod petet Præſes, & ſuo etiam ſuffragio publicè Dionyſium & aſſeclas damnet. Sic probabit, qui ſit. Faciet? *Visb.* Ah! Haralde, non ſufficiat tibi, quòd ſe diſſimulet parens? *Har.* Hem-

trepidas! sentio, fucum facis: nihil mutavit se Lisbius, ad Præsidem eo. Tu, si Patri caves, hoc cave, ne quà evadant advenæ, & cùm illos Florillus adduxerit, blando sermone detine, donec satellitium adsit à præside. Sic consules Patri. *Visb.* Sic scilicet! *Har.* Consilium bonum consulo: nam abscissa radice facilè arescet arbor, & ereptis Magistris Discipulus mutabit sententiam.

SCENA VIII.

Visbius. Florillus.

Visbius. Miserande Pater! doleo, quas pateris vices. Et quid jam ego faciam? Haraldo, an Patri obsequar? Servatos hic advenas cupit, ille perditos! ... At en! quid adeò solus puer, & cur tristis? *Flor.* Ah! sine me Lisbio loqui: scelera forum obsident, furor plateas tenet: Eleutherium vidi captivum ad Præsidem trahi: Dionysium & Rusticum non inveni: forsan ambos jam carcer habet. *Visb.* Utinam! Tu celer in curiam perge, & rem Patri nuntia. *Flor.* Quid ais? in curia reperiam herum? *Visb.* Sic aio: perge ocyùs. *Flor.* In curiam herus nunc? Quid cogitem? *Visb.* Juva Mercuri, & serva parentem mihi. Prô! quanti me fluctus jactant. Amor, Dolor, religio, ira, metus velut multiplici ariete hoc pectus quatiunt... juvat tamen Haraldo obsequi, & si nondum capti sunt, captivos Præsidi advenas sistere, ut eorum cruciatibus fortè commotus parens aliud consilium capiat. Fallor! an ipsi intrant? Salvete, ô boni Viri! quousque vagi vos ipsos inseritis laqueis, quos Præses tendit? domum Parens offert, ubi latere securis liceat, nam Matrem ego placabo vobis.

SCE-

SCENA IX.

Visbius. Dionysius. Rusticus.

Dionysius. Dominus JESUS pro hac humanitate gratiam tibi referat! sed de latebris jam non est cura: hoc te oramus, valedicere ut Patri liceat: nam ad Præsidem imus, ut moriamur, ne moriantur pro nobis alii, quos hospitii suspicio premit. *Visb.* Imò servate vos nobis, ut possitis prodesse. Tutò latetis postquam persuasimus parenti denique, ut in curiam iret, & ut pristinæ sacellum formæ restitueretur, permisit. *Dion.* Heu! infelix Lisbi! sic credam mutatum esse animum tibi! *Rust.* O boni cælites, succurrite misero, & reddite mentem bonam! *Visb.* Quid exclamatis? non est diversus à se Pater, videri tantùm cupit, donec Cælum sereniùs rideat. *Dion.* Non licet sic fingere, & hæc simulatio scelus est. *Rust.* Et qui erubuerit Dominum JESUM coram hominibus, erubescet & ipse eum coram Patre suo. *Dion.* Unus est Deus, unus Dominus: gravem injuriam *uni* facit, qui colit *plures* honore pari, graviorem, si truncum aut lapidem, gravissimam, si juratos hostes Numinis, & miserabiles ad æterna incendia damnatos Spiritus æquali cultu dignos esse, per execrandum mendacium profitetur. *Visb.* Excusationem tamen meretur mendacium, & simulatio, quam extorquet necessitas: nisi per hoc medium, mala extrema non effugiet parens. Jactura opum, honoris, famæ, & officii, insuper exilium, egestas, carcer, cataстæ, tormenta, & terribilium omnium terribilissimum, mors imminet, mors violenta, infamis, atrox! *Rust.* Hæc tu mala extrema vocas, quæ pueri nostri, & puellæ Romæ nuper cum risu sustinuerunt? O bone Visbi, prudentis est, *inter duo mala* minus eligere: tormenta minatur Tyrannus, tormenta Deus, ille momentanea, æterna iste: quid prudentia imperat? cui parendum est? *Visb.* Si tam rigidum habetis Deum, quis ei servire velit? *Dion.* Ah! exoptanda servitus est, imò unicè exoptanda, & sola. Ecce

vix

vix homo est, qui non serviat homini: Rusticus civi, civis nobili, nobilis principi famulatur: & tamen hominibus, O Visbi, si nemo serviret, mirandum non esset, quia rarò fit, ut ad præstandum homini servitium magna aliqua utilitas alliciat, rariùs, ut impellat æquitas, rarissimè, ut necessitas cogat: verùm de Deo nostro, si qualis sit, rectè animo concepisses, mirareris, fieri posse, ut vel unus sit hominum, qui non fideliter obediat, promptúsque semper etiam ad difficillimum obsequium sit: adeò nihil est hac servitute *æquius*, si consideres Dominum, nihil *utilius*, si attendas mercedem, & si ad ipsam hominis conditionem respicias, *nihil necessarium magis*. Sine, obsecro, quoniam huc nos sermo deduxit, paulò pluribus explicemus, quàm sit harum conditionum utilis consideratio, & ad solatium tibi. *Visb.* Dicite: neque enim stolidam credo doctrinam esse, quam persuadere Patri potuistis. *Dion.* Igitur hoc primùm intellige, fieri non posse, ut felix sis, nisi aut in conditione *Domini*, aut in conditione *Servi*. *Visb.* Sic est: nam conditio media nulla datur. *Dion.* Jam, *Dominus* ut sis, qui ab omni servitute exemptus nullum supra se Dominum agnoscere debeat, fieri non potest: neque enim adeò desipis, ut credas, Deum te esse, qui solus à nullo dependet. Homo es, à Deo creatus, ergò creator est Dominus tui, & tu illi servitium debes, neque aliundè, nisi ex hac servitute, tuam felicitatem sperare. *Visb.* Hoc palpo: sed quis sit ex tot Diis creator meus, hoc dicite. *Dion.* Postea intelliges: nunc hoc certum sit tibi, *ab uno*, non à pluribus creatum te esse. Nam si in formando te plures junxissent operam, cur junxissent? aut quia unus non sufficit? ergò impotens: vel quia liberè maluit cum aliis agere? ergò imprudens fuit, quia improvidè voluit te pendere à pluribus, atque adeò non uni soli famulatum debere. *Visb.* Video stringi me, ut fatear, *unum* esse, *unum solum*, qui fecit, ut sim. *Rust.* Ingenuus es. Superest, ut, quam *intelligis* uni debere te servitutem, *uni* servire velis: sic beatus esse *in conditione Servi* potes, cùm *conditio Domini* con-

conditioni creaturæ repugnet. *Visb.* Beatum me ut servitus faciat, nova mihi sententia est: exponite clariùs *Rust.* Imò ita beatum hæc servitus facit, ut, nisi servias creatori, æternùm futurus sis miser. *Dion.* Adverte per ordinem, quid docearis. Qui *Titulô Domini* beatus esse non potest, hoc ei superest unum, ut *Titulo Servi* beatum se faciat, & erit utique beatior, qui meliori, beatissimus, qui optimo Domino servit. *Visb.* Evidens conclusio est. *Rust.* Age jam, & elige, si potes, elige meliorem Dominum, quàm sit is, qui te creavit. Unus creavit te, & quô minùs crearet te, quis obsistere potuit? solus igitur creator est, qui te, si servias, ùt decet, beatum, & si non servias, miserum potest facere, quidquid contrà nitantur alii. *Dion.* Ita sicut *totum esse* tuum, sic *totum bene esse* à Creatore pendet. Et O quàm bene est illi, qui hoc intelligit, &, sicut intelligit, agit! attende discrimen, quo differt, qui Deo, & qui homini servit. Homo homini servienti sibi victum præbet malignè, vestitum vel nullum, vel vilem, mercedem exiguam: non sic Creator. Homo cum servo agit imperiosè, urget laboribus, incurium increpat, negligentem expellit, diligentem etiam ac fidelem vix oculô blandô, aut verbo leniore dignatur: Creator quem, putas, victum præbet famulantibus sibi? Ah! usque ad delicias, usque ad delicias amat! qua veste induit? veste gratiæ, O bone juvenis, veste gratiæ suæ, cui comparari nullum aurum, nulli pretiosi lapides possunt! & quam promittit mercedem? ipse, ipse erit merces tua magna nimis. Neque gravia imperat, sed leve est onus, jugum suave, & cui portando, ipse per gratiam suam succollat, recreans fessum, excitans languidum, blandiens negligenti, infidelem leniter increpans, patienter sustinens, nec, nisi invitus, ejiciens: qui verò fidelis est, eum DEUS tenerrimè amat, ita ut non jam servum appellet, sed vocet amicum, nec amicum modò, sed etiam filium nominet, ac ne nomen inane putes, hæredem faciat. *Rust.* Et ô quantæ hæreditatis! suspice, chariſſime, suspice! cælum

lum est hæreditas tua, cælum, ille locus deliciarum, unde omnis dolor, & tristitia exulat: Cælum, illud supremi Regis palatium, cujus pavimentum tot aureis Stellis collucet: Cælum, cui si comparas hortos principum, fimeta sunt, si arces Cæsarum, tuguria sunt, si Elysiorum delicias, miseriæ sunt: Cælum, cujus gaudia nec oculus vidit, etiam qui omnia vidit, nec auris audivit, etiam quæ plurima audivit, nec mens capit humana, etiam quæ capacissima est. Quid tibi videtur: non æquum, non utile est, ut servias Domino tam bono, pro mercede tam grandi? *Visb.* Vehementer urgetis. *Dion.* Nempe quia beatum te esse cupimus, futurum miserum, nisi servias, Nam velis, nolis, serviendum est Creatori, neque unquam Spes emancipationis affulget. Quid enim facias? an latere inobedientia, & rebellio poterit? Deus omnia videt. An opponas te imperanti? Deo resisti non potest. Dæmones fortè invocabis, quales in lignis, & lapidibus colitis, ut te juvent Creatoris jugum excutere? frustra es: ipsi mancipia sunt rudentibus inferni ligata. Cælestes Spiritus trahes in partes? fideles ministri sunt, nihil audient. Res cæteras creatas implorabis? Bestias, elementa, orbem terrarum in sceleris communionem invitabis? Actum est: orbis terrarum contra te cum Creatore pugnabit. Unum est reliquum, ut Deus ipse te eximat, & à necessitate serviendi absolvat. Sed absit! potuit creare te Deus, vel non creare: Sed postquam creavit, tam necessarium est, te esse servum, quàm necessarium est ipsum esse Deum: nam si tu per ejusmodi exemptionem cessares esse servus, Deus cessaret esse Dominus, atque quod idem est, esse Deus cessaret. *Rust.* Quòdsi post hæc omnia adhuc insurgis feroculus, & clamas: *Non serviam!* Clama, clama! fortasse connivebit ad tempus Creator, & sinet te ferocire aliquantum, sed non ideò liber es. Circumfusum undique te Numen tenet, servire debes. Hoc relictum est integrum, num servire malis *ad gloriam Misericordiæ*, beatus in cælo, num *ad commendationem Justitiæ* æternùm infelix in inferno. *Dion.* Denique

nique hoc habe breviter: *Servire Deo regnare est, non servire, perire. Visb.* Verosimilia dici percipio satis: sed à parentibus plurium Deorum cultoribus natus, & à teneris in eadem Religione educatus non ita facilè mutor, ut subitò credam, *uni Deo soli* me servitutem debere, cæteros impunè contemni. Colam, si vultis, Deum vestrum, sed meos simul. *Dion. Unus* te creavit, *ab uno* pendes: à quibus non pendes, non sunt Dii, vana nomina, trunci, miseri diaboli sunt, quibus sine scelere non flectis genu. *Visb.* Cessa convitiari. Vestrum non sperno Deum, vicissim ut meis maledicatis vos, non fero, non patior. Hoc tamen promitto vobis, cùm transierit tempestas, quæ minatur exitium Patri, iterum de his audiam vos, si modò nunc moderari zelum possitis, & dissimulare, quod agit Lisbius. En! adest ex curia redux. *Dion.* O infelix! *Rust.* O miser!

SCENA X.

Lisbius. Visbius. Dionysius. Rusticus. Florillus,

Vlbius. Amande Parens! nihil pæniteat te audisse suadentem filium: tua facilitas fecit, ut vicissim audierim ego Doctores tuos, nec procul absim à sensu tuo. *Lisb.* Sic sapis Fili, sic amo te. Et vos ô Patres, gaudeo, videre liberos, quos metuebam jam captos esse. *Dion.* Lisbi, Christianum sola peccata ligant. Libertatem nobis gratularis: dole de vinculis tuis. Tu captus es ab amore tui & tuorum, captus à servili metu Tyranni, captus à scelere. *Rust.* Quò abiit animus ille ingens, quò illa magnifica verba: Christianus nihil, nisi peccatum timet! quò heroica Resolutio hodie Deiparæ te devovendi, & ejus famulatum publicè, fuso etiam, si opus sit, sanguine profitendi? *Lisb.* Quis iste sermo est, Patres, quid peccavi? *Visb.* O homines imprudentes, & temerarii! sic me, sic Patrem, sic vos amatis! *Dion.* Tacere scelus est, quando Dei gloria periclitatur, & animæ salus.

Lisb. Quid enim metuitis? alium me à me creditis! atqui idem est animus, qui fuit priùs. *Rust.* Idem animus, at non idem os, non eadem opera. Quousque simulas, bone vir! alium te esse negas, alium hic truncus loquitur. *Dion.* (*) Huic debetur ara! Eja! si idem es, monstrum dejice: sic probas fidem. *Lisb.* Hoc, Dionysi, quæso, ne impera. *Visb.* Sic places Pater. Nec quiescetis tandem? *Tempori* servire prudentia jubet. *Dion.* DEO servire *omni tempore*, Justitia exigit. *Lisb.* Sancta doctrina est: sed honor idolo fieret, si manu virili caderet. Florille! *Flor.* Ecce me! *Lisb.* Invade truncum, dejice! sterne! calca! *Flor.* In ignem trunce, in ignem! *Visb.* Heu! deceptus sum infelix filius! *Dion. Rust.* decepti nos! *Dion.* Probâsti fidem, Lisbi, amplector te! *Rust.* Triumphas Christe! *Visb.* At tu pæana canis ante victoriam. Me hoc spectaculum cruciat! quid jam ago? *Lisb.* Te cruciet, non abes procul à sensu meo? *Visb.* Sic eram: sed quoniam non estis tractabiles, i, rue in exitium ferox Pater, perge, quò furor impellit, jam nihil moror. Funus ipse tuum, & tormenta videbo intrepidus, & nihil dolens. *Dion.* Imò exulta, fili, de sorte tua. Mors Patris filium in eadem vestigia trahet. Jam nunc, sic me Numen amet, te veneror Christi Martyrem, qualem post biennium videbit Roma. *Lisb.* Hoc faxit Numen! beatum facit! *Dion.* Huc verte oculos, pro hoc morieris! *Visb.* Phantasma! næniæ! deliria! *Dion.* Dei mihi loquentis vaticinia sunt. *Visb.* Jam nunc me Matri jungo, ut palam sit, quantum decipiaris deceptor miser.

Ad præsidem eo. *Lisb.* Perge citò: facis, quod suadent scelerum Patroni Dii.

SCE-

(*) *De Icone B. V. loquitur.*

SCENA XI.

Visbius. Haraldus.

Visbius. Facio, quod ſuadent ſcelerum ultores Dii. Eſt mihi teſtis cælum, nil ſponte ago. Cogit Deorum honor calcare amorem Patris. *Har.* Vah! nigrô notanda calculô infelix dies! *Visb.* Age, quid furis Haralde! in curia quid eſt actum? nempe ſubſcripſit ſententiæ contra advenas Parens? *Har.* Euge! cùm Decretum Romanum Præſes legit, (audi, & ſtupe audaciam viri,) ſurrexit Lisbius, ac inſolenti faſtu decretum impium, Deorum cultum ſacrilegum, Crucifixum Deum & unum, & ſolum eſſe palam proclamavit. *Visb.* Heu me! & Præſes quid? *Har.* Preſſit iram, contentus juſſiſſe, ut Senatu excederet, & teneret ſe domi ſuæ. Nunquid eſt intus? *Visb.* Triumphat, & velut in re bene geſta plaudit ſibi. *Har.* Urget jam pænas Larcia & ſeveras, & celeres: lictor imminet. Sed quod me in rabiem agit, hoſtes Deorum advenæ in ſuis latebris requiſiti, reperti non ſunt: timeo, ne longior fuga impios homines ſubtraxerit nobis. *Visb.* Utinam! *Har.* Quid utinam? fortè jam tu etiam hauſiſti virus? *Visb.* Utinam evaſiſſent! ſaltem parens liberari poſſet à ferro infami. Nunc infauſtos bubones ſecum habet miſeræ ſortis augures: hinc illæ lacrymæ. Jacet Mercurius ſtratus Florilli manu, paratur Altare, & Sacramentum dicet Parens Dei, ùt vocant, Matri. *Har.* Sic mentem peregrina novitas faſcinavit. *Visb.* Falleris: negant advenæ, hunc in Gallia cultum novum eſſe. Nam cùm idem ego nuper objicerem, interrogârunt illi, nihílne de Sibyllis, nihil de Altari audiviſſem, quod jam centum, & ampliùs abhinc annis noſtri (*) Druidæ extruxiſſent Cornuti in ſpelunca ſubterranea, cum adjuncta inſcriptione: *Virgini Parituræ!* & addebant, Statuam ibi dedicatam prodigiis claram fuiſſe,

(*) *Sunt Sacerdotes Galli.*

teſtémque aſſerti ſui Julium Cæſarem citaverunt. *Har.* Verſuti ſunt homines, & nempe ſic Patri tuo ſe inſinuârunt. *Visb.* Sed quidquid ſit, ſi Mater eſt Dei, quam illi prædicant, non ideò cæteri Dii noſtri ceſſant eſſe Dii: iſti autem nos penitus *eſſe novos* volunt, hoc non ferendum eſt. *Har.* Et quòd Majorum ritus, velut ſi deſipuiſſent omnino omnes, & iſti ſoli ſaperent, ita damnent impudenter, ferendum minimè. *Visb.* Sanè, niſi velimus iraſci nobis omnes Deos, ut placeamus ignoto Deo. *Har.* In nido opprimi jam iſtæ volucres poſſunt, & fortè ſic placabis Præſidem Patri, ſi locum prodis. *Visb.* Te ſequor ducem. Fortunent Dii!

CHORUS.

Antiquus B.V. Cultus Monachij ſemper fit novus. *

Genius Marianus. Genius Sodalitatis Comites.

Gen. Mar. SIſtite! tenemus Regiam
Olim Mariæ addictiſſimam.
Priusquam pergamus aliò,
Trahenda hìc mora eſt,
Et explorandum ſedulò,
Num adhuc vigeat antiqua Devotio.

Exhibetur Regia Monacenſis, ponè quam Genius Marianus deſcendit ex nubibus.

Comes 1. Antiqua certè hìc exhibet ſe
Virginis Statua *
Artificioſa, magnifica.

* *Ærea Imago proſtat inter geminas Palatii portas, cum ſuppoſita lucerna.*

Comes 2. Et ardet etiámnum candela *Symbolica.*

Gen. Mar. Omen bonum video: gaudeo.

Trio.

* *Præfecturam Sodalitatis hoc anno clementiſſimè acceptavit Sereniſſimus Princeps Clemens Creſcentius Utr. Bav. & Sup. Pal. Dux &c. &c.*

Trio.

Flamma ſancta ſurge, creſce,
Magìs, magìs exardeſce!
Temporis injuria
Tibi ſit innoxia.
Nihil in te multa hora,
Nihil longa poſſit mora:
Ardes quò diutiùs,
Ardeas *Sereniùs!*

Comes 1. At en! commodè ſe infert obvius,
Ex quo certiora intelliges,
Sodalitatis Latinæ Geniùs. *

* *Prodit ex aula libellum ſupplicem volvens, & ſecum plaudens.*

Comes 2. Prô ut fulget
Novis ſuperbus veſtibûs!
Gen.Mar. Suſpecta res! nam quid? ſi à ſe degeneravit?
Si cum veſte *mores antiquos* miſer mutavit?
Averte Malum MATER PROPITIA!
Gen.Mar. Subſcripſit manu propria:
Magnæ Dominæ Servus Perpetuus
CLEMENS CRESCENTIUS.
Exoſculor! plaude Sodalitas!
Gen.Mar. Amice! quæ gaudia nuntias?
Gen. Sod. O Salve Mariane Genie,
Ut ades in tempore!
Nova habeo: *nova* lætiſſima,
Quibûs beat iſta me Regia.
Ut mihi daret Præfectum Principem,
Iterum ſupplicavi,
Iterum impetravi. Nimirum,

Arietta.

Jam ſua ab origine
Hæc Domui Bavaricæ
Propria eſt Gloria:
Devota eſt Mariæ.
Hinc erga me affectio,
Hinc precibus, quas offero
Patulæ quotidie,
Et faciles ſunt viæ.

Gen.Mar. Gratulor tibi, & mihi. *
Magnæ Dominæ Servus Perpetuus,
Antiqua votivæ verba ſunt Formulæ,
Quibûs exprimitur integra
Cultûs Mariani *Subſtantia.*
Exſolviſti me unô dubiô:
Eſt, eſt adhuc Principum *antiqua* Devotio.
Sed jam tu me tenes ambiguum.
Dic: *Eundémne*, qui eras olim, an video *alium*
Sodalitatis Latinæ Genium?
Gen.Sod. Nempe hæc turbat te pompa veſtium?
Fateor, & glorior penitus *Novus ſum!*
Gen.Mar. Novus ſum! heu me.. intelligis, ô bone,
Quantum contra te loquaris præjudicium?

Aria.

Suſpecta res eſt Novitas,
Et cautè eligenda:
Antiquitas, Antiquitas
Prudenti eſt colenda.

* *Legit.*

2. Pru-

2.

Pruritus res *novandi*,
Antiqua immutandi,
Plerumque est inutilis,
Rarissimè laudabilis,
Et fere inanissimæ
Partus gloriolæ.

Gen. Sod. Amice, nihil metue:
Quæ objicis, ut brevis sim, solvo Philosophicè.
Dico: anxius es meritò,
Si nova est, *quam indui*, Devotionis *Substantia*:
Immeritò, si sola nova sunt *accidentia*.
Quid autem loquor auribus? oculîs utere,
Et ut intelligas, quæ mea sit *novitas*,
Oratorium ingredere. *

* *Exhibetur* novus fervor *omnium Ordinum, & Statuum, post translationem Conventuum in diem Sabbathi.*

Gen. Mar. Superi! quæ me rapit Augusta species
Cultûs insoliti,
Qualem non vidi alibi!
Comes 1. Antiquus est!
Comes 2. Novus est!
Gen. Sod. Novus, & antiquus est.

Aria.

Antiquum cultum colo:
Ne verò antiquetur,
Ut *nova* conservetur
Per adjumenta, volo.
Sic, utilî consiliô,
Dum esse *novus* ambio,
Antiquus maneo.

2.

Devotio est Ignis:
Vis ignis incrementum,
Da *novum* alimentum:
Nam sine *novis* lignis
Non diu flamma subsilit,
Consumit se, & deficit:
Et quis est Flammæ finis?
Cinis.

Gen.Mar. Sapis amice! bona, bona est *Novitas*,
Per quam alitur *antiqua* Pietas.
O jucundum spectaculum!
Plaude Virgo! crevit, crevit Devotio,
Et crescet (loquor oraculum) * **Exhibitio.*
Crescet ampliùs sub *CLEMENTE CRESCENTIO!*
Gen.Sod. Credo vaticinio, quia novi *CRESCENTIUM*,
Et scio, quid possint exempla Principum.
Gen.Mar. Et quid non possint?

Duetto.

Gen. Mar. Exempla Principum
Sunt Magnes cordium:
Gen. Sod. Vel, quæ sunt ferrea,
Ambo. Trahuntur.
Gen. Sod. Ad hoc se speculum
Componit sæculum:
Gen. Mar. Hunc Solem Sidera
Ambo. Sequuntur.

Gen.Mar. Ergò plaude charissime!
Si pergis, quod agis, agere,
Si fervorem *antiquum novis* industriis alere,

Hæc erit Deiparæ
Ex omnibus Sodalitatibus
Prima in amoribus.
Ego pergo ad cæteras,
Felix, ſi tuæ ſimiles reperiam alias.
Gen.Sod. Saltem decretum eſt, *in iſto litis genere*
Nulli alteri cedere.

Aria.

Hæc decet Sodales arena
Honoris, ac meriti plena,
Certare,
Quis *DEIPARAM*
Teneriùs poſſit amare:
Amemus!
Certatim amemus!
DUCE CRESCENTIO
Creſcat contentio!
Præit: ſequamur!
Certatim, *certatim* ſequamur!
Hæc ſancta, hæc digniſſima,
Eſt lis *de præcedentia.*

PUNCTUM II.

S. Lisbii ex cura Profectus.

SCENA I.

Lisbius. Dionyſius. Ruſticus.

Lisbius. Abſolvi ſyngrapham: meditari jam verba juvat, quæ dictâſtis, ut exardeat cor, & ſe devotiùs conſecret: *Dion.* Prudens conſilium eſt, & bona ratio. *Ruſt.* Sic incipis: *Sancta*

Maria, Mater Dei, & Virgo! verba pondus, & sensum gravissimum habent. *Dion.* Quidquid de Maria magnificum diximus tibi, hac synopsi includitur, summa Sanctitas, qua splendet, *Sancta Maria*, summa Dignitas, qua eminet, *Mater Dei*, summa Puritas, qua gaudet, *& Virgo*. *Lisb.* Sic est: hæc tria omnia in memoriam revocant, quibus ad amandam Virginem me incitâstis. *Rust.* Repetere juverit. *Sancta Maria!* Sanctitas, vir magne, duo complectitur, *copiam* virtutum, & *excellentiam*. Cùm de copia virtutum Mariæ diximus, jussimus te Cælum aspicere, & numerare stellas, si posses: meministi? *Lisb.* Et jucundus aspectus fuit, quia quocunque vertebam oculos in vitam Virginis descriptam in Evangelio, innúbe cælum apparuit, & luminibus *sine numero* splendens. *Dion.* Sed numerum *excellentia* vincit, cujus magnitudinem quatuor dimensiones efficiunt, ex quibus quanta sit Deiparæ sanctitas, concluſimus. *Lisb.* Recordor omnia, & primùm, dicebatis, tantò major est virtus, quantò major est *promptitudo voluntatis*, qua exercetur. *Dion.* Et quis promptior esse potuit præ Maria, quæ sola sine labe Originis, unde nobis tot virtutis obstacula sunt, felix concepta est. Deinde tantò major est virtus, quantò *gratior est Deo anima*, in qua recipitur. *Lisb.* Et quis alius fuit gratiâ Dei plenior, ac Maria? nullus utique Sanctorum fuit, imò nec simul omnes: nam quid denique omnes sunt, nisi servi Dei, ipsa autem Mater est. *Dion.* Postea tantò major est virtus, quantò *sublimior finis*, propter quem exercetur. *Lisb.* Ah Maria, sola, sola ipsa, quidquid egit, nunquam distractè, nunquam ex impetu, nunquam ex naturæ impulsu, nunquam ex inferioris virtutis motu egit, omnia ad sublimissimæ charitatis exercitium direxit. *Dion.* Denique tantò major est virtus, quantô *frequentiùs* agit. *Lisb.* Et quis actus virtutum potuit magis multiplicare, quàm Maria, quæ sola etiam dormiens rationis usu non caruit, & nullum motum pium accepit, cui non tota virium intensione collaborâsset. O sancta, ô sanctissima

ma anima, cujus *memoria* semper innatavit suavissimo mari Divinitatis! cujus *intellectus* semper habitavit in lumine clarissimo summorum Mysteriorum! cujus *voluntas* semper arctissimè adhæsit castis amplexibus Sponsi Divini! cujus *animus* semper serenus, noctem tristitiæ, intemperiem iræ, nubila cupiditatum, turbines timorum semper ignoravit! *Rust.* Nempe sic decuit. Palatium Virgo fuit, quod exstruxit Artifex *Sapientissimus*, & infinitè *dives*, & exstruxit *pro se*, credíne potest, quòd pepercerit sumptibus? *Lisb.* Vis dicere, cui de gratiæ magnitudine, qualem de Maria prædicatis, aliquod dubium est, illum nescire nempe, quantam Virginis dignitatem hæc verba efferant: *Mater Dei. Dion.* Dignitas est, quam admirari præstat, quàm laudare. Relativa sunt Mater, & Filius: igitur quàm parum explicare possum, quid sit esse Deum, tam parum possum dicere, quid sit esse *Matrem Dei.* Neque tamen, ô Lisbi, (dicere ausim,) neque tamen hic titulus est, quo illa maximè compellari gaudet, nisi tertium addas, *& Virgo:* hoc illi nomen placet, quia Virgo Virginum est, *Virgo prudentissima* quæ cùm Maternitatem recusaret, ut servaret virginitatem, àdmirabili prodigiô & hanc servavit, & illam obtinuit: *Virgo veneranda*, quia tantæ verecundiæ, ut vel cum Angelo loqui metueret: *Virgo prædicanda*, quippe tantæ cautelæ, ut, quanquam confirmata esset in gratia, tamen ita custodiret sensus, & pericula fugeret, ac si fomite non careret: *Virgo potens*, quia, cùm vixit in terris, solo aspectu, cùm regnat in cælis, solo nomine Asmodæum fugat: *Virgo Clemens*, quia tenerè compatiens miseris, qui in cænum prolapsi sunt, modò opem implorent, & surgere satagant: *Virgo fidelis*, deserens neminem, nisi à quo prior deseritur. *Lisb.* O Superi! quàm dulce pabulum mentis vel in uno verbo offertur. *Visb.* Pater! *Lisb.* Iterùm turbas? non sum Pater Filii, qui hanc Matrem non colit. *Visb.* Aliud volo. Nunc sape saltem, & hanc imaginem conde: jam cum satellitio propinquus Haraldus ad-

est, ad tribunal rapturus hostes Deorum: aut trade, aut simul trahent. *Lisb.* Bonus es nuntius, simul ibimus. Sed properandum Sacramentum est, quo me Virgini voveam, ut fortior in prælium eam. *Dion.* Accede igitur, ecce Mater tua! *Lisb.* Domina mea! *Rust.* Accipe ardentem cereum, Symbolum amantis animi! *Lisb.* O Maria, tu scis, quibus incendiis hoc pectus æstuet, ut te videam jam non in imagine, sed vivam, immortalem, glorioſam! Magna Domina, quantô beneficiô devincior tibi, cùm in servum accipis misellum hominem. *Visb.* Ah! Pater, Haraldus adest! *Lisb.* Heu! pudet servisse hactenus profanis gentium simulacris, servisse concupiscentiis pudet. *Dion.* Adeste Angeli, ad hoc spectaculum! propinqua Visbi, disce, quod docet Pater. *Visb.* Metus, & dolor discerpunt cor: meus non sum! *Lisb.* Nunc, nunc unum adoro Dominum, tuum, ô Virgo, Filium, unam veneror Dominam, te, te unam! tuum me servum perpetuò gloriabor. Testis hæc sit syngrapha, testes Cælites, testis cordis arbiter Deus, testis sanguis, quem jam profusum eo. *Dion.* Rumpe costas pectus, & spatium concede gaudio, quod mentem obruit. *Visb.* Heu! jam ingressus est miles. *Lisb.* Obvius venio: Virgo juva. *Dion, Rust.* Eamus, & moriamur!

SCENA II.

Personæ omnes.

Haraldus. State hìc. * *Lisb.* Amice salve. *Har.* Amicus non est Haraldo, quisquis est hostis Deorum. Præsidis imperium fero acerbum, & grave. Aut tuo quoque calculo hos damnes seductores, necesse est, aut damnas te. Satellites in vestibulo stant. *Lisb.* Lubens trado me. Christianus nihil, nisi peccatum, timet. *Dion.* Det tibi Dominus vitam æternam Haralde,

* *Ad Satellites.*

ralde, pro nuntio tam beato. *Ruſt.* Hæc eſt dies, quam fecit Dominus! *Lisb.* Dies, qua videbimus Dominum, & Dominam à dextris ejus! fili! tibi hoc ſacellum commendo: cave, mutes, quod ſtatuit Pater. Primum in Gallia dicatum eſt *Virgini Parenti*, alterum poſt illud, quod Majores noſtri dicaverunt *Virgini Parituræ*. *Dion.* Felicibus eſt dicatum auſpiciis: nam ſic mihi præſcius animus loquitur: Huic Fundamento inædificabitur Regnum Chriſtianiſſimum, & Studioſiſſimum honoris Mariani. *Ruſt.* Cadentibus nobis tu adversùs hoſtes defendes te, & portæ inferi non prævalebunt! *Lisb.* Sic triumphas! ſic magnificas nomen tuum! hac ſpe jam felix ad palmam eo. Visbi, non me ſequeris? *Visb.* Ah! *Lisb.* Inutilis gemitus eſt. Video, nondum es fortis ſatis: eris autem, ſi poſthac pro Patre hanc Matrem ames. Ama, & vale. *Har.* Per ſtygem, delibera, quid agas, Lisbi! *Lisb.* Quid moras injicis? in cælum propero. *Dion. Ruſt.* In cælum! *Visb.* Sic abiit Parens! *Har.* Mira Feſtinatio fuit. *Visb.* Miſer ſum! *Har.* Ceſſa, nihil gravius patietur Pater: cùm procul apparet mortis larva, etiam pueri rident: propinqua vel viros terrefacit. *Visb.* At non Chriſtianos, qui nihil, præter peccatum timent. Heu! video perſiſtet pertinax Pater. *Har.* Hoc ne permittant, exorandi ſunt Dii. *Flor.* (*) Vah! magnum Deum, de quo tantillus ſupereſt cinis! *Har.* Quid tu hìc, puer? *Flor.* Herum volui. *Visb.* Jam ulciſcuntur in Patre Dii Sacrilegam, quam feciſti, injuriam ſceleſtus Flagrio! inter lictores Lisbius gemit. *Flor.* Et hæc ultio Deorum eſt? En (*).... hoc ſunt veſtri Dii! ego ad herum propero, in vincula, in necem, in cælum, in cælum! *Har.* Ut te Styx atra glutiat infamis puer! combuſti Mercurii effudit cinerem ſcelus! hoc audent pueri: & miraris, iratos huic domui ſævire Deos! Eja! Si Patrem amas, placa offenſa Numina! par pari refer! hanc iconem lacera, everte aram! *Visb.* Haralde, age, quod tibi videtur. Me intus cupido urit, videndi, quid Patri fiat.

SCE-

(*) *Prodit cum cineribus Mercurii cremati.* (*) *Diffiat cine...*

SCENA III.

Haraldus. Florillus.

Haraldus. Agat, quod agit Lisbius: pereunte illo vivet Haraldus felix. Hic dies triumphi mei! Eja! aude Haralde aliquid, quod laudent Dii! Superstitiosum Altare ruat, & conscissa imago cremato parentet Mercurio. Sic decet. (*) Quid hoc Schediasma vult? *Sancta MARIA, Mater DEI, & Virgo,* Lisbii hæc manus est, hoc Sigillum. *Tuus vivam, & moriar tuus! .. me totum transcribo tibi ... & totus mundus diligat vos O JESU, O MARIA, amores mei! ... mancipium devotum ex asse, Lisbius.* Profectò fervuit vir: & quid sic rapuit? ... Modesta est facies, nihil leve ... in fronte Majestas sedet, sine superbia .. in genis decor, sine protervia ... in labiis rubor, sine petulantia ... nihil elatum in superciliis ... & oculi spirant Divinum aliquid ... verè vultus amabilis est. Deam mihi aliquam videre videor: quin sentio intus flammarum aliquid, & quod insolitum est, sine fœtore: purus se amor movet: non satior aspectu ... quid agis imbellis anime! .. rapior penitus! .. prô Dii! totus evanuit furor! num ego Haraldus sum vindex Deorum! .. vinco me! ulciscor Deos! ruat ara, ruat! *Flor.* O JESU solatium meum! quis mihi det mori pro te ad heri exemplum mei! *Har.* Quid audio? occisum jam esse Lisbium, ais puer? *Flor.* Felix obiit: ego hoc à moriente spolium vindicavi mihi. *Har.* Ergò in superstitione pertinax hæsit? *Flor.* Impium edictum Cæsaris rursus, ut approbaret, ostendit Præses, quod ille indignans sceleri laceravit protinus, omnes publicè Deos execrans, unúmque se adorare Christum professus. Fremuit barbarus, & sine mora abripi jussit, ac capite plecti. *Har.* Sic meruit rebellis Diis, & Cæsari. Quid autem advenis? *For.* Ah! jam & ipsi trahuntur ad necem: solus ego in-

(*) *Reperit formulam, & contemplatur imaginem per intervalla,*

infelix mori prohibeor. Jo! Haralde, tu mihi hanc gratiam fac: vindica crematum à me Mercurium, occide me! *Har.* Sentis tandem ultores Deos imprudens puer! meruisti mortem: sed vitæ gratiam facio, si facinus detestandum expias facinore melior. Age, hanc aram dirue, Iconem crema. *Flor.* Crudelis, impie! an ego vitæ gratiam petii? detestor Deos! Christum amplector! amo MARIAM! mori, mori, hoc votum est meum. *Har.* Audacule! si adeò mori cupis, cur ex arena fugisti? *Flor.* Injuriam facis: non fugi. Redire huc Dionysius jussit, ut his armis Sacellum contra Haraldum defenderem. *Har.* Insultat puer. Intelligo: moram increpatis & lentam vindictam, O mea Numina! Tandem obedio: ruat ara, ruat! *Flor.* Me vivo, plus ultra non feres pedem! *Har.* Vah! .. sed quid ambigo? Spectate Dii, adeste furiæ, mactabo vobis hoc frustum pueri. *Flor.* Cervicem porrigo: Accede! feri!

SCENA IV.

Visbius. Haraldus. Florillus.

Visbius. O prodigia! prodigia! .. heu! quid ferrum micat! *Har.* Victimam mactabo stygi. *Visb.* Siste, aut in me verte, sum Christianus! Florille surge, me feri Haralde, sum Christianus! *Har.* Fulmina Jupiter, quam vocem audio! *Visb.* Prodigia, Haralde, vidi, quæ si vidisses tu, fores, quod ego sum. *Flor.* Nempe triumphat Christus! *Har.* Narra tu. *Visb.* Tua Soror Larcia, Mater mea, obstupesce admirabilem eventum rerum! *Har.* Nempe immota adstitit supplicio viri? *Visb.* Occisa est. *Har.* Occisa Soror? *Visb.* Et Christiana! *Har.* Mentire aliud, hoc non credo. *Visb.* Occisa, quàm verè vivo, & Christiana. *Flor.* O stupenda virtus Christi! *Har.* Non credo. *Visb.* Audi saltem. Patris & trium advenarum morti insultans adstabat mulier, cùm inauditô prodigiô se repentè mutavit.

tavit. Dionysii capite plexi corpus nempe se attonitis omnibus erexit in pedes, decussum caput levavit solo, & per 40. passus deferens, in sinum Paulæ viduæ posuit. Dum nos stupemus, repentè Mater jam impos sui, Christiana sum! clamat, & in mediam lictorum turmam prosilit, à quibus, ne plures traheret, jussu furentis Præsidis necata, secuta est Patrem, post breve certamen æternùm felix! *Flor.* O cælum, & cur hanc sortem mihi invides? *Har.* Quæ hæc sunt monstra? *Visb.* Opera sunt magni DEI, quem ista Virgo peperit. Haralde, ades! ad istam aram aut me occide, aut mecum magnæ Dominæ, ejúsque filio æternum servitium jura: sum Christianus! *Har.* Quò trahor!.. sacrilege Chalybs peri! magnus est Christianorum Deus, magna DEI Mater! stratum, Virgo, Haraldum vide, & immania deprecantem scelera! heu! pudet diutius ante oculos tuos morari! *Visb.* Gloriosa Domina, imus & nos, & moriemur pro te. *Flor.* Imus audacter: *Christianus nihil, nisi peccatum, timet.*

ME-

MEDITATIO II.

VERÆ DEVOTIONIS SIGNA.

ARGUMENTUM.

POst considerata MARIANÆ Devotionis *Incitamenta* ordo postulat, ut *Signa* contemplemur, ex quibus *vera* Devotio *à falsa* discernitur, ne fortè idem nos pernicioſus error corripiat, quo passim credulum vulgus decipitur, *damnari non posse, quisquis Deiparæ quomodocunque devotus sit.* Vir Sapiens si fortè transilire torrentem, & in alterum littus transferre se cupit, baculum, quo fulcire se cogitat, diligenter priùs examinat, firmúsne, ac solidus, an fragilis, & arundineus sit. Hoc est, quod hodie agimus, atque ne longè abeamus, sicut *Incitamenta* Devotionis ex Formula Mariana eruimus, sic in eâdem Ejus *Signa* inquirimus, spe bona freti, fore, ut *votiva oratio* ita expensa, in orantium animis motus excitet solatii, fructuúmque magis feraces, quàm si obiter recitetur. Porro duæ ibi *veræ Devotionis* proprietates leguntur, *Constantia*, & *Puritas*. Constantiam promittimus, cùm *nunquam nos derelicturos* Mariam, & nempe in Ipsius cultu perduraturos esse spondemus: Puritas *ad intentionem* pertinet, qua Cultum suscipimus, nempe *hoc fine*, ut tandem *finem accipiat peccatum*, & aboleatur licentia *dicendi, faciendi*, ac *permittendi*, quod prohibet Deus, & Virgo abominatur. En lapis Lydius! applicemus nostri cordis affectum, probemus, an sit, qualis à Maria probatur.

In ſancto Stephano Primo Hungariæ Rege talis fuit. Ille poſt ereptum ſibi Emericum Filium, Regnum univerſum B.mæ Virgini conſecravit, Ipſámque *Reginam* eſſe voluit, *ſe Vicarium*, qui non niſi *ad mentem Dominæ* regeret: Neque quievit, donec cum idololatria, omnem vitiorum licentiam ex tota ditione proſcripſit, & ſubditos ſuos Deiparæ tributarios fecit. *Ita annales Hungariæ.* Exemplum noſtra imitatione eſt dignum, quem proinde in finem præſentis Meditationis erit

Materia. Regni Hungarici in Regnum Marianum converſio.

Puncta duo: Primum, Marianæ Devotionis pia ſuſceptio.
Secundum, Marianæ Devotionis generoſa executio.

Fructus. Rigidum noſtræ Devotionis Examen ex Signis expreſſis in Formula.

Propoſitum. Decernamus, non eſſe contenti Devotione *Politica*, quæ in bonis verbis, & geſtibus affectatis conſiſtit; *Religioſæ* ſtudeamus, quæ *Cor* jungit ori, ac operi. *In ſpecie* ſtatuamus, *certa* Devotionis exercitia *conſtanter* adhibere, *hac intentione*, non tam ut *avertamus pœnas*, quas meremur, quàm ut aboleamus *culpam*, cui magis ſubjecti ſumus, aut obtineamus virtutem, qua magis indigemus. Hæc *Intentio* Devotionem Marianam *inter ſigna Prædeſtinationis* reponit: ſine hac, exiguam laudem, ſæpe etiam reprehenſionem meretur.

PERSONÆ.

S. Stephanus Rex.
Aſtricus Epiſcopus Colocenſis.
Ludolphus Legatus Conradi Cæſaris.
Moradinus Legatus Idololatrarum.
Theobaldus S. Stephani Camerarius.

PRO-

PROLOGUS.

Mariophilus docetur veram Devotionem à ſuſpecta diſcernere.

Mariophilus. Genius Marianus. Tres Cupidines.

Exhibetur delubrum, & in eo Arca, figura B. V. *cum idolo Dagonis repoſita.*
Mariophilus ſcribit Formulam.

Mario. Scribens. *OBſecro te igitur, ſuſcipe me!*
Cupido 1.us. Mariophile! Mariophile!
Marioph. Nondum quieſcitis
Cupidines improbi!
Quoties monui!... *ſuſcipe me!*
Cupido 2.us. Nihil jam turbabimus,
Cupido 3.us En! ego collectas ex Roſariis
Corollas huc fero:
Cup. 1. Ego ſcapularia ornamenta appendo,
Cup. 2. Ego odoris varii thymiama accendo.
Marioph. Sic laudo vos, ſic placetis,
Sic agitis, quod debetis.
Adſis mihi in actionibus,
Et præcipuè, quod oro unicè,
In hora mortis, *Amen.*
Cup. 1. Profectò ut tibi faveat, Deiparam obligas.
Cup. 2. Nam quid ultrà,
Quod non feciſti, facere poteras?
Marioph. * Bonaventuram hunc meum legite:
Intelligetis,
Quantum meæ pretium ſit operæ. * *Legit.*
Cup. 3. * Superi! quàm jucunda ſe offert ſententia!
Sicut, ô Beatiſſima, omnis à te averſus, & à te deſpectus,

Neceſſe eſt, ut intereat:
Ita omnis ad te converſus, & à te reſpectus
Impoſſibile eſt, ut pereat.

Omnes tres. Jo! Jo! *Beatus es! Prædeſtinatus es!*
Eſt certa res!

Marioph. Sic puto: perire me, eſt impoſſibile.

Aria.

1.

Virgo, Mater, Domina,
Patrona, Advocata,
Sunt grata, ſunt dulciſſima
Mariæ prædicata:
Per iſta ego nomina
Ad aram ſupplico:
Non vana eſt fiducia,
Quam mecum affero:
Beatus ſum!
Prædeſtinatus ſum!

2.

Diffidant ſibi alii,
Dum vivo, ego ſpero:
Nec enim nudum frigidi
Sodalîs nomen fero.
Certè, nî *Feſtum tituli*
Tollat oblivio,
Hanc Formulam Homagii
Quot annis renovo.
Beatus ſum!
Prædeſtinatus ſum!

Tres Cupid. *Beatus es! Prædeſtinatus es!*
Eſt certa res.

Marioph. Nullum eſt mihi dubium.
Jam, dum abeo in Oratorium,
Vos hìc ſubſiſtite:
Gratior Virgini venio, ſine comite.

Cupido 1. Et quàm diu durabit Devotio?

*Marioph.** Hora eſt *undecima*: * *Inſpicit Horologium.*
Sub Meridiem habebitis reducem.

Cupido 2. Et deinde iterum
In antiquam ſilvam exibimus?

Marioph. Deinde iterum, quod lubebit, licebit.

Cupido 3. Optima propoſitio. Vade, bonîs avibùs! ...

Ge.

Ge.Marian. *Quorsum ita properè? * *Euntem revocans.*
Marioph. O salve bone Genie!
Fructum habuit Prima Meditatio.
Marianæ Devotionis *Incitamenta*
Vehementer accenderunt fervorem,
Qui urget, ut *citiùs solitò*
A me fiat Formulæ Renovatio.
Gen. Mar. Festina lentè.
Non omne, quòd splendet, est aurum,
Et, quem ex gemmis adulterinis collegisti,
Stultè tibi gratularis thesaurum.
Audivi jactantiam:
Beatus sum! Prædestinatus sum!
Marioph. Quam inculcâsti, Devotio erga Deiparam,
Hanc peperit fiduciam.
Gen. Mar. Fiduciam approbo, si *vera* est Devotio.
Sed vide, cui fidas, & devotionem examina,
Neque propterea te devotum existima,
Quòd interdum dicas: *Domina! Domina!*

Aria.

Devotio
Amica vitio,
Devotio,
Qua Virgo quidem colitur,
Sed Dæmon non offenditur,
Est arbor fructu vacua,
Cadaver sine anima,
Lucerna sine oleo,
Vagina sine gladio:
Non est Devotio.

2.

Ut verum te Deiparæ
Demonſtres Filium,
Eja! infenſum Satanæ
Oſtende Spiritum!
Qui ludit cum ſerpente,
Quem Virgo conterit,
Ex alia Parente
Se natum prodidit.

Marioph. Intelligo,
Dagonis cum Arca offendit te compoſitio.
Gen. Mar. Jam, cùm ſcriberes Formulam,
Debebas intelligere,
Et idolum dejicere,
Si quidem, ut grata Mariæ tua eſſet devotio,
Volebas efficere.
Spondes, *nihil te unquam contra illam dicturum,*
Nihil facturum, aut permiſſurum,
Et ſinis domi tuæ dominari Cupidines:
Hoc ſi eſt Mariam colere,
Quid erit illudere?
Marioph. Igitur doce me, quæ ſit *vera Devotio!*
Gen. Mar. Duo *Signa* ſunt, *duratio*, & *intentio.*
Refert, *quo fine*, & *quàm diu* devotionem exerceas:
Quod, ut perfectiùs capias,
In exemplo meditaberis Regio,
Et erit hæc Meditatio
Marianæ Formulæ Explicatio.
Marioph. Totum animum applico tuo Conſilio.

Aria.

Hem! novum Sacramentum!
Duratio, Intentio
Sunt duplex Elementum,
Ex quibus fit *Devotio,*
Et habet alimentum.
Hæc veritas
Ut intimas
Medullas penetret,
Maria adjuvet!

MEDITATIONIS II.
DE
SIGNIS VERÆ DEVOTIONIS
PUNCTUM I.
Marianæ Devotionis pia susceptio.

SCENA I.

Stephanus Rex. Astricus Episcopus. Theobaldus Camerarius.

Theobaldus. O quàm gratus venires, Astrice, si adhuc Emericus viveret: nunc tentabo quidem, dubito tamen, an ad alloquium admissurus sit Princeps: ad tumbam Filii jam triduum solitarius gemit, & nescio, quæ consilia secum agitat. *Astr.* Reverentia, qua Summo Pontifici afficitur Stephanus, aperiet aditum. Ut primùm audierit Astrici nomen, nihil dubita, loqui volet: & si loquetur, Theobalde, mœrore abstersо, adhuc hodie, nisi fallor, se restituet suis, nam tu hoc scito: felicissima

mihi legatio fuit, ita, ut nisi ad fines Hungariæ de tristi morte Principis Filii, unicíque hæredis funestus rumor aures afflixisset, non ita rediissem inglorius: excipi magnificè, atque inter applaudentis Aulæ lætas aggratulationes introduci debuissem. Nunc, postquam sic placuit Deo affligere servum suum, modestè ingredi decet, ut paulatim disponatur animus, nec repentè ab extremo luctu in summum se gaudium transferat. *Theob.* Credis te Mysteria loqui: falleris autem, nam de tuæ legationis argumento nos pridem edocti sumus. Rem Ludolphus garrivit Cæsaris Conradi Legatus. Nempe Titulum & insignia Regia jussus es â Pontifice petere: sed hoc scito, quòd acceptare Conradus vetet, bellum & cladem minitans, continuóque infesta signa illaturus Pannoniæ, cùm Stephanum vocari Regem audierit. *Astr.* Audivi, sed nihil à Cæsare metuo nobis. Pacificè transigi negotium poterit, aut si æquitati aures occluserit Cæsar, an fungi sumus, qui impunè patiamur nos proteri? *Theob.* Ut simus fortes, contra duos nos non sufficimus. *Astr.* Contra duos! quis enim est alter hostis? *Theob.* Ipsi Hungari. Nam dum abes, Astrice, promulgari Princeps edictum jussit, quo quidquid supereset idolorum in Hungaria universa, dejici præcipit, & quicunque subditorum Sacra Catholica suscipere nollet, migrare aliò cogitur, Patriámque deserere. Res proximè à tumultu absunt: quidam ex illis, quos ad Evangelium prædicandum alienis à fide Hungaris Princeps misit, occisi, cæteri in perpetuo mortis periculo sunt, & obsidum locò, donec ad suos responsum, quod optant, referat Moradinus hoc fine missus, ut Religionis libertatem contumaciter urgeat. Hæ turbæ, quantùm Cæsaris consilio faveant, satis vides. *Astr.* Video, sed bonæ causæ assistent Superi! vivat Stephanus Primus Hungariæ Rex! fac tandem, quæso, ut audiar. *Theob.* Ingredior. *Astr.* Tuâ interest, Deus Magne, & tuâ, ô Virgo Mater, ut Stephanus Rex sit, & felix sit! fidelis est, nec honorem alio

fine

fine ambit, quàm propter honorem veſtrum: juvate! *Theob.* Orat Princeps, Aſtrice, & totus immerſus Deo eſt: interpellare non auſim. Proſpice. *Aſtr.* O Spectaculum dignum Angelis! *Steph.* (*) Dediſti Filium Deus: ſis benedictus! eripuiſti Filium: ſis iterum benedictus! Dominus es: quod bonum eſt in oculis tuis, fac cum ſervo tuo! *Aſtr.* Heroica oratio! *Steph.* Virgo Domina! fudi preces tibi pro vita Emerici mei! mortuus eſt! non audîſti! *Non tamen ideò derelinquam te*, non ideò minùs colam. Quid mihi, quid filio magìs proſit, tu meliùs nôſti: Et *quod melius erat*, factum eſt, agente te: ità ſpero! imò ſcio, quamvis non ſentio. Rurſum erro: ſentio, ſentio, prodeſſe mihi mortem filii: nam ô quis mihi animi ſenſus hoc triduo fuit, quàm ſublimis, quàm generoſus, quàm ſuavis, etiam in medio luctu!.. *Aſtr.* Credo equidem: vix enim eſt alia ſchola, ex qua homo ſapientior prodeat, quàm ex tumba. *Steph.* Et ſtatutum eſt exequi illa ſenſa. *Theob.* Quæ illa? (**) hem vocor. *Steph.* Eja! Officio Patris datum ſatìs eſt: redire oportet ad Officium Principis, Emerice vale! beatus es, quia mortuus, antequam Rex. Reſpondendum tibi *pro te* fuit in Divino Judicio, *pro aliis* nihil: at mihi Judicium duriſſimum fiet, cui luenda erunt primùm peccata Stephani, deinde inſuper peccata Principis! En! hæc eſt prærogativa dignitatis, quam per ferrum, & ignem ambimus. Theobalde, jam funus tumulo inferri patior: moneantur, ad quos pertinet, ut faciant hodie. *Theob.* Triſte imperium dolentes exequimur. *Steph.* Addo lætius. Poſt funebria reddatur cultus aulæ priſtinus, & finis luctui, initium novis gaudiis fiat. *Theob.* Tam citò, Princeps? *Steph.* Hodie etiam. *Theob.* Poſt filium vixdum ſepultum? *Steph.* Sic volo. *Theob.* Obedio. Nempe jam de adventu Aſtrici certior, tale imperium facis. Ad fores adeſt, & petit admitti. *Steph* Aſtricus? *Theob.* Ipſe, jam Româ redux. *Steph.* Opportuniſſimus adeſt: ingrediatur. Tu fac imperata.

(*) Coram tumba defuncti filii. (**) Nola ſonat.

SCENA II.

Stephanus. Aſtricus.

Aſtricus. Vive Rex! *Steph.* In tumulum abiit dimidium mei; & tu Regem me vis? *Aſtr.* Sic ludit nobiſcum Deus: ſecunda adverſis miſcet, ne deficiamus, adverſa ſecundis, ne extollamur. Quanquam quid intempeſtivo gemitu ſortem beatam plangimus, qua Filius & Pater gaudent? Rex eſt Filius jam ante te coronatus in cælis: Rex es tu, hoc jure, & titulo à Vicario Chriſti donatus in terris. Teſtem porrigo Sanctiſſimi manum, & primus adoro Regem. *Steph.* Oſculor annulum Piſcatoris. Tu mihi conſide: de negotio tam gravi, quale eſt Officium Regis, non eſt aptior conſilio locus, quàm coram mortuo. Conſide. (*) *Aſtr.* (**) O Princeps Regie! num ego te Romam abiens, talem credidiſſem aſpecturum in reditu! ô infelix Hungaria! ô Regni jactura gravis! raptus eſt ante tempus Filius optimi Regis, & Filius unicus, & Filius talis! Ah! cælum, quod peccavimus tam grande peccatum, ut tantâ nos pœnâ plecteres! *Steph.* Vide, Pater, ne contradicas tibi: nam antea gratulatus es Filio. *Aſtr.* Et iterum gratulor, ſed Hungaros miſeror, quorum Deus contumaciam talî pœnâ caſtigat. Si Emericus aut Filius impii Principis, aut ipſe Princeps impius fuiſſet, orâſſem Deum primus, ut tolleret: nunc ploro ſpes ſummas in herba periiſſe. *Steph.* Sic placuit Deo, cui blandienti oſculanda eſt manus, ferienti inclinandum caput, reverentî ſilentiô honoranda diſpoſitio, & cogitandum: *Bona eſt, quoniam tu feciſti, qui totus es bonus.* Sed conſide, Pater, nam mihi de præteritis jam nulla cogitatio eſt, quia mutari non poſſunt: de futuris delibero. Conſide. *Aſtr.* Deliberas, Rex? quæ materia? quis finis? *Steph.* Titulum & jus Regis mihi Pontifex annuit: optimus Pater eſt. Sed ego hanc digni-

(*) Legit Bullam. (**) Coram tumba.

dignitatis eminentiam hac spe petebam, ut transferrem in Filium: Filium Deus rapuit: igitur jam delibero, an acceptanda sit gratia. Quid sentis tu? *Astr.* Princeps, ego suspicio animum ab ambitione vanitatis tam alienum. *Steph.* Nempe cur ambiam? nihil mihi titulus, nihil nova dignitas proderit, cùm moriendum erit. Tum enim, mi Pater, non vestitus purpurâ, non sceptrô, & coronâ conspicuus, non Aulicorum turbâ gloriosè circumdatus Rex, sed solus, nudus, tremens Stephanus ad tribunal Judicis stabit. *Astr.* Saluberrima cogitatio est. *Steph.* Jam tu hoc scito, Conradum Cæsarem novos honores conferri mihi, invito se, pacatè nequaquam ferre. *Astr.* Scio, legatum in aula esse, qui minas jactet. *Steph.* Nisi ultrò cedo, veniemus ad arma adeò. *Astr.* Justum est bellum, quo jus tueris, quod in te Papa contulit, & Henricus probavit: Antecessoris nuper demortui solennem actum quo titulo irritum Conradus facit? *Steph.* Sit justum bellum, num ideò sanctum erit? aut num ego soli Justitiæ omnia, charitati nihil debeo? quam Cæsar infert, privata fere injuria est, quam ut vindicem, si ad arma provolo, quid ponis? victor redibo, an victus? si victus, unà cum titulo me, & meos perdo: si victor, tamen quanti ex meis suo mihi sanguine hanc palmam ement! ut cætera belli mala sileam, quibus, quos amo, ùt Pater, mei subditi affligentur, nec dicam aliquid de exactionibus, de vastatione, de incendiis, de gravi miseria, quæ innocentes premet: hoc unum, quòd videam, incruentam esse victoriam non posse, sufficit, ut malim cedere. Subditorum mihi tranquillitas charior est, quàm honor meus. *Astr.* O sensus animi verè Regii! *Steph.* Accedit, Astrice, quòd in armis plus periculi, quam spei sit, & ego insuper Religioni metuam malum pessimum, si contumaces Idololatræ habeant, à quo sustententur. Tot annorum labores, quos Christi, & Mariæ honoribus suscepi, una dies disperdet. Vides, cur si juri meo non cedo, Deum Judicem timeam. Nempe scio, bellum, si justum sit, non ideò

ſemper licitum eſſe, idémque, quod Juſtitia permittit, non rarò à charitate ſubditis debita, ſæpius etiam à Religione vetari. *Aſtr.* Seriò expendiſti omnia, Princeps: ſed opponent ſe Politici, & mala, quæ vel ſubditis, vel Religioni timenda ſunt, adſcribenda invaſori eſſe dicent, à te verò non inferri, ſed merè permitti: non putas, excuſationem ſufficere, ut abſolvat te Deus? *Steph.* Profectò non puto. Nam cur ego Princeps ſum? utique non modò, ut vel ſubditis, vel Religioni, quod abſit, nulla mala inferam, ſed etiam, ut, ſi qua imminent, cùm poſſum, impediam. *Aſtr.* Negabunt te poſſe ſine detrimento honoris, & cedere jure ſuo ex nutu alterius, confeſſionem eſſe infirmitatis. *Steph.* Patiatur honor meus, ne, qui potior eſt, honor Dei patiatur, & ſalus ſubditorum, propter quos ego Princeps ſum, non propter me. Deinde à quibus aliquid honor meus patietur, ſi cedo? à ſtolidis nempe, quorum qui Judicium metuit, ipſe caret Judiciô: nam Sapientes laudabunt prudentiam facti. Cùm enim Conrado cedo, verè me meo jure non abdico, ſed juris uſum ſuſpendo, & hoc propter prudentem metum mali majoris, quàm ſit ipſa jactura juris: quis ita agentem carpat, ſi capit? *Aſtr.* Et Chriſtianè, & Politicè ſapis, ô Princeps! *Steph.* Igitur deliberatum eſt ſatìs. Emerice, tu me ſic docuiſti ratiocinari: quando ero, ubi tu es modò, gaudebo decreviſſe, quod decrevi. At non hoc ſolum decretum eſt, Pater, Conrado cedere, ſed ipſo Principatu abdicabo me hodie, & quidquid poſſideo juris, digniori tranſcribam. *Aſtr.* Hìc verò, Princeps, quamdiu ſpiro, contrarium Aſtricum habes. Nam quæ ſit cauſa tam novi conſilii, & qui nos regat, quis dignior te? *Steph.* Cauſæ me movent graves, ſalus animæ, populi bonum, honor Dei. Tu perge modò, & infer Coronam huc, quam, ùt lego, mihi ſummus Dei Vicarius mittit. *Aſtr.* Ipſam etiam deſignas alteri? *Steph.* Videbis. Triſte triduum egi: hodie finis mœroris erit. *Aſtr.* Imò in triſtitiæ barathrum hodie totam Hungariam mergis. *Steph.* At-

qui

qui de hoc altero decreto meo, ne quidem, ut deliberetur, admittam: ita certus sum, omnibus gratum fore, qui verè me, & Rempublicam amant. Tu coronam modò.

SCENA III.

Astricus. Ludolphus. Moradimus. Theobaldus.

Astricus. Profectò quid jam faciendum sit mihi, planè ignorò. Theobalde, nunc intelligo, quid sibi duo imperia velint imposita tibi. *Theob.* Executioni utrumque dabitur, nisi posterius isti sufflaminent, nam utrique gravis est tua Præsentia. *Lud.* Coronam Regiam Româ attulisti, Pater, hoc scio, sed magno vestri Principis, & vestro malo. Timete Cæsarem. *Astr.* Cæsarem, Ludolphe, non timeo: aliud angit. *Mor.* Nempe nos metuis, quos ad avitæ Religionis mutationem adigit Stephanus? fac, ut cesset urgere, & sinat nos liberos esse: sic habebit fideles, nec erit, quod à Cæsare metuat: vitam & sanguinem immolabimus novo Regi. *Lud.* Gravis jactantia! Moradine, cum Cæsare, an pro Stephano pugnetis, parùm interest nostrâ: infestus exercitus in finibus vigilat, qui totam submerget Hungariam, priusquam vos de obice cogitetis, quem opponatis torrenti. At tu imprudens malè fungeris Legati Officiô in bonum tuorum: spe vana, & promissæ fidei fiducia credis Stephanum trahi in vestram sententiam posse? metu, vir bone, metu trahetur fortiùs, & si vos jungitis arma nobis, foris & intus pressus angustiis, velit, nolit, cogetur, quod vultis, agere. *Astr.* Superi boni! audióne Legatum Catholicum loqui? *Lud.* Pro jure mei Cæsaris loquor. *Astr.* Cum injuria tui Dei, neque, ùt opinor, ex mente Conradi, quem ego magis pium existimo, quàm ut per Legatum suum concitari subditos in Rebellionem velit adversùs legitimum Principem. Nempe Legationis bene obitæ gloriam aucu-

aucuparis: quibus id efficias modis, honestis, an sceleratis, parum es anxius, velut si unus tibi Deus sit Cæsar tuus, alius nullus, quem timeas, & à quo pendeas magis. Sic prudens es! *Lud.* Convitia Popæ audio! sic revereris Personæ Characterem, quam refero? *Astr.* Quam infamas, indignus, quem jura gentium tueantur, ac propè perduellii reus. Cave tibi! in potestate es, & in Aula Stephani non peccatur impunè, cùm Religioni fit malè, quæ mei Principis pupilla est, & tenerrimum sensum habet. *Lud.* Simus amici, Præsul! fervor pro causa Cæsaris si quid licentiùs protulit, benigna interpretatio excuset verbum. Hoc age tamen, si amas patriam, & qua polles auctoritate, suade Principi, ne Coronam imponat sibi præpropere nimis: potest obtineri consensus Cæsaris, si differri acceptatio potest. *Astr.* Proteus es. Cæterùm quid futurum sit, hæc dies docebit totum. *Mor.* Et quid sperandum est mihi? *Astr.* Interroga Principem: me alia vocant. *Theob.* Quod dixi, fit: Astrici severitas, & quæ audivi, suspiria Principis ad tumbam Filii, & finiendi luctûs, aulæque suo splendori restituendæ imperium tam repentinum, loquuntur ænigma aliquod, cui non sufficit quivis Oedipus. *Lud.* Mihi tamen necesse est, scire, quid fiat. *Mor.* Mihi etiam: propterea, priusquam Emerico funebria fiunt, & Scena mutetur, juvat nos Principi loqui. *Theob.* Nuntio. *Mor.* Fortè si nos audierit, in tempore mutabit Consilium. *Lud.* Spem omnem, quam fecerat mors Principis Filiii, Episcopi cum corona adventus ademit. Sic inglorius ad Cæsarem redeo, infecta re, cujus sine turbis componendæ fiduciam illi mea dexteritas fecit: infelix sum! *Mor.* Nihil jucundius mihi ominor. Nam ut aboleat decretum Rex, quod Princeps fecit, & coronâ donatus à vestro Sacrorum Antistite, permittat nobis sacris contrariis, ùt hactenus, sic porro uti, quæ prudens spes esse potest? interea hoc tamen, Ludolphe, scias, in partes Cæsaris nos non ituros. Stephanum, quanquam nostris infensum Diis, sic amamus, ut deserturi

ferturi Deos citiùs, quàm ipsum simus. *Lud.* Affectum laudo: sed aliud lingua retulit. *Mor.* Ad speciem aliud, nempe ut terrendo moverem, & intentatum relinquerem nihil, quod nobis Principem arctiùs colligaret. Certè si per incussum nostræ defectionis metum effeciſſem, ut liberum nobis Religionis Exercitium foret, esset amor in virum noster omninò singularis, & supra modum. *Lud.* Quo philtro autem sic in se animos rapit? *Mor.* Verbô habe: *est Patriæ Pater.* Charitas, qua sui oblitus, *in commune bonum suorum* totus impenditur, charitas facit, ut viciſſim nos *Ipsius bono* nostras facultates, obsequia, vires, sanguinem, vitam impendere, cùm erit opus, libenter velimus. *Lud.* Charitas nota est, qua se Princeps à Tyranno distinguit, qui subditos non ùt filios, sed ùt mancipia tractat. Sed hujus charitatis Argumenta quæ habetis à Stephano? *Mor.* Tres virtutes habemus, quas in Regibus jam olim exigebant Philosophi, & Regiæ charitatis filias appellârunt. Prima est *vigilantia*, qua providet, ut viri integri, & idonei Reipublicæ fungantur officiis, sedulóque attendit, ne quis Præfectorum per abusum potestatis malè habeat subditos: ita regit ipse, non regitur. Altera *Severitas* est, mixta *Clementiæ*. Qui contra Stephanum peccat, facilem veniam habet: Qui verò Reipublicæ nocuit, quisquis sit, impunis non est. Ita tranquillè sui quisque laboris fructibus fruitur. Tertia virtus *Magnificentia* est: Regios sumptus facit, sed inutiles nullos: quidquid est opum, aut Religioni servit in Templis, aut servatur necessitatibus publicis, aut in pauperes funditur: ita quidquid tribuimus, redit ad nos. Tigrides nos esse credat, qui putat, fieri posse, ut talem Dominum non amemus. *Lud.* Intelligo, vos felices, atque ita inanem esse Cæsaris mei spem, quam in vestris subsidiis posuit. *Mor.* Inanis est. Imò ego sic existimo, si, ùt huc usque, nostris Princeps postulatis diutiùs se opponet, cedemus nos, & quod jam major pars fecit, universa Romano Pontifici se submittet Hungaria, præcipuè postquam Principem tam charum

nobis, Regis dignitate ornavit. *Lud.* Id si fiat, video colligari animos in nexum nullo dissolubilem ferro. *Mor.* Et jam essent colligati, nisi plebs à Popis irritata quosdam ex Præconibus Evangelii vestri per imprudentem ferociam occidisset. Irritatus enim injuriâ Princeps (nam ipse viros miserat) emigrationem indici jussit pertinacibus in cultu Deorum. Hanc ego ut causam agerem, legatus adsum: nec tamen hoc urgeo multùm, ut revocetur edictum, modò, ne tentetur executio, impetrem. *Lud.* Nempe ut per moram mansuescant animi popularium, ac demum spontè in Principis beneplacitum eant. *Mor.* Sic est, amice, & ego vix parum adhuc à vobis absum. Ita, ex quo tempore hìc præsens propiùs inspexi Stephanum, me rapit Religio, quam quia profitetur Princeps tam Sanctus & Sapiens, non potest non sancta esse. *Theob.* Utrique loquetur Princeps. En adest.

SCENA IV.

Stephanus. Moradinus. Ludolphus.

Stephanus. (*) Tu cum Astrico redi. Amici, ambobus redire ad suos licet! Ludolphe, cedo juri, amore pacis, non ero Rex: hoc refer Cæsari. *Lud.* Vive Princeps Magne! ùt me Vox ista recreat! sic te, sic tuos amas, sic Conradus placatior, ultro assensum facilem in decus Coronæ dabit. *Steph.* Non expecto. Corona, quam misit Pontifex, jam à me alteri destinata est Capiti, cujus Juri non suaserim, ùt opponat se Cæsar, nisi suum interitum amet. *Lud.* Quod audio Consilium novum? *Mor.* Hoc verò à nobis absit, Princeps, ut vivo te, Regem alium patiantur Hungari imperare sibi! *Steph.* Patientur libenter imperium novum, ùt primùm audiverint imperantis nomen. *Lud.* Seriò, Princeps, cum titulo Regio etiamipso Principatu te abdicas? *Steph.* Ita hoc spectaculum movet. Emericum meum videtis: fingite, fuisse Principem, & imperâsse,

(*) Ad Theobaldum.

quid

quid ei jam sceptrum prodesset, & diadematis gloria? hem vanitas! in pulverem concidit hæc omnis pompa, & speciosa adulantium acclamatio denique trium verborum tristi epiphonemate clauditur: *Requiescat in pace!* *Lud.* Quidquid sit de hac Philosophia, Princeps: hoc crede mihi: Cæsar, qui, ut tu Regis Titulum tibi arroges, invito se, ferendum esse non putavit, multò minùs ut in alium transferas, tolerabit. *Mor.* Neque nos feremus. Aut Stephanus imperabit Hungaris, aut nemo. *Steph.* Stephanus imperavit, sed inobedientibus, & contumacibus: succedat, cui majorem habeatis reverentiam, & obediatis libentiùs. *Mor.* Ignosce, Princeps, dandum aliquid populo fuit enutrito in cultu Deorum: si pateris moram, obediemus tandem, & tuo nos dicabimus Deo. *Steph.* Quousque patiar? frangat pertinaciam manus potentior, quàm hæc est mea! ego diutiùs imperare hominibus nolo, qui submittere caput renuunt imperio Dei. *Lud.* Non est hoc Consilium, quo consulis tuis. Atrociùs exacerbatus Cæsar Regem novum, plùs quàm te, persequetur: bellum, clades, vastitas, interitus Hungariæ imminent. *Steph.* Minaciæ inanes! nihil mille Conradi possunt contra potentiam Majestatis, cui jurare Hungaros fidem velim. Ipsum populi, quem amo, bonum suasit, ut faciam, quod decrevi. Felices vos fieri cupio, mi Moradine! ut sitis, postremum hoc meum mandatum est: *Obedite, cui obedire vos jubeo!* obedietis? *Mor.* Si Emericus saltem, si alius de sanguine tuo succederet tibi, mitiùs ferri hoc Consilium posset: nunc, postquam ex te supersest nullus, etiam te nobis aufers? *Steph.* Dignior, quàm Emericus succedet: *obedite, cui obedire vos jubeo!* obedietis? *Mor.* Quid ab alieno sperabimus boni? aliud jube! *Steph.* *Obedite, cui obedire vos jubeo!* hoc jubeo, nihil aliud: obedietis? *Mor.* Si vis, scribam ad meos, & exquiram sententiam. Quanquam frustra scribam: sic amant te omnes, Princeps, ut vel ad successoris mentionem obturaturi sint aures, ne audiant nomen. *Steph.* Obediendo

amorem probent. *Lud.* Et de quo ego scribam? *Steph.* Cùm justa fuerint persoluta Filio, cui cesserim, nominabo. Ita, quid factum sit, referetis uterque suis: non teneo ultrà. *Lud.* Igitur convasabo. *Mor.* Et ego scribam.

SCENA V.

Stephanus. Astricus. Theobaldus.

Stephanus. Sic facite. Me juvat usque hinc, atque hinc oculos pascere. (*) En Mater! (**) En Filius! sustulisti mihi Filium Mater, Regni hæredem unicum! cur? num odisti nos? non puto: imò tu vis esse hæres mea, & Regina Hungariæ, cujus coronæ ne supereset rivalis tibi, transtulisti Filium in Regnum beatius: sic spero. *Astr.* Rex! *Steph.* Cessa nomen: huic debetur! *Astr.* Cui nempe? omitte, obsecro, triste consilium! tibi, non alteri, tibi Coronam fero. *Steph.* Absit! huic, inquam, huic debetur. *Astr.* Quem indigitas enim? *Steph.* MARIAM, Astrice, nomino: MARIA sit deinceps Regina Hungariæ, ego Vicarius! quid? hoc tibi triste consilium est? *Theob.* O pietas admiranda! *Astr.* Divinum consilium est, quod ego toto affectu complector. Sic felicem Hungariam facis! *Steph.* Nondum explicavi me satis. Coronam huc pone. *Theob.* Aurô, & gemmîs gravis ô quàm splendidè hoc caput cingeret! *Steph.* Ridiculus es. Magnificentiùs splendebit in capite, quod nulla posthac mors decalvabit. Verùm ùt bonus est Sanctus Pontifex, qui tantum honorem mihi! unde mereor! *Astr.* Zelus tuus meretur. Lacrymas non tenuit Papa, cùm ego, quanta pro Religione fecisses, narravi. Et postquam attentione summa audivit enumerantem sibi, quot Apostolicos viros in tuas Provincias miseris, quot monasteria fundaveris, quot templa immensis sumptibus ædificaveris, & magnificentiâ plùs quàm Regiâ ornave-

(*) Ad Iconem B. V. (**) Ad tumbam.

naveris, quot demum vitæ inculpatæ sanctissimis exemplis, ad fidei ac morum correctionem pertraxeris, quot alios per idonea decreta, & sapientissimas leges Deo lucratus sis, sui præ gaudio pæne impotens optimus Pater, hem! exclamavit, quanta bona præstare potest Princeps unus! & si plures Stephanos haberet Ecclesia, quanta foret! sit Rex! & ut sciat orbis, quàm sit Rex diversus ab aliis Regibus, qui suum tantùm Regnum dilatare desiderant, non, quod est Regnum Christi, appelletur *Rex Apostolicus*! *Steph.* Hic titulus, Pater, si verè sim talis, hic titulus solatium feret. Si me Magnum, si Potentissimum, si Augustum vocatis, quid mihi supereſt mortuo? Magno tumba, Potenti sepulchrum, Augusto pulvis. At si Apostolus sum, enimverò Magnus, Potens, Augustus æternùm ero. Huc usque parum fui, & titulus, quo me honorat Pontifex, votum fuit, ut sim, non encomium, quòd fuerim. Ero autem, non si Rex ero, sed si Reginæ Vicarius. Rex *ex sensu suo* imperat populo, Vicarius *ex sensu Regis*: hoc est, quod posthac agam. Nolo esse Rex: MARIA sit Regina Hungariæ! ego ùt Vice-Dominus nihil mihi posthac decernendum putabo, *nisi quod credidero, velle MARIAM, ut decernatur.* Fieríne|potest, ut hæc mens mea alicui meorum displiceat? *Theob.* Mens Sancta, mens Divina est! *Astr.* Sic ex Hungariæ Regno Regnum Marianum facis. O jucunda cogitatio! *Steph.* Si probas, Præsul, age, Regulas Mariani Regiminis scribe. Qua ratione Pontifex Vicarius Christi est, simili ego Vicarius MARIÆ ero. Tu mihi Marianæ voluntatis interpres esto: ego faxo, ut hæc voluntas Stephani adhuc hodie sit nota Budæ, & paulò pòst fiat universæ Hungariæ. I, scribe leges: postquam illatus tumulo Emericus ultimos honores receperit, novum Regimen auspicabor. Nunc solum sinite, Coronam ut Virgini liberiùs offeram. *Astr.* Igne tuo accendis me, Rex! eo, scribo.

SCENA VI.

Astricus. Theobaldus.

Theobaldus. Quòdsi hoc demum non est verè Devotum MARIÆ esse, nescio, quid insuper exigatis. *Astr.* Imò hoc utique satis est, sed quàm singulare in Stephano, tam rarum in aliis. Nos, mi Theobalde, videmur nobis heroës esse, quibus Virgo multas, & magnas gratias debeat, si fortè ad Ecclesiam MARIÆ sacram inviſimus, si aliquoties salutamus, si peregrinationem, si jejunium offerimus. Atqui ista Devotionis aliquando *signa*, non ipsa *Devotio* sunt. Devotio vera est *prompta voluntas exequendi, quod Deipara cupit*, & ex hac Regula examinari actus reliqui debent, qui *actus Devotionis* vocantur. Si *ex prompta illa voluntate procedunt*, vel saltem *ad illam disponunt*, merentur nomen: secùs, *signa sunt*, quæ significationem non habent. *Theob.* Exemplum Stephani clariùs docet, quid velis. *Astr.* Nempe hoc volo: sicut Stephanus *Regnum*, sic *quisque se* regere statuat *ex legibus Marianis*, hæc solida devotio est. *Theob.* Sed quas tu statuis leges? *Astr.* Selectas Regi dabo. Interim ego, Theobalde, & tu illustri exemplô Regis utamur in bonum nostrum, & cum illius Devotione nostram comparemus. Si enim nostra Devotio non est *Religiosa*, quæ *cor* jungit ori ac operi, si merè *Politica* est, quæ in quibusdam bonis verbis, & gestibus affectatis consistit, si denique actus illi, quibus Virginem veneramur, neque *signa* sunt prompti animi ad præstandum, quod Virgini placet, neque *media*, quibus *hoc fine* utimur, ut hæc promptitudo nascatur paulatim, non est, cur in nostra devotione nobis placeamus: umbra devotionis, & speciosa larva est, non devotio. *Theob.* Nimirum si cum Virgine agimus, quod solemus inter nos in Aulis agere, hoc improbas tu? *Astr.* Omnino hoc improbo. Alter alteri obviat, ecce tibi! componitur vultus ad lætitiam,

cor-

corpus ad reverentiam, os in sermonem mellifluum! O salve, clamatis, salve amice suavissime! ùt me recreat hic occursus! ùt gaudeo te valere! O si se offerret occasio, qua demonstrare possem, quo in te animo sim! hoc scio, neminem esse posse, qui te amet sinceriùs! *Servus* tibi sum ex asse *Devotus perpetuò*. *Theob.* Sic loquimur, & ipse habeo non paucos sic mihi devotos servos. Interim sæpe opus obsequio fuit, & nemo se movit: quin fuerunt ex iisdem aliqui, qui etiam occultis artibus machinabantur exitium. *Astr.* Exclamare hìc licet: *O benedicta lingua! O maledicta manus!* sed jam hoc interrogo: quanti æstimas tu ejusmodi bona verba? *Theob.* Nauci, flocci, nihili! *Astr.* Idem igitur de Virgine cogitemus: nostra illam, quæ vocamus, *complimenta* non fallunt: prudens est, & verè Devotum ab Hypocrita bene distinguit. Quanquam discrimen solidum jam ab ipso mundi exordio ipse Deus revelavit, quando serpenti maledicens dixit: *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem, semen tuum, & semen illius*, ut adeò non sit de progenie Virginis, qui non est *inimicus peccati*. Qui peccatum persequitur, idque non modò *in se*, sed & *in subditis suis*, atque hoc fine, *ut finem accipiat peccatum*, suis obsequiis Virginem orco terribilem sibi devincit in auxilium, hic verè *Devotus MARIÆ* vocetur, præcipuè si Devotionis suæ Exercitiis, præter hujus *intentionis* puritatem, etiam adjungat *constantiam*, qua probatur sinceritas. *Theob.* Quid igitur de illis sentis, qui *hoc fine* suscipiunt cultum Deiparæ, non ut obtineant gratiam, qua *culpam* fugiant, sed *hac fiduciâ*, quòd ope Virginis evasuri sint *pœnam?* *Astr.* Et adeò *hac intentione*, ut licentiùs peccent? Theobalde, isti idolum Dagon volunt cum Arca Dei componere. MARIA est *Refugium peccatorum*, sed non *Patrona scelerum*, & dicere: *Ora pro me, Virgo, ut vitam, quam ago, possim impunè agere, & postea sanctè mori*, est oratio temeraria, stulta, ac propè dixissem, blasphema. Nos, si sapimus, servemus in cultu Virginis *finem*

& *modum*, quem ſervat Stephanus. *Theob.* Libenter diſcam, & avidus videbo actum, qui mihi *ſolidæ Devotionis* exemplar ſit: nam hoc certum eſt mihi, niſi per MARIÆ gratiam, vix obtinebo à Deo gratiam, qua ſalvus fiam.

CHORUS.

Ex parabola de Virginibus fatuis oſtenditur, vanam eſſe ſalutis fiduciam, quæ in tenero erga B. V. affectu fundatur, & effectum non habet.

Virgines fatuæ, ſive animæ ſui incuriæ. *Janitor*, ſive Mors, quæ utriusque æternitatis portam aperit, & claudit.

Virgo 1. O Infortunium!
ô miſerrima miſeria!
Virgo 2. In quam præcipitavit nos
Imprudens ſecuritas,
Virgo 3. Et maledicta *pigritia*.

Exhibetur clauſum Sponſi Palatium, ad quod tres fatuæ plangunt.

Trio.

O tonitru tremendum!
O verbum horrendum,
Neſcio vos!
O ſi quis nos juvare,
Si ſponſum exorare
Pro nobis poterit,
Huc celer ſit,
Audiat nos!

Virgo

*Virgo 4.** Heu me! lampadem refero * *Prodit 4ta, & 5ta.*
Vacuam oleo!
Dormiunt omnes: mercatorem non invenio,
Vel unicam qui venderet unciam.
Virgo 5. Nempe nox est: cùm erat dies, debuimus emere,
Si noluimus in quærendo! oleo operam perdere.
Virgo 4. O si Sponsus saltem adhuc per horam
Faceret moram!
Virgo 1. Vota sunt inania, sorores charissimæ:
Jam enim Sponsus intravit,
Et cum illo Sociæ reliquæ,
Et serâ adamántinâ *clausa est Janua.*
Virgo 4. Malum grave, calamitas maxima!
Sed pulsate: & fortè aperietur!
Virgo 2. Pulsavimus, clamavimus:
Aperi Domine: respice nos!
Virgo 3. Responsum est voce terribili: *nescio vos!*
Repetitur Chorus: ô tonitru, *ùt suprà.*
Virgo 4. Quanquam, cur alios inclamamus?
Audite me, Sociæ,
Suadeo, ut nos à Sponso ad Sponsam vertamus.
Est Domina clementissima,
Ita me docuit Experientia.

Aria.

Tenerè à teneris
Nomen amo Virginis!
Et quicunque casus sit,
Quo Mens mihi tristis fit,
Quando clamo:
Virgo! Amo!
Frons serena rediit.

2.

Mugiant tonitrua,
Geminentur fulmina!
Marianô Palliô
Tecta minas rideo:
Virgo tutum
Præbet ſcutum,
Sub quo nihil metuo.

Virgo 1. Profectò optimum eſt tuum Conſilium.
Jámque mihi haud paulò facilior meat anhelitus,
Et oppreſſus mœrore reſpirans animus
In Sponſæ laudes ſe cupit effundere.
Virgo 2. Novum juvat in hanc Januam tentare impetum:
Virgo 3. Præcine!

Aria.

1.

Virgo. 1. Maria te laudamus!
Te profitemur Dominam,
Te Matrem prædicamus.
Tu ama Filias,
Tu juva Famulas:
Aperi!

2.

Maria te laudamus!
Quot ſtellæ ſunt, tot aureîs
Coronîs te ornamus.
Sic coronatam te,
Da, detur cernere:
Aperi!

3.

Maria te laudamus!
Tu es ſalutis anchora,
In te, in te ſperamus!
Ne fallat nos hæc ſpes,
Tu cura noſtras res:
Aperi!

Janitor. Quousque, Puellæ fatuæ, clamoribûs inconditîs
Hanc Januam infeſtabitis?

Virgo

Virgo 1. Bona verba, Oſtiarie:
Nam, cur per te laudes Sponſæ
Non liceat canere?

Janitor. Quia *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Eccl. 15.

Virgo 2. Vir bone!

Janitor. Talis ſum, quales ſunt, qui ad me veniunt,
Cum bonis optimus,
Cum malis peſſimus. (*)

(*) *Mors Peccatorum peſſima.* Pſal. 33.

Virgo 3. Vir optime!

Janitor. Nempe hæ Mortem movebunt blanditiæ!

Virgo 4. Vir auree!

Janitor. Seræ ſunt veſtræ næniæ,
Nec ampliùs de tempore.

Virgo 5. Heu! actum eſt! periimus Sociæ!

Virgo 4. Imò non eſt certius tempus clementiæ,
Quàm, quo fiunt nuptiæ.

Janitor. Niſi clauſæ jam ſint Januæ.

Virgo 1. Sponſa, Sponſa,
Si ſupplices adeſſe nos nuntias,
Nunc, nunc miſerebitur maximè.

Virgo 4. Certè, quæ præſtitimus,
Non poteſt obliviſci obſequia.

Virgo 2. Aut tot peregrinationes,

Virgo 3. Tot Formulæ Marianæ Renovationes,

Virgo 5. Tot recitata Roſaria,

Virgo 1. Tot Sabbatina jejunia,

Omnes. Tot aliæ Devotiones à nobis exercitæ
Num erunt ſine fructu, & irritæ?

Janitor. Crudæ, ingratæ animæ!
Quam meruiſtis,
Au non abundè mercedem jam recepiſtis?

Aria.

Nulla fructu vacua
Cultûs Mariani
Sunt exercitia.
Quòd fructum non senseritis,
Vestræ hoc pigritiæ,
Dementiæ, malitiæ,
Stupori imputate,
Animæ ingratæ!

2.

Quòd præ tot aliis;
Qui pridem perierunt,
Felices vos vixeritis:
Quòd toties prolapsæ
A casu surrexeritis:
Oppressæ conscientiæ
Quòd aliquos
Huc usque stimulos
Non obiter senseritis:
Quòd denique
Adhuc non perieritis,
Quòd pridem non arsistis:
Sunt gratiæ,
Quas unicè
Mariæ debuistis!
Quid? non mercedem integrè
Condignam recepistis?
Negate! ..
Animæ ingratæ!

Janitor.

Janitor. (*) Sed hora est,
Qua vestræ Sorores ad sidera,
Vos ibitis ad tartara!
Feralis tuba insona!

(*) *Exhibitio.*

Quinque Fatuæ — *Chorus.* — *Janitor.*

Quò fugimus! quò fugimus! — Cùm adest vitæ terminus.
O aurium tormentum! — Inane est lamentum.
O Virgo, Mater gratiæ, — Hic fatuæ fiduciæ
Judicium sit mite! — Hic finis est: (*) *perite!*

(*) *Terra hauriuntur.*

Janitor. Vos autem, nisi malitis similiter decipi,
Discite denique,
Quantùm in Mariana Devotione possitis confidere.
Ego Mors, Cœli Janitor, & inferni,
Rem totam verbô doceo solidè: attendite.
Maria omnibus sibi Devotis impetrat gratiam,
Nulli Gloriam.

Aria.

Deipara
Oranda est pro *gratia:*
Sed *Gloria,*
Est merces, *merces est,*
Non *Eleemosyna.*

2.

Pro gloria *sudandum* est:
Non datur otiantibus,
Non impetratur precibûs,
Sudandum est,
Et gratiæ,
Quam obtines à Virgine,
Maturè, sanctè, strenuè
Cooperandum est.

PUNCTUM II.

Marianæ Devotionis *Generosa Executio.*

SCENA I.

Astricus. Theobaldus.

Astricus. Quod igitur felix, fauſtúmque Regi, ac Regno accidat, conſcripſi leges, quas eſſe puto ex mente tua, ô Virgo Domina! in has jurabit Princeps devotus tibi! fave! gloriare in ſervo, cui ſimiles utinam multos habeas! *Theob.* Opportunus occurris, Præſul, Rex impatiens expectatte: funus elatum eſt, mutata veſtis, ſplendori priſtino reſtitutum cubile Regium, parata omnia, quæ actus tam pius exigit. *Aſtr.* Solus deſideror? num admonita Aula eſt? *Theob.* De abdicatione imperii, quam Princeps præſetulit, varius rumor eſt: & voluerunt ex Primariis aliqui Regem accedere, ut diſſuaderent ſententiam: non admiſit. *Aſtr.* Nempe ne diſtraherent animum, qui totus uni debetur modò Mariano affectui. Prudenter actum eſt. *Theob.* Interim ille miris caloribus ardet. Emerici ſui ita penitus jam oblitus videtur, ùt ſi decennium ab ejus morte fluxiſſet. Cùm auferretur ex oculis funus, unum auditum ſuſpirium eſt: orbâſti me filiî Mater, ut eſſes Regina tu! probo ſanctam ambitionem: felix Hungaria eſt, ſi erit tua. Deinde lacrymans ad filium, *requieſce in pace*, dixit, Emerice mi, & ora pro me. Mox autem ùt ſublatum cadaver fuit, cum pulla veſte totum exuit Patrem, & factus eſt Rex. Hoc habitu proſtratus ad Iconem Virginis en! procubuit. Princeps, Aſtricum vides.

SCE-

SCENA II.

Astricus. Theobaldus. Stephanus.

Steph. Astrice, Corona Regni substrata pedibus MARIÆ jacet: Regina sit! ego Vicarius! ut regam ex mente Dominæ, leges lege, in quas jurandum est. Genibus flexis audiam, quid præcipiat Servo Regina Hungariæ! *Astr.* Ut jusseras, Princeps, selegi leges, ex quibus ad mentem MARIÆ regas. *Steph.* Audio. *Astr.* Prima: *Religio sancta sanctè, publicè, & magnificè colitor! Steph.* Decet: honor Filii tuo tibi est potior, hoc scio, ô Mater! imò non honorat Matrem, qui negligit Filium. Sic igitur esto: unus Deus, una Religio! præter hanc nulla habeat in Hungaria locum: hæc autem palam ostentet splendorem dignum Deo, quem colo. *Astr.* Sapientissimi Regis hæc æmulatio est. Judæ proditoris vox fuit, *ut quid perditio hæc?* Judæ posteritas est, quæ stabula cupit esse cultiora, quàm Templa, & Salomon ab ipso Deo laudem aliam majorem non tulit, quàm ab immensis sumptibus in templi splendorem profusis. *Steph.* Et tamen ille *figuram in Arca* coluit, ego *veritatem in Ara* adoro. Igitur sic esto, ùt vis, ô Virgo, Religionem sanctam sanctè, publicè, magnificè colam. *Astr.* Secunda lex: *In consiliis hæc esto Regula: non est consilium aut prudens, aut felix, quod MARIA esse comprobatura non videatur.* Ipsa enim *Sedes Sapientiæ* est, à qua nihil judicatur esse utile, quod non sit honestum. *Steph.* Video lumen, quod discutit nebulas, quales consulentium animis sæpe perturbati affectus inducunt. Esto: nunquam probabo consilium, nisi quod credam à MARIA probari. *Astr.* Tertia: *Officiis magni in Republica momenti nemo admovetor, nisi cujus promotio judicetur Magnæ Dominæ jucunda accidere.* Justitiæ distributivæ hæc Regula cavet, & contra acceptionem Personarum pugnat, per quam fit, ut requirantur *Officia pro hominibus*, non homines

pro

pro Officiis. *Steph.* Video grave malum, quod ex hujus legis negligentia Reipublicæ imminet. Esto: non promovebo quenquam, quem tu, MARIA, promotum nolles. *Astr.* Quarta lex: *An quisque Officialium suo fungatur Officio, ita invigilator, ut nemo subditorum cogatur querelas suas ad Deiparæ thronum deferre.* Vicarius es, rationem Dominæ pro te, & pro tuis Officialibus reddes. *Steph.* Timeo displicere Dominæ, præcipuè, si fortè inter malè oppressos quidam ex ipsi charioribus essent. Esto: non committam, ut quis ita prematur à meis, ut cogatur à me ad tribunal MARIÆ appellare. *Astr.* Quinta: *Nullum scelus publicum esto impune, maximè quod teneræ Virgini magis abominabile est, & facilius grassatur in multos.* Hìc Zelus Marianus habet, in quo se exerceat. *Steph.* Si Regnum Hungariæ Regnum esse Marianum volo, patet, quid me facere deceat. Esto: vindicetur honestas morum! nihil detur licentiæ! impudentia expellatur! *Astr.* Sexta: *Cum exteris bellum nullum suscipitor, nisi quod vel pro Deo sit, vel certè Deiparæ Patrocinium apud Deum mereatur.* *Steph.* Atrox malum est bellum, quod nemo prudens eligat, nisi coëgerit malum majus. Esto: non erit hostis mihi, nisi qui hostis Dei, aut Deiparæ fuerit. *Astr.* Septima demum: *Erga miseros misericordia exercetor, si probi sunt, sicut erga MARIÆ Filios, quos Illa foveri cupit.* *Steph.* Sic vicissim misericordiam mereor. Esto: pauperes mihi ùt fratres erunt. *Theob.* Profectò hoc est verè devotum esse. O ùt ego sic regam me, ùt ille Regnum! *Steph.* Scripsi totum: sigillum imprime. Jam ad rem. Regina Mundi! Mundi portionem exiguam, Hungariam meam tibi trado: me abdico omni jure dominii, quod huc usque exercebam: tuum sit omne jus, dispone, ùt lubet. Ego, quoniam sic ipsa exigis, munus Vicarii agam ex legibus tuis: in has juro! si aliter egero, aufer munus, gradu dejice, substitue meliorem. Testis voluntatis seriæ hoc diadema esto, quod ex sacris manibus acceptum impono sacro Capiti, cui me, & meos æternùm subjectos cupio. Eja! impera!

SCE-

SCENA III.

Personæ omnes.

LUdolphus. Quid lego? prodigium! prodigium lego! *Theob.* Quid hæc exclamatio vult? *Lud.* Citò, Theobalde, citò ad Regem me! *Theob.* Ad Regem, ajs? vide, ne erraveris: nam Cæsar tuus Stephano hoc nomen negat. *Lud.* Non ampliùs negat: sine, adorem Regem! *Steph.* Ludolphum audio. *Lud.* Rex magne vive, & felix impera! hoc momento mihi Epistola venit, qua Cæsar jubet, ut te adorem, & Regiam Coronam gratuler. *Theob.* O verè prodigium! *Astr.* Sic amat MARIA. *Steph.* Quid sic repentè mutavit mentem Cæsaris? *Lud.* Prodigium insigne scribit. (*) In finibus Hungariæ stabat Exercitus noster, divisus, ùt scitis, in turmas plures, ut pluribus simul locis irrumperet, cùm primùm tu Regis nomen usurpare auditus fuisses: cùm ecce! decimâ quintâ Augusti die. *Astr.* Qui festus Virgini Assumptæ fuit! *Lud.* Ad singulos Copiarum Duces litteræ perferuntur Cæsaris manu certæ, quibus quisque suos jubebatur reducere in patriam, bellúmque omittere. Redeunt: Cæsar miratur primùm, deinde irascitur, demum conjuratione perfida actum esse, quod fiebat, suspicatur. Verùm illi prolatis litteris imperium exhibent Obstupuit Cæsar, & continuò placidus has ad me exarat, quibus describit prodigium, & sic concludit: nolo cum Sancto bellum gerere! i, saluta Regem meo nomine, pacem ora, & amicitiam offer. *Steph.* O quanta es Virgo, & quàm bona! *Astr.* O felix novi Regni auspicium! *Theob.* O beata electio! *Steph.* Pax Cæsari cum Hungaris sit: Amici sumus! *Mor.* Quid lego? prodigium, prodigium lego! *Astr.* Quæ nova exultatio est? *Mor.* Triumpha Rex! triumphat DEUS

(*) *In vita.*

tuus, & DEI Mater! *Steph.* Obruis me deliciis Virgo! quod gaudium narras? *Mor.* Lego, quod ſcribunt mei. *Tandem eorum, quos miſit Princeps, ut fidem Chriſti prædicent, converſatione ſancta, doctrina ſana, & multis ſupra naturæ ordinem prodigiis fracta pertinacia eſt: ceſſimus veritati, idola dejecimus, Popas expulimus, Chriſtum colimus DEUM, & MARIAM Chriſti Matrem reveremur. I, nuntia hoc gaudium Principi, ut amet nos, & amori in nos ſuo fructus tamdiu exoptatos gratuletur. Steph.* Enimverò gratulor mihi! dilatâſti tibi Regnum, ô Magna Domina! dilata mihi cor, ut amem te ampliùs! *Aſtr.* O dies digna annalibus! *Theob.* Exulta Hungaria! *Aſtr.* Regnum eris feliciſſimum, quamdiu eris Marianum! *Steph.* Ceſſate privatos plauſus: publica lætitia ſit! ſciat Aula, ſciat Hungaria, quòd MARIA ſit Regina Hungariæ, & Stephanus MARIÆ Vicarius! *Omnes-* (*) Magna Domina! Magna Domina! Magna Domina!

(*) *Sic Hungari Mariam compellant.*

ME-

MEDITATIO III.
VERÆ DEVOTIONIS FRUCTUS.

ARGUMENTUM.

Incitamenta veræ Devotionis Marianæ, & *Signa* consideravimus: ut consideratio Materiæ tam suavis, & utilis amplitudinem totam exhauriat, supereſt, ut de ejusdem *Fructibus* meditemur.

In laudata toties Formula Mariana gemini recensentur: Primus est, quòd *verè sibi Devotis* Mater propitia *in actionibus omnibus suis*, secundus, quòd *præcipuè in hora mortis* assistat. Utriusque auxilii luculentum Exemplum in S. Elzearío Comite damus, qui sua erga Virginem Devotione obtinuit, primùm, ut vitam inter mille peccandi occasiones Statûs sui conditioni annexas *innocentissimè*, deinde animam post difficilem agonem feliciter superatum *sanctissimè* egerit. *Ex vita.* Erit igitur præsentis Meditationis

Materia S. Elzearius ex sua erga B. V. devotione Beatus.

Puncta duo: Primum, S. Elzearius beatus in vita.
Secundum, S. Elzearius beatus in morte.

Fructus. Examen serium, *quid* ex nostra devotione nos, & *quo Fundamento* speremus.

Propositum. Statuamus removere ex animo, quidquid nostram fiduciam potest dubiam facere. *In specie,* ex S. Elzearii exemplo colere decernamus castitatem congruam

Statui, & vitium contrarium fugere, quippe quo vix aliud magis *Virgo* abominatur.

PERSONÆ.

S. Elzearius Comes.
Adalbertus Dalphinæ Frater.
Justinus Canonicus Parisinus.
Ernestus Cubicularius.
Ludovicus Adalberti Filius.

PROLOGUS.

Mariophilus *solidæ Devotionis* Marianæ primum *fructum* experitur *in via.*

Mariophilus. Genius Marianus. Cupidines.

Cupido 1. sive concupiscentia

BEne habet:
Fons aquæ vivæ undique
Est clausus indagine:
Vagus cogetur Mariophilus
Venire ad me,
Et ex hac *Cisterna* sitim restinguere.
Tu Mariane Genie, qui miserum vulnerâsti,
Tua quid tibi prosint artificia,
Ex nubibus prospice....
Bella est fabula. (*)
Sub istis vestibus

Exhibetur silva, cisterna, & fons Symbolum devotionis, ex cujus exercitio vires reparamus ad alacriter in via *pergendum, si constanter, & bona intentione utamur, præcipuè tentationum tempore, & inter peccandi pericula.*

(*) *Veste peregrinantis se induit, ut facilius fallat hypocrita.*

Secu-

Securus lateo *Mundi Genius:*
Ipſe mihi placeo in meis fraudibus.
Jo! meus iterum, meus erit Mariophilus!

Aria.

Eſt certa res:
Hæc *aqua* (*) dementat bibentem,
Quò cupio, traham volentem:
Ignara fraudis anima
Sequetur me in devia.

(*) *Nugæ nugarum avertunt à cura ſalutis, & devotionem impediunt.*

2.

Periiſti Mariophile!
A cælo aberrabis:
Et pænas arrogantiæ
Contempto Mundo dabis.
Captus es! mactatus es!
Eſt certa res.

Cupido 2. ſive concupiſcentia *carnis.* Jam age Perſonam ſtrenuè.
Hora favet, ut injuriam vindicemus,
Qua ſuis ejectos ædibus
In hoc deſertum compulit Mariophilus.
Cupido 3. ſive ſuperbia *vitæ.* Appropjnquat jam laſſus oppidò,
Et refocillationis æſtuans deſideriô.
Refice, & tecum retine,
Donec declinaverit dies, & ingruerint tenebræ.
Marioph. Heu me! heu me!
Cupido 1. Gementem audio: ite in latebras,
Et, quas conſtituimus, parate inſidias.
Marioph. Jo! hìc aquam video, qua vires reficiam!...
Quid hoc? prohibeor!

Ah! *ſiti* emorior! (*)

(*) *Dum ſumus in via ſemper ſitimus ſolatia, vel vana, vel ſpiritualia.*

Cupido 1, Quem audio? quid video?
Marioph. O quisquis es, da mihi bibere!
Cupido 1. Superi! pectus hiat terribili vulnere!
In latrones, in latrones incidimus!
Neceſſe eſt fugere!
Marioph. Erras amice, non me latro percuſſit:
Eſt vulnus amabile.

Aria.

Lento itinere (*)
Statueram petere
Cæleſtis Solymæ
Palatia:
Cùm ecce! repente de cælo
Proſpiciens Amor hoc telo,
Armavit ſe,
Percuſſit me,
Et uſſit viſcera.

(*) *Tepidè tendebam ad Cælum, antequam Maria fervorem accenderet.*

2.

Telum gratiſſimum!
Vulnus ſuaviſſimum! ...
Mira dulcedine
Pectus eſt hilare!
Sed ſitis, ah! ſitis eſt gravis! ..
O Amor! ah! ſitis eſt gravis!
Tu juva me,
Et aridæ
Succurre animæ!

Cupido 1. Miſeret me:
Sed idem me preſſit malum, quod cruciat te.

Hiero-

Hierosolymam, sicut tu, (*)
Intrare desidero:
Sed, dum ferventiùs ambulavi, propè sitî exarui.
Fontem circumspicio:
Undique, nescio, cujus invidiâ, inaccessum invenio.
Ergò coactus necessitate isthìc consideo,
Et ex cisterna vires reficio.
Idem tibi poculum offero: ébibe!
Si quid credis experto,
Refocillaberis certò,
Et perges alacriùs iter facere,
Me etiam, si finis, comite.

(*) *Omnes dicunt: volo salvari.*

Marioph. Vah! tu potuisti bibere aquam tam fœtidam,
Ex puteo tam turbido?
Ego non possum: nauseo!
Cupido 1. Et tamen dicis: sitio?
Marioph. Ah! ita est. O Amor Mariane, O Amor,
Sitis me premit aspera! *Echo.* Spera!
Marioph. Jo!.. Est aliquis, qui mihi subveniet?
Echo. Veniet.
Marioph. Ah! sentio: illudit mihi, qui clamat. *Echo.* Amat.
Marioph. Amas, & cessas venire?
Gen.Mar. Adsum! rupta sunt retia:
Ingredere! cessabis sitire.
Marioph. O Amor! Amor mi!.. jo Socie, nunc libet bibere!
Cupido 1. Jam satur sum.
Gen.Mar. Quem tu compellas Socium?
Cupido 1. Peregrinus sum.
Gen.Mar. Suspectus es, quia dicis te saturum.
Exhibe sarcinam, aut!... (*)
Hem! teneo mundi genium, latronem impium!

(*) *Detegitur hypocrita.*

Marioph. Boni Cælites! quantum evasî periculum!

Cupido

Cupido 1. Vah! cur non occidi te! (*) (*) *Aufugit.*
Marioph. O Amor, tutor optime,
O Amor ter benefice!
Gen.Mar. Jam bibe, vires refice, vulnus elue!
Grandis tibi reſtat via,
In qua, niſi quis ſe ex hoc fonte reficiat,
Neceſſe eſt, ut deficiat.

Aria.

Ad fontem aquæ vitæ
Huc animæ venite:
Salutis hæc eſt vena,
Virtute cæli plena:
Venite! haurite!

Omittite ciſternam:
Hinc bibitis ſolatium,
Hinc verum refrigerium,
Hinc vitam ſempiternam:
Venite, haurite.

Marioph. Verè ſentio pretioſi fontis virtutem,
Quam laudas: ſentio,
En! Momento vulnus coaluit: valeo, vigeo!
Jo! curram, & non reſpiciam,
Donec in patriam tot votis exoptatam perveniam.
Gen.Mar. Laudo Propoſitum:
Sed nondum propterea (*)
Poſitus extra periculum
Jam tenes viæ terminum.
Adhuc vivunt latrones,
Et nox, quæ te obruit,

(*) *Præter ſolatium in tædiis affert devotio Mariana etiam auxilium in tentationibus.*

Mul-

Multiplex obtegit tibi præcipitium.
Itaque cautè progredere, (*)
Et *in periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis,*
Quam ibi vides procedere,
Reſpice Stellam, voca Mariam!

(*) *Oritur ſtella Mariana.*

Marioph. O lux! ô ſplendor Sanctiſſimi Nominis!
Video, ô bone Genie,
Video meæ felicitatis teſſeram,
Et faciam, quod ſuades, faciam!

Duetto.

Marioph. *In periculis,*
Cùm ſtygii latrones
Redibunt ex inſidiis,
Clamabo: *Maria! Maria!*
Gen. Mar. Et aderit Maria.
Marioph. *In Anguſtiis,*
Cùm me tentationes
Conſtituent in tenebris,
Clamabo: *Maria! Maria!*
Gen. Mar. Et aderit Maria.
Marioph. *In rebus dubiis,*
Cùm ſtabo cæcus horridis
Propinquans præcipitiis,
Clamabo: *Maria! Maria!*
Gen. Mar. Et aderit Maria.
Ambo. Et quis audebit ſe
Gen. Mar. Movere contra te,
Marioph. Contra me,
Ambo. Si aderit Maria?

MEDITATIONIS DE FRUCTIBUS MARIANÆ DEVOTIONIS

PUNCTUM I.

S. Elzearius Beatus in vita.

SCENA I.

Adalbertus. Erneſtus. Ludovicus.

Ludovicus. (*)O ſi reſpiceres has lacrymas Virgo, & Elzearium mihi donares! *Adalb.* Moleſta narratio eſt. Eccur ego non maturiùs admonitus fui de cognati periculo? *Erneſt.* Nempe quia nudius tertius adhuc nemo ſuſpicabatur periculum. Heri pronuntiata à Medicis ſententia eſt, & tum continuò expediri curſorem Dalphina juſſit, qui te advocaret. *Adalb.* Quo animo fert caſum funeſtum Soror? *Erneſt.* Eodem, quo ipſe Comes, uterque pacatiſſimo, & ad nutum Numinis perfectè compoſito. *Adalb.* Hem! Filium video. Superi! quàm infelicem facitis Ludovicum meum, ſi Elzearium eripitis nobis! Ludovice! *Lud.* Ah! Domine Parens, in quàm magni luctûs partem huc venis! *Adalb.* Audio. Sed qnid tu hìc agis ad cubiculi fores? *Lud.* Deiparæ ſupplex accidi, ut, quos Deus donabit mihi, annos vitæ cognato adjiciat. *Adalb.* Quod debes, facis, ſi amas virum, qui tibi pro Patre eſt. *Lud.* Amare quid juvat, ſi juvare non poſſum! *Adalb.* Spera bene. Vigor ætatis, robur corporis, & ſedulitas meden-

(*) Coram imagine B. V.

dentium reſtituent Elzearium nobis. *Lud.* Ego, niſi à cælo, nihil ſpero, & ipſe etiam Comes jam totô animô ad æterna converſus mortem in votis habet. Cum Juſtino eſt intus, & conſcientiæ rationes componit. *Adalb.* Scio. Erneſte, cùm finierit, adeſſe me nuntia. *Erneſt.* Dicam.

SCENA II.

Adalbertus. Ludovicus.

Adalbertus. Interea tu mihi refer, Ludovice, quid fiat. Amat te Comes? *Lud.* Ut Filium amat. *Adalb.* Hac ſpe in ejus diſciplinam te tradidi, ut, cùm improlis ſit ipſe, te adoptaret. Age, nihil advertiſti, ejusmodi agitari conſilia? *Lud.* Nihil ſanè. *Adalb.* Et nihil de teſtamento ſaltem, de quo utique nunc cogitaverit? *Lud.* Imò Teſtamentum audivi jam annô abhinc conditum eſſe, cùm prima infeſtavit infirmitas. *Adalb.* Ergò ſi moritur affinis, gravis nos infelicitas excipit: hæres non eris. Neſcio, quod inimicum ſidus naſcenti luxerit! ita ſpes omnes meæ repentè deſtituunt exultantem, & humi proſternunt. Quid igitur loquitur tibi Elzearius, ſi nihil ejusmodi? *Lud.* Jucundiſſima colloquia ſunt. *De vita beata*, & *de beata morte* quotidianus ſermo fuit, certáque hora, qua convocatis domeſticis de hac Materia diſſerit, præcepta, media, impedimenta, methodum explicans. *Adalb.* Rem audio inauditam de nobili viro. Expone clariùs, quid fiat. *Lud.* Statâ horâ nempe convenimus, ùt dixi. Tum mihi librum à ſe delectum porrigit Comes, & prælegere jubet. Quadrantem audior: deinde ex iis, quæ lecta ſunt, quisque, ùt vult, dubia ſua, & quæſtiones proponit, quibus jam ille, jam alius, quod videtur, reſpondet. Ultimus mentem ſuam Elzearius explicat, aut ſi quæſtio difficilior inciderit, differt reſponſum, donec ſolidum à Sapientibus audiat. Atque hoc quotidianum nobis jentaculum eſt, quo manè paſti animam ſuſtentamus,

tamus, ruminando audita. *Adalb.* Exotica exercitatio est! & comparent domestici? *Lud.* Tenentur, sicut aliis legibus, ita huic obedire, nisi malint dimitti. *Adalb.* Et quæ sunt illæ leges præterea? *Lud.* Memoriam praxis firmavit: facilè recito. *Prima est:* Missæ Sacrificio singuli quotidie intersunto. *Secunda:* vitam pudicam, & castam omnes agunto. *Tertia:* Singulis octiduis sacra confessione animum expianto: singulis verò mensibus sacra Synaxi se reficiunto. *Quarta:* Tempus antemeridianum pietati, pomeridianum labori danto, & nemo otiator. *Quinta:* Verbum vel impium, vel obscœnum atro pane, & aqua luunto. *Sexta:* Vetito ludi genere omni se abstinento. *Et septima:* Horam quotidie piis colloquiis danto. *Adalb.* Neque ista disciplina Monastica ridiculum virum in aula facit? *Lud.* Non curat. Hac enim arte obtinere se ait, ut in famulitio suo nemo improbus sit, eò quòd nemo, nisi probus, aut aspiret, aut duret. *Adalb.* Ego verò miror, esse hominem, qui famulari ex his legibus velit. *Lud.* Certant etiam, quia severitatem legum temperat amabilitas Domini, à quo illis victus, ac vestitus liberaliter, & statuta merces, cùm tempus postulat, sine mora tribuitur. Hoc laudant, atque propterea in omnes conditiones libenter condicunt. *Adalb.* Video placere tibi hanc methodum, & imitaberis, opinor, cùm reges. *Lud.* Certè, Domine Parens, & propterea gratias tibi maximas debeo, quòd in has ædes induxeris me: nam domi nostræ nihil simile didicissem. *Adalb.* Quid loqueris, puer, & cui? egóne te malum docui? *Lud.* Absit, ut dicam hoc: sed nisi apud Elzearium, non didicissem bona, quæ didici, hoc dico. Neque te, Domine Parens, offendere hæc linguæ libertas debet: gravissimus dolor sic loqui cogit! jacturam immanem patior, cùm Elzearium perdo. Domi nostræ saltare, equitare, digladiari doctus sum, & quid præterea? nobilium exercitia hæc vocantur, sed nobilem planè non faciunt. Interea tu ibas ad negotia tua, & me curæ Matris relinquebas: Mater conversationibus distenta,

ſtenta, quando me ad easdem non ſecum traxit, Moderatori me tradidit, qui, ne offenderet, me mihi reliquit. Sic inter nugas, in grege fæminarum, & inter domeſticos calones pueriles annos tranſegi, quàm miſerè, nunc primùm intelligo, cùm adoleſcentiam ingreſſus, divino planè conſiliô huc translatus ſum, ubi exercitia pedum & manuum, quæ nobilem decent, non negliguntur quidem, ſed exercitia intellectûs, ac voluntatis, quæ Chriſtianum efficiunt, urgentur magis. *Adalb.* Neque tu obſtupeſcis patientiam Patris ad tam longum Paragraphum? *Lud.* Dixi: ſi quid audaciùs loqui videor, veniam luctus exoret, qui graviſſimè ſentit malum, quod ex cognati morte incumbet mihi. O cælum, averte iſtam à me miſeriam! non ego hæreditatem Elzearii, ſed Elzearium, Elzearium amo, cujus mihi converſatio præ omni opulentia prodeſt. Denique, Domine Parens, ut palpes, quàm juſtus ſit dolor, hoc ſcito, domi noſtræ infelix, dubito, an ſalvam ſervaverim innocentiam: hìc cœpi etiam aſpirare ad ſanctitatem, & audeo eniti ad verticem, niſi tu mihi, Deus, Magiſtrum & Ducem auferas heu! maturè nimis. Iraſcor mihi, quòd occaſione tam opportuna ita negligenter ſim uſus! me miſerum, ſi ſerus eſt planctus! at ſi per te, Virgo, fiat, ut prorogetur vita Elzeario, teſtis eſt mihi præſens Pater, utar in rem meam diligentiùs exemplis, ac monitis viri, & ſicut me ſanguis extulit ſupra plebem, ſic ut ſim Chriſtianus de plebe, non ultra feram. *Adalb.* Enimverò puer immutatus eſt penitus mihi: pæne in pudorem me agit. Ludovice, ſic macte animo! video te bonum eſſe. Nihil offendis me: plura loquere. Quid inſuper didiciſti? *Lud.* Didici pretium tempori ponere. Domi noſtræ nullus ordo eſt: diem in noctem vertimus, & noctem in diem, totúmque in nugis perdimus fere: hìc apud Elzearium omnia tempus habent ſtatum, ac certum: in tres partes dies quævis dividitur, quarum alia corpori datur, alia negotiis, tertia Religioni. Ita nemo otiatur, nemo malè, nemo inutiliter occupatur. *Adalb.* Su-

pra ætatem ſapis, qui hoc advertis. *Lud.* Ipſe ordo ſapientiam tribuit: quotidie, quantum proficiam, video. *Adalb.* Gaudeo: plura loquere. *Lud.* Singulariter præ aliis cognati virtutibus rapuit me tenerrima Devotio, qua in Deiparam fertur. De hac quoties locutus eſt mihi, vix locutus eſt ſine jubilo cordis: ex hac ſe beatum eſſe in vita dicebat, & ſperare, in morte beatum fore. Hoc medio, monebat me, caſus adverſos omnes aut evitari feliciter, aut ferri fortiter: atque in his geminis cardinibus hujus vitæ beatitudinem verti. Video commoveri te, Domine Parens, ad beatitudinis mentionem, & ſcio, quid animo volvas. Multæ ærumnæ te premunt: non prement autem poſthac, vel non oppriment ſaltem, ſi cum Elzeario ad MARIAM confugias. Ludovice, ajebat ille mihi, crede, cùm adverſa te infeſtabunt, in ictu oculi, quem in Virginis Iconem devotè conjicies, plùs roboris, plùs ſolatii, & cùm proderit tibi, etiam plùs auxilii experieris, quàm à quovis Patrono ſperes, etſi multis, magnisque ſervitiis culto: & rationem ſuæ ſententiæ reddens addebat: homo ſolari te mærentem aliquando non volet, aliquando non poterit: MARIA ſemper poteſt, ſemper vult. *Adalb.* Doctorem inſignem habes: gratulor ſcholam utilem, fili mi! creſce! profice!

SCENA III.

Elzearius. Adalbertus. Juſtinus. Erneſtus. Ludovicus.

Erneſtus. Tandem acceſſus datur, Juſtinus prodit. *Adalb.* Pater, ùt placet Comes? *Juſt.* Sanctus eſt. *Elzear.* Salvum te Deus velit, cognate mi! *Adalb.* Ah! utinam citò ſalvum te rurſùs videam, Elzeari! quantum affligat me tua afflictio, dicendo non ſum. *Elz.* Me nihil affligit, niſi quòd brevem vitam negligenter vixerim in ſervitio tuo, Servator mi! *Adalb.* Brevem vitam! actúmne igitur de vita putas? Superi meliora! *Elz.* Superi

peri quid melius, quàm Cælum dabunt? O Cælum! O Patria! O Sedes amoris mei! assurge anime supra nubes! supra Stellas levare! festina mors, rumpe carcerem, laxa viam, qua mens in cælum, in cælum evolet! *Just.* Suspirium sapiens! nempe intelligis, Domine, quantum bonum sit cælum. *Elz.* Cælum sibi, & mihi emit Redemptor meus suo sanguine: pretio tam magno, mercator tam intelligens, rem parvam non emit. *Just.* Sic est: ex pretio colligimus, quanti æstimanda sit merces. *Adalb.* Cælum omnes æstimamus, omnes desideramus: sed tu præpropere nimis abis. Septuaginta, vel octoginta annorum senex proficiscеris maturè satìs. Servet te Deus Regi, Reipublicæ, familiæ, nobis! *Elz.* Si necessarius sum, non recuso laborem. Sed quis ita superbiat, Adalberte, ut se credat necessarium orbi esse? Si Deus nostrûm aliquo dignatur uti in bonum orbìs, honorem facit: serviamus, quamdiu serviri sibi ipse vult. Si ad mercedem servitii ante alios evocat me, nunquid beneficium præstat? & ego reluctans eam? absit! alios, O bone Deus, senescere in exilio jubes, me juvenem vocas in patriam: & ego deprecer? gratias, gratias ago, quia magna gratia est mori maturè. *Just.* Illis nempe, qui post mortem spem vitæ melioris prudentem & solidam habent. Malè mors à pictoribus promiscuè horridam speciem accipit. Compages ossea, decalvata frons, exesæ nares, effossi oculi, excussi dentes, armata manus emblema mortis sunt, qualis ad impios venit, quibus eripit omnia, & nihil reddit: at quæ ad probos mittitur, *mors pretiosa* est, quam purpura & byssus vestiunt, charitatis & innocentiæ Symbolum: caput aurô, digiti gemmîs micant, manus palmam, & oleam præfert: facies amabilis *finem miseri temporis* nuntiat, & *initium felicis æternitatis.* Cui sic apparet ornata mors, num terribilis erit? *Elz.* Jucunda est, quoties comitem peccatum non habet. Ut appareat citò, & in cælum me transferat! *Adalb.* Et nihil supereſt, quod disponas in terris? ultimæ voluntatis testem me offero. *Elzear.* Nihil huc distuli. Ut

ad

ad ultimum agonem me comparem, una sola est cura. Tu solare Dalphinam, mi Adalberte, Soror illa mihi, æquè ac tibi fuit. Felix par conjugum fuimus, semper cor unum, & una anima. Nexus sanctus nos colligavit, amor Deiparæ, & imitandi Cupido. Hic fons omnis boni est, quo mihi vita affluxit: hinc in periculis auxilium, in rebus dubiis consilium, in anguſtiis solatium, hinc perpetua mentis tranquillitas venit, qua nihil potest esse in hac vita beatius: hinc jam in hora suprema, si quid fortè hostis humani generis turbet, præsidium spero, & lætam victoriam quam triumphus cælestis excipiet. O Maria! quantum debeo tibi! ô dulcis cogitatio! post paulùm videbo te in cælo stantem à dextris Filii tui! Amici, gratulamini mihi!, Mariam videbo amictam sole, stellis coronatam, cum Luna sub pedibus! ô infelices animæ, quibus tam dulce spectaculum æternùm negabitur! at ego, ego videbo te, ita spero per te, videbo te Virgo, Mater, Domina, Patrona, Advocata mea! *Adalb.* Fatigas te, cognate, fervore affectuum: quiesce, obsecro. *Just.* Illustrissime Domine, discedemus paulisper, si pateris, ut solus minùs contentiosè tibi vaces. Si quid opus sit meâ operâ, in vicino cubili sum. *Elzear.* Bonum suades, mi Pater. At tu, Ludovice, mane mecum, ut lectione pia tædium solitudinis leves, & languorem animi adjuves: Parens hoc mihi solatium dabit. *Adalb.* Utinam ad alia obsequia utilis Filius esset! *Lud.* Quid legam? *Elz.* De Passione Domini, mi Fili, sed lentè & per intervalla subsistens, ut ruminari possim, quod legis. *Lud.* Opto satisfacere desiderio. *Elzear.* Adalberte, Filium habes, cujus mihi indoles multum solatium tulit. Commendâsti mihi: restituo tibi. Fac, ut, qualis est, talis maneat, Mariæ magìs, quàm tuus. *Adalb.* Tu talem fecisti. Ludovice, plùs Elzeario, quàm Patri debes. Ego, ut esses, dedi hic, ut bonus esses. *Lud.* Scio, quid debeam: & si servet te cælum mihi, scies, me scire. *Elzear.* Omitte verba, & lege.

SCENA IV.

Adalbertus. Juſtinus. Erneſtus.

Adalbertus. Diſcedimus. Erneſte, ego non puto periculum tam vicinum eſſe, ùt tu aiebas. Firma vox eſt, nec admodùm fractæ vires: ſpero, reſtitui Elzearium ſibi, & nobis poſſe. *Erneſt.* Aliud Medici pronuntiârunt, inter quos ô ſi quis eſſet, qui tecum ſentiret! ego, Illuſtriſſime Domine, virum adorarem pro Deo: ita mihi chara ſalus Domini eſt. *Juſt.* Nempe collegit vires fervor, quo ſe ad actum extremum æger diſponit. Sed quidquid ſit, ego laudo prudentiam Comitis, qui etiam in remoto periculo tam providè pro anima agit. *Adalb.* Niſi nimia providentia eſt. Nam ſæpe periculum fingitur majus verô. *Juſt.* Fieri poteſt. Sed ego hoc dico, malle me, ut majus verô periculum mihi nuntietur, quàm ut per diſſimulationem deceptus ad extrema deducar, & jubear mori, priusquam de morte cogitem. A Medico ſic blandiente libera me Domine! certè, ſive de animi, ſive de bonorum diſpoſitione loquamur, obeſſe nihil feſtinatio poteſt, prodeſſe ſemper. Aut age Domine, an maturam teſtamenti confectionem improbes tu? *Erneſt.* Ego ſæpe audivi, non ægris modò, ſed ſanis etiam hoc Conſilium fieri, ut teſtamentum conficiant. *Adalb.* Ego hujus Conſilii rationem non video. *Juſt.* Ego verò ſententiam tueor duabus ex cauſis. Qui teſtamentum ſanus, ac valens, conficit, eum, ajo, cùm moriendum erit, gaviſurum *pluribûs meritîs & majori quiete.* *Adalb.* Duo magna commoda ſunt, ſi poſſis probare. *Juſt.* Obvia demonſtratio eſt. Ægro teſtamentum facienti neque *Judicium*, neque *libertas* eſt integra, quomodo grande meritum erit? morbus impedit hominem, ut ſeriò dijudicet, quæ ſit diſpoſitio Deo gratior, ſibi utilior, aut quam præ alia ratio, fides, pietas exigat. Feſtinatur, & obvium quodque Conſilium æger amplectitur. De-

inde si etiam valeat Judiciuu, quam laudem libertatis meretur dispositio ad pias causas eo tempore facta, quo res tuæ vix ampliùs tuæ sunt, certè in aliud commodum nullum posthac utiles tibi? quando verò testamentum à sano fit, primùm testator est meliùs dispositus ad merendum, deinde hæres nominabitur dignior, denique qui est testator, idem sui testamenti magnam partem poterit esse Executor. Atque his commodis accedit *placidissima quies*, qua fruitur moriens, qui adhuc sanus à testamenti curis se expedivit. Si expectaveris infirmitatem, *duceris, quòtu non vis*, & testamentum aut nullum facies, aut malè. Tu, & tui obstabitis actui, ut bene fieri non possit: neque Justitiæ, neque charitati, quod suum est, dabitur, & tu credis, in tali ultimæ voluntatis dispositione acquiescere conscientiam posse? *Ernest.* Et sic nimirum ultimæ vitæ horæ inter multas turbas agentur, quando, si unquam, tunc certè cum quiete vacandum soli curæ salutis esset. *Just.* Sic fit: sed hæc justa punientis Dei vindicta est, ut iidem ipsi, qui curam salutis in illud momentum differunt, etiam tunc impediantur curare se, & obiter agant, quod deberet totis viribus agi. *Adalb.* Video, hæc bene suaderi: sed non utique damnabis facientes contrarium? paucos certè, qui ita properent, novi. *Just.* Equidem testamenti dilationem dissimulari sæpe posse, non nego, saltem quando ex illa impedimentum curæ salutis non fit: sed quòd in eundem articulum negotium totius conversionis rejiciatur à multis, quis patiens ferat? quid? quòd sint, qui ne quidem, quando ægrotant, de confessione moneri se sustinent, quin patiantur deliquium! *Ernest.* Nimirum non cuilibet ita jucunda est mors, uti Elzeario accidit. *Just.* Atqui, mi Erneste, hæc pessima consequentia est: *Moneor de confessione, ergò moriendum est mihi!* quis ita ratiocinatur, si sapit? imò celeris confessio ab ægroto peracta non modò non accelerat mortem, sed etiam sæpe sanitatem restituit. *Adalb.* Mirabilem Medicinam præscribis. *Just.* Ratio, & exempla efficaciam

ciam probant. Morbi enim, ſicut & mors, ſæpe peccatorum flagella ſunt, quibus nihil aliud agitur, quàm ut vitam in melius commutemus: Sæpe qui diu ſceleribus aſſuevit, repentè morbo corripitur: vocantur Medici, fiunt conſilia, præſcribuntur potiones, vigilatur, fametur, ſudatur: fruſtra omnia. Nempe radix morbi, & maſſa febrilis peccatum eſt; peccatum, niſi per confeſſionem tollatur, non benedicit Deus Medicorum conatibus: excæcantur, ut nec morbi genus agnoſcant, nec aptum remedium inveniant. *Erneſt.* Si eſt, quod dicis, hæc eadem cauſa facit, ut morbi leves ſæpe in periculoſos degenerent. *Juſt.* Sic fit: ac tum demum vocatur Confeſſarius, ſed tum aut confeſſio nulla fit, aut inutilis fere. *Adalb.* Audio hanc doctrinam centies inculcari. Sed nimiùm videmini exaggerare periculum. Nam in urbe degentibus etiam, cùm ſubitus caſus opprimit, Confeſſarii copia deeſſe vix poteſt: deinde, cùm circumſtantiæ non admittunt, confeſſionem adeò exactam non exigi, ipſi admittitis: unde igitur tantum aut nullius, aut non utilis confeſſionis periculum ſit? *Juſt.* Tangis punctum, Domine, quod multos perdidit. Videmus plerosque, ſetſi impiè vixerint, inter pœnitentis animi ſigna, omnibus Sacramentis munitos, placidiſſimè emori: atque hæc exempla audaciam temerariis pariunt, quæ quàm multos in exitium trahat, dici non poteſt. Tu Domine, hìc attende diligenter, quid dicam. Dico, neminem bene mori poſſe, niſi qui ſe ad mortem rite paraverit. *Adalb.* Fides hoc, & ratio docet. *Erneſt.* Et ita certa ſententia eſt, ut nemo unquam interrogaverit, *an*, ſed omnes hoc unum diſputent *quando* & *quomodo* facienda præparatio ſit. *Juſt.* Bene habet. Jam hoc quæritur, an ille, qui usque in ultimi morbi tempus præparationem diſtulit, tutò cenſeri poſſit, bene præparatus obiiſſe, ſi fuerit confeſſus, ſi dederit alia converſi ad Deum animi ſigna, ſi in præſentia aſſiſtentis ſibi Sacerdotis, inter pia ſuſpiria, placidè moriatur? *Adalb.* Quæ enim ſigna præterea exigas? *Juſt.* Niſi diu ante præ-

cesserit vera conversio, dico, hæc signa valde suspecta esse, atque hæc sententia ita confirmata communi sensu est, ut in proverbium abierit opinio: *Pœnitentia sera rarò vera.* Et ratio facilè divinatur, si modò consideremus, *quando*, & *quomodo* tunc confessio fiat. Imprimis enim *sub initium morbi* ejusmodi homines de confessione non cogitant, quia nondum tunc credunt, se morituros: *sub incrementum morbi* tota sollicitudo eò vertitur, ut propulsetur mortis periculum: quid supereſt? in extremo periculo demum, quando desperatum de vita est, cura salutis suscipitur, & negotium tantum intra aliquot horas, aut si multum, intra biduum, vel triduum agitur. *Adalb.* Sic est: & tantum temporis sufficiet utique, ut, qui à confessionibus est, tria verba pronuntiet: *Ego te absolvo! Just.* Ut pronuntiet, sufficit minus etiam: sed ut pronuntiet *cum fructu*, requiritur, ut Officiô bene fungatur, ægrúmque disponat ad gratiam, quod ut fiat, necesse est, ut *evellat* latibulum scelerum, ut *destruat* aras idolorum, ut *dispergat* inanes spes, & pessimas affectiones, *dissipet* terrenas curas, & angores inutiles, insuper ut *ædificet* firmam fidem, & sinceram fiduciam, qua se assuetus præsentibus animus in futura attollat, & demum *ut plantet* charitatem veram erga Deum, & proximum, acerbum peccati cujuslibet odium, verámque sui subjectionem cum adoratione Divinæ voluntatis: hæc indigent tempore apud hominem his exercitiis Spiritûs parum assuetum. Cæterùm non diffiteor, sæpe contingere, ut æger ita debilis sit, ita confectus doloribus, molestiis fessus, linguâ impeditus, auribûs fractus, ut Confessarius expedire citò se debeat, & absolvere hominem, cùm prudenter judicat esse dispositum. Verùm quoties nos nostra prudentia fallat, & quanti talis absolutio apud Deum sit, olim patebit: sæpe *per festinationem* in administratione Baptismi erratur, cujus inter Sacramenta facillima impertitio est: quid in expeditione pœnitentiæ fiet, quod omnium difficillimum est? certè ita solet accidere: quoties ex temporis defectu festinandum est,

etiam

etiam erramus *in modo*: non finis, non methodus præscripta servatur. *Adalb.* Paulatim facis, ut apprehendam periculi gravitatem: nempe nos talia parum seriò meditamur. *Just.* Sine, ut discursum tam gravem ex oraculo Divino concludam. Apud Matthæum sic loquitur Christus: (*) *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conservos suos: manducet autem, & bibat cum ebriosis*: En! hactenus describitur genus hominum, qui sic salutis negotium differunt: tribus fere vitiis inquinantur, à quibus summè difficilis conversio redditur. Primum est *negligentia rerum Divinarum*, cum obstinatione ad omnes minas indomita: sibi credunt isti, alteri nemini: quod cor garrit, oraculum putant: *Moram facit Dominus*, dicunt, quidquid alii contradicant. Alterum crimen imperiosa audaciaest, & injustitia erga proximum, qua percutiuntur conservi: tertium luxus, ac cupiditas voluptatum cum profusa vitæ licentia, qualis inter ebriosos viget, quibus usus rationis non est: cum istis talibus audi, quid sit futurum. Sic pergit æterna Veritas: *Veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat*, morbum fatalem immittens, *& horâ, qua ignorat* jam ad extrema se esse deductum: & quid tum fiet? *Dividet eum*, & separabit à servis bonis, *partémque ejus ponet cum Hypocritis.* Hem! pænam dignam culpâ! nempe talium extrema pænitentia fere mera Hypocrisis est, qua se, & alios fallunt, Hypocrisis *dolor*, quia vix alius est, quàm qualis est morientis lupi, qui si diutiùs viveret, diutiùs raperet: Hypocrisis *confessio*, quia mutila, & sæpe cum simulatione impotentiæ, quæ reverà acedia est: Hypocrisis *satisfactio*, quia nulla fit restitutio famæ vel pecuniæ, nulla solutio debitorum, nulla abolitio scandali, nulla reconciliatio cum inimico, & denique tota pænitentia desinit in pium suspirium: nempe quia sic moris est, ne fiat omnino nihil, ut satisfiat urgenti familiæ, ut consulatur famæ, & ne quis dicatur, ùt bestia, crepuisse. Hypocrisis! apage cum istis pænitentibus in locum, *ubi erit fletus*

(*) *Cap. 24.*

tus propter ſegnitiem, *& ſtridor dentium* propter ſimulationem! Ego malo *poſt vitam piam* morte ſubitanea abripi, ſterni fulmine, lacerari à belluis, aquis mergi, rabie confici, & ſine Sacramentis emori, quàm *poſt vitam diu malè actam*, cruce armatum, inter oſcula vulnerum, & Sacra nomina ſuaviter inſtar candelæ extingui. Ah! ne erremus! non eſt idem, *non eſt idem mori placidè, & mori bene*, multóque certior eſt bona mors poſt bonam vitam, quàm poſt tam ſeram pœnitentiam. *Adalb.* Eviciſti ſententiam, & ego evidenter concludo, ſi non certo exitio, certè grandi periculo exponi animam, quæ pœnitentiam in tempus tam dubium differt. Doctrinam applico mihi, nam bene mori volo, quocunque labore ſit opus. Nunc adeunda Dalphina eſt: cùm redibo, dabo occaſionem, mi Pater, ut Zelum tuum exerceas novo Sermone: nam ego multis itineribus diſtentus, & diſtractus negotiis, rarò de his audio aliquem.

SCENA V.

Juſtinus. Erneſtus. Ludovicus.

Juſtinus. Ad obſequia præſtò ſum. *Erneſt.* Afflictus Vir eſt, & turbas animus patitur. Alius à ſe Adalbertus videtur: neque enim aliàs tam longum Sermonem patiens audiviſſet, præcipuè de Materia tam triſti: Novi hominem. *Juſt.* Imago Mortis objecta oculis etiam audaciſſimorum inſolentiam frangit. Mihi utendum occaſione fuit, qua ſalubre aliquid loquerer viro, haud aliàs faciles aures habenti. Nunc Elzearii morientis lætitia, crede mihi, triſtem Adalbertum fecit: cogitavit, opinor, reflexione facta in ſe: *egóne modò ſic hilariter morerer!* atque hæc triſtitia patientiam dedit. Semen bonum ſeminavi: incrementum det Deus! *Lud.* Spes bona redit, Pater! æger ſublectione in ſuavem ſomnum inclinans caput quietem capit. O ſi evigilet valentior! *Erneſt.* Votum eſt omnium. Sed ego non fido: ſæpe ſomnus

novi

novi mali apud ægros est prodromus. Ingredior, ut invigilem. *Just.* Officium boni famuli facis. Te hoc velim, Ludovice, ut de Parente magis, quàm de Elzeario anxius sis. Scis, quàm diversis uterque sit moribus: favet hora; quod suspirâsti toties, videre hodie potes, Adalbertum conversum ad Deum. *Lud.* Grandem spem facis. Quid vis, ut agam? *Just.* Vita Elzearii tibi profuit: ut ejus mors Parenti prosit, ut efficias, cura. *Lud.* Desperâsti de vita Comitis? *Just.* Actum est, nisi prodigium fiat. *Lud.* Tonitru loqueris. Sic ego infelix te exorare pro Elzeario, ô Virgo, non possim! *Just.* Tene gemitum, & Sancto cælum ne invide. Dignus non est mundus, ut ultra Elzearium teneat: ideò Superi rapiunt. Tua hæc cura esto, ne patiaris abesse Patrem, cùm ultimus Agon Elzearium premet. Videre morientem Sanctum vis ingens est, qua rapitur animus in motus pios. *Lud.* Solatium aliquod hæc spes aspergit. Promissum facio. *Just.* Ut cum fructu facias, I, ora! idem ego facio.

CHORUS.

Mariophilus Solidæ Devotionis Fructum alterum experitur in viæ termino.

Mariophilus. Genius Marianus. Cupidines. Cherub.

Marioph. AH! ah!
Cupido 1. Jo! *hæc hora est nostra,*
Et potestas tenebrarum! Luc. 22.
Adeste Socii! (*)
Quod fraus non potuit, jam faciet vis.
Marioph. Ah! ah!

Scena exhibet silvam, in qua Mariophilus ex lapsu inter tenebras humi afflictus gemit.

(*) *Sibilò convocat Socios.*

Cupido

Cupido 2. Quos audio gemitus? quid vis?
Cupido 1. Sidus malignum disparuit in æthere,
Marianus Genius discessit à latere,
In tenebris ambulans impegit improvidus,
Et cecidit Mariophilus.
Opprimatur! (*)
Cupido 3. Opprimatur! (*)
Marioph. Heu me! heu me!
Omnes tres. Perfide! quos expulisti,
Aut recipe, aut morere!
Marioph. Maria! Maria! (*)
Cupido 1. Vah! Sidus invisum, fulgur horridum!
Cupido 2. Inferi! nihil proficimus!
Cupido 3. Arma eripit trepidatio: fugimus!
Marioph. O Stella salutifera!
Hostes fugâsti,
Et reddit vires prostrato
Influxûs tui gratia. Sentio!

(*) *Sæpe casus in peccatum veniale trahit in culpæ mortalis periculum.*
(*) *Nostræ cupiditates, cùm per spem boni non possunt, metu mali ad scelus alliciunt.*
(*) *Utilis in tentatione exclamatio.*

Aria.

O bella,
O aurea Stella!
Quot radiîs fulges,
Tot mihi influxus benignos indulges!
Te poplite flexo honoro,
Te gratus adoro,
Te oro,
Ut porro
In tenebris lux,
In via sis dux.
At en! quale video portentum!
Subsistis, ó sidus amabile, in cursu medio?

Quid

Qui d cogitem? fortè, cùm minimè exiſtimo,
Jam ſto in viæ termino?

Cherub. Quis loquitur?
Quis huc tentat intrare? (*) (*) *Judicii particularis imago.*

Marioph. Maria! Maria!
Prô! quæ eſt iſta romphæa terrifica!
Maria adjuva!

Cherub. Mariam novi: ſed te, ut poſſim probare;
Si huc vis ingredi, debeo examinare.
Quod Genus? unde domo? quis es?

Marioph. Genere ſum nobilis,
Domo vetuſta genitus,
Officiô præcipuis dudum magnus titulîs,
Doctrina, & opibûs clarus,
Principibus charus,
Togâ, ſagô, rebúsque geſtis celebris.

Cherub. Multa congeris, ſed nihil ad rem.

Aria.

Si præter priſcum ſanguinem,
Et vanam opum ſpeciem,
Et pompam Titulorum,
Non habes, quod loquaris:
Ad Cælum Ethnicorum,
I procul! ablegaris.

2.

Pompeii, Cræſi, Cæſares;
Platones, Ariſtoteles,
Te gloriâ geſtorum
Prô! quantùm præceſſerunt!
Nec tamen hanc Sanctorum
Mercedem meruerunt.

Marioph. At ego tamen ſum Chriſtianus!
Cherub. Nunc dicis aliquid,
Sed quod nondum ſufficit.
Marioph. Inſuper Sodalis ſum Marianus!
Cherub. Sodalis es? qualis? Eja! exhibe Teſtimonium!
Marioph. Teſtem habeo Marianum Genium,
Quo volente ex hac Formula
Juravi homagium.
Cherub. Et quod ſcripſiſti, intellexiſti?
Marioph. Explicationem attentè audivi,
Seriò meditatus, & ſedulò executus ſum.
Cherub. Satis eſt: patent portæ, (*)
Euge ſerve bone,
Ingredere in gaudium tuæ Dominæ.
Paradiſum, quem infelix Eva clauſit poſteris,
Suis Maria aperit Filiis.
En habes obvium, quem appellabas, Genium.
Marioph. O Splendor! ô jubilus! ubi ſum!
O felix Devotio!
Nunc, quanti ſit, bonum fuiſſe Sodalem,
Nunc demum intelligo.

Aria.

O Mariana Formula!
Tu boni Cultûs teſſera,
Tu, ſicut *ſanctæ* regula,
Sic vitæ *Beatæ* Principium es.
Tu *Perfectorum* Speculum,
Tu Lex *Proficientium*,
Tu via *Pœnitentium*,
Tu ſola es ſolida omnium Spes.

Gen. Mar. Extra te es!
Redi ad te, Mariophile!

(*) *Exhibetur Paradiſus.* *Duetto.*

Duetto.

Marioph. Jo! salve bone Genie!
Gen. Mar. Vive! vive Mariophile!
Amplector te!
Marioph. O! sine me
Ad pedes prostratum fateri,
Quid de me volueris mereri:
Meum tu præsidium,
Gen. Mar. Meum tu es gaudium:
Marioph. Tu salutis Auctor es,
Gen .Mar. Mea tu corona es.

2.

Ambo. {Meæ / Tuæ} Tu Devotionis
Fundamentum labile
{Docuisti / Didicisti} Cernere:
Nisi tu {Me / Te} correxisses,
Spes incautum miserè
{Mea / Tua} Perdidisset {Me / Te}
Marioph. Tu salutis Auctor es,
Gen. Mar. Mea tu corona es!

Fructu obedientiæ jam lætus fruere
Ex vitæ arbore,
Quam tu plantâsti, Maria rigavit,
Deus incrementum dedit!

Fruere, comede,
Et vive in æternum!

Marioph. Vivam ad Virginis Gloriam
Servus perpetuus

Cherub. Imò non jam Servus, ſed Filius.
At ego ad horti introitum
Hoc ſolidæ Devotionis affigo Teſtimonium.
Legite, quali ſubjaceatis examini,
Quicunque huc cupitis ingredi.

Aria.

Spes in Devotione,
Ut firma ſit, ut ſolida,
Ex hac firmetur anchora:
Sit cauſa vitæ bonæ.
Quod ſcribitis, ſervate:
Hinc veſtram ſpem probate.

2.

Non fidite colori!
Quo Serpens ab initio
Eſt uſus artificio,
Eodem adhuc hodie
Quàm multos cogit mori!
Poma ſunt formoſa,
Promiſſa ſpecioſa:
Non fidite colori.

PUN-

PUNCTUM II.

S. Elzearius Beatus in Morte.

SCENA I.

Adalbertus ſolus.

Adalbertus. Elzearius Virgo in conjugio! O Vita Angelica! & quis ego? .. nunc intelligo verba: *Soror illa mihi, æquè ac tibi fuit!* Dalphina explicavit. Dalphina ſoror, fixiſti hac narratione aculeum mihi, qui torquet acerbè. Elzearius Virgo in conjugio! & quis ego? .. jam nihil miror tranquillum animum viri, intrepidè ſe morti ſiſtentis. Me verò ſi mors hac hora ad tribunal Divinum citaret, quo animo irem? age, ſiſte te tibi anima mea, & ſine palpo judica te, antequam ad Judicem venias, judica, qualis fueris, & ſis. O DEUS, recogito tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ! ex triplici legum genere judicabis me, ſcio: leges, quibus obligor, alias *natura* poſuit, alias *Fides*, alias *Officium*, & *ſtatus*: ſcio. In ſingulis Elzearium Sanctum invenio: Sanctus *Homo* eſt: nunquam illi animal dominatur: Ratio, Ratio ſemper ſedet ad clavum. Sanctus *Chriſtianus* eſt: ex principiis fidei, non ex rationibus politicis ſe regit, & ſuos. Sanctus *Nobilis* eſt, quem generoſus ſanguis in bonum ambitum urget, ut, ſicut in terris eminet, ſic in cælis etiam ſupra plebem ſe efferat. Sanctus *Aulicus* eſt, qui ſumma fide, & ſollicitudine Regi ſervit, quia propter ſe non ſervit, ſed propter Deum, & nunquam contra Deum. Sanctus *Paterfamilias* eſt, qui domi ſuæ ali neminem patitur, quem Deus non amet. Denique *Maritus* eſt ad prodigium ſanctus, quippe in conjugio Virgo, in conjugio Virgo! Superi! quàm admirabile ſpeculum objeciſtis hodie oculis meis, & qualem ego me in illo intueor! Vah!

qua me cunque circumspicio, video, quòd horream, & cujus me pudeat! .. Maritus sum sine fide, Paterfamilias sine cura, Aulicus sine Religione, Nobilis per vitæ licentiam, Christianus ad speciem, homo merum animal. Et talis qui sum, nempe sine horrore audirem terrificam vocem Tonantis: *Redde rationem!* O Mors, ùt amara est vel memoria tua homini, qualis ego sum! Et quamdiu talis ero? nempe donec Mors ipsa præsens cubile intret, & migrationem indicat? Ah! sera pœnitentia erit, ac minimè seria: penetro vim veritatis, quam inculcavit Justinus: *Nimis temerariè agit, qui negotium salutis non citiùs agit, quàm quando jam vix aliquid poterit seriò agere.* Enimverò, si sapiens sum, non differo curam tam gravem, ex spe tam levi, cum periculo tam horribili.

SCENA II.

Adalbertus. Ernestus. Justinus. Ludovicus. Elzearius.

Ludovicus. Prô Superi! Domine Parens, Elzearius moritur. *Ernest.* Justinum admoneo. *Adalb.* Eheu! Elzeari, amice, quo animo es? *Lud.* Viden', ùt oculos torquet! ùt sudat! ùt suspirat atrociter. *Elzear.* O gravis hora! Domine, ne intres in judicium cum servo tuo! *Adalb.* Elzeari, Adalbertum nôsti? *Elzear.* Adalberte, Ludovice, orate pro me! vim patior! *Lud.* Ah! propera Pater, Comes agonem subit! *Just.* Crucem porrigite. Illustrissime Domine, en Redemptor tuus! in sacra vulnera commenda Spiritum! *Elzear.* Hoc non feci! absit! non feci! *Ernest.* Arcana patitur, & vexat orcus animam innocentem. *Elzear.* Ah! Ah! sic est: in periculum me immisi, sed non peccavi, non peccavi! *Just.* Nihil te turbet hostis tartareus: ad Deum erigere! dic: in te Domine, speravi, non confundar in æternum! *Elzear.* Magna est vis dæmonum. *Just.* Fundite

dite preces in subsidium pugilis: Deus opem ferat illi super lectum doloris ejus! Maria clientem respice! *Elzear.* Opitulare Domina! Domina non opitulaberis? heu! Domine, si iniquitates observaveris, quis sustinebit? *Adalb.* Quid hoc? sic ianctus moritur! *Lud.* Mater gratiæ, Mater Misericordiæ ora pro illo! *Just.* Virgo terribilis adjuva! ecce, quem amas, oppugnatur ab hostibus tuis! *Elzear.* Totum me committo divino Judicio. *Adalb.* Ego tam triste certamen ultrà videre non possum. *Lud.* Domine Parens, sic ut morientem destituas, decet? *Adalb.* Intueri non possum. *Lud.* Imò exitum pugnæ expectare te juvat: victorem videbimus. Non deseret Maria tam charum Filium. *Adalb.* Hoc meritò Elzearius speret: sed ego quid sperem? subsiste spectator, fili, me horridus horror in latebras agit. *Ernest.* Respirat æger, & Deo sint laudes, jam vicit. *Elzear.* Ope Virginis vici, jo vici! *Just.* Sic suos Maria amat. *Lud.* Nónne dicebam, Pater? en lætior Scena subit. *Adalb.* Ut vales, amice mi. *Elzear.* Bene, mi Adalberte, bene nunc. Sed paulò ante heu! quanto terrore concussum est pectus! *Just.* Nempe alia sunt judicia Dei, alia hominum: & si sine misericordia judicet Dominus, nemo salvabitur. *Elzear.* Nemo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Amice hac hora ô quàm alios oculos habeo, ac ante habui! displicet vita omnis, heu! vita quàm negligenter acta in famulatu tam Magni Domini! Deus! misericors Deus, propitius esto Elzeario peccatori! miserere! *Adalb.* Mihi hos gemitus cede: tu canta, *Te DEUM laudamus!* *Elzear.* Miserere secundùm magnam misericordiam tuam! Ecce abyssus abyssum invocat, abyssus miseriæ abyssum misericordiæ! quid? delicta juventutis maligne revocas? ignorantia fuit! *Ernest.* Hem! in luctam revolvitur. *Adalb.* Prô! ùt rursum expallet, & tremit! *Justin.* Cor contritum, & humiliatum DEUS non despicies!

Elzear.

Elzear. Ignorantia fuit! non intellexi! *Juſtin.* Ignorantias ejus ne memineris Domine! *Elzear.* Et ab alienis parce ſervo tuo! hoc neſcivi! planè neſcivi fieri domi meæ! *Erneſt.* Superi! de nobis eſt angor! *Elzear.* Admonui, & poſtquam ſe non correxit, ejeci ex ædibus improbum hominem. *Juſtin.* O DEUS, uſquequò affligis Famulum tuum! *Elzear.* Eheu! ſic eſt: hoc exigebat Officium meum, & ego omiſi! parce incuriæ! *Erneſt.* O rigidum examen! *Elzear.* Ah! fateor, hoc feci, & non memini, quòd ſim confeſſus. Oblitus ſum! Juſtine! Juſtine! *Juſtin.* Cedite pauliſper loco, dum conſcientiæ quies redeat. Adſum Domine, quid angit?

SCENA III.

Adalbertus. Erneſtus. Ludovicus.

Ludovicus. Quid eſt hoc? ſic ego Elzearium angi, ſic judicari, ſic premi poſſe credidiſſem? Domine Parens, quo animo es? *Adalb.* Sine me! *Erneſt.* Sic tremit, ſic formidat ſanctus! & quod erit ſcelus, quod ille ſic anxiè confiteri adhuc feſtinat? Trepidus expecto eventum ſpectaculi. *Lud.* Maria, juva, obſecro! nam quousque ſpectante te, ſic ſervum tuum orcus vexabit? *Erneſt.* Nempe Elzeario ad augendam gloriam, nobis ad excitandam curam hoc certamen permittitur. Formam Judicii, quod nos manet, videmus. Omittitur nihil: ætas, conditio, Officium, commiſſiones, & omiſſiones in examen vocantur: quis non metuat ſibi?

SCENA IV.

Perſonæ omnes.

Juſtinus. Adeſte! peractum negotium eſt. Quantillus ſcrupulus quantos dolores tulit! hic Agon ſanctæ animæ purgato-

gatorium fuit: jam tranquilla penitus evolare in cælum festinat. *Elzear.* Ita, in cælum! in cælum! valete, ô mei! jam laqueus contritus est! adjutorium meum in nomine Dominæ! *Adalb.* Hilarem video: ô dulce solatium! *Elzear.* O Adalberte, nunc experior, quàm pretiosus fructus sit, quem affert vera devotio erga Deiparam. Diligis diligentes te, ô Mater pulchræ dilectionis, neque deseris in hora mortis. Eja, fac finem vitæ! cessem vivere, ne cessem amare, imò ut incipiam æternùm amare te, & amare Filium tuum amabilem nimis... jo! audior! repentè deficiunt vires. *Lud.* Ah! Domine cognate, trahe tuum Ludovicum post te! *Elzear.* Ama Mariam! sic me sequeris. *Justin.* Jam vox deficit! lumen admove! cape Symbolum sanctæ fidei, spei, & charitatis! proficiscere anima Mariana! *Elzear.* Valete! in meta sum! in cælum eo ad Mariam! *Ernest.* O Felix iter! *Justin.* Expiravit. *Lud.* O mors beata! *Adalb.* Sic est. Sed mihi væ! nisi ex ista morte didicero vivere.

O. A. M. D. G.

PECCATUM SUMMUM MALUM

ARGUMENTUM QUINQUE MEDITATIONUM,

ANNI M. DCC. XLI.

MEDITATIO I.

PECCATUM MALUM SUMME NOXIUM SIVE JEROBOAM.

ARGUMENTUM.

PErgimus in considerandis gradibus *perfectæ Conversionis*, cujus *Ideam* abhinc biennio in Augustino spectavimus: &, quia ante annum contemplati sumus *gradum primum*, qui consistit *in cura impetrandæ Divinæ gratiæ per Marianæ Devotionis Exercitium*, quo nihil ad hunc finem efficacius est: propterea hoc anno *ad secundum gradum* procedimus, quem ponimus in vivo, & acerbo *horrore peccati*. Itaque quinque Medi-

Meditationum erit ſcopus, & labor, inculcare animis hanc veritatem excitando horrori, ſi ſedulò expendatur, utique ſufficientem: *Peccatum eſt ſummum malum.* Brevis ſententia funeſtam in nuce Iliadem claudit, cujus hæc eſt ſynopſis: Peccatum malum eſt *ſummè noxium*, malum *ſummè turpe*, malum *ſummè triſte*, malum *pejus morte*, malum *infinitum.* Omnia *Fides* & *Ratio* ad oculum demonſtrabunt.

Hodie prima veritas, quòd peccatum malum ſit *ſummè noxium*, in *Jeroboamo* ſe exhibet, qui, ne ſubditi, poſtquam à Roboamo defecerant, amore templi Hieroſolymitani ad eundem retraherentur, Regno ſuo Idololatriam invexit. Conſilium ſtolidè politicum fuit, nam *idcirco*, teſte ſacra Pagina, *idcirco induxit Dominus mala ſuper domum Jeroboam*, & omnem familiam, ſicut prædixerat Ahias Propheta, per rebellem Baaſam extinxit. Mors Jeroboami à Scriptura ſic exprimitur: *Quem percuſſit Dominus. & mortuus eſt.* 2. Paral. 13. Mors filii ejus Nadab, & totius familiæ interitus ſic narratur: *Inſidiatus eſt ei Baaſa .... interfecit illum .... percuſſit omnem domum Jeroboam.* 3. Reg. 14. Equidem tragici casûs ſeries *intra duas horas* peracta non eſt, ſed nos per theatri licentiam utimur *ſynchroniſmô*, quem compenetrationem temporum dicas, cujus uſu Hiſtoria ſæpe plures annos complexa ſic exhibetur, ut videri poſſit tota uno, eodémque die abſoluta fuiſſe. Igitur primæ Meditationis hæc eſt

Materia: Jeroboami cum tota familia infelix interitus.

Puncta duo: Primum, tantæ Ruinæ certa cauſa:
Secundum, miſerabilis modus.

Fructus: Deteſtatio impii axiomatis: *Si non licet, tamen expedit.*

Propoſitum: Fuga peccati, etiam cùm ad peccandum aut *lucri ſpes* invitat, aut *damni metus* impellit. *In ſpecie* decernamus, perſuaſiſſimum nobis eſſe debere,

quòd felix esse in suis consiliis nemo possit, *invitâ* Deô, aut *inimicô*.

In Choro ostenditur, quòd *peccatum utile* sit chimæra.

PERSONÆ.

Jeroboam Israëlis Rex.
Nadab Filius natu maximus.
Abias Propheta.
Aram Legatus Asæ Regis Judæ.
Baasa Præfectus Militiæ.
Zara Familiaris Baasæ.

PROLOGUS.

Fides Rationi persuadet Meditationem hujus veritatis: Peccatum est summum malum.

Fides. *Ratio.*

Ratio. ERgò præ peccato omne malum aliud
Deberem eligere?

Fides. Quia inter plura mala
Eligendum est *minimum* utique.

Ratio. Atqui, quòd peccatum malum sit
Maximum omnium,
Est sententia captu difficillima,
Et *communi sensui* planè contraria.

Fides. Aliud antiqua te doceant tempora; sequere me! ..*

Ratio

(*) Exhibetur Imago *hinc* priscorum Martyrum, *illinc* pœnitentium.

Ratio. Superi! quò me abripis, Fides?
Fides. Primorum ſæculorum imaginem vides.
Hinc diſce, quis genuinorum
Communis de peccato fuerit *ſenſus* Chriſtianorum.

Aria

Vide, ſtupe, *hac* de Rupe
Quantæ fluant lacrymæ! ...
Hìc, tuorum in Majorum
Roma natat ſanguine! ...
Ne peccarent, *hæc* tulerunt:
Cùm peccârunt, *ſic* fleverunt:
Tantus *horror* criminum,
Tantum fuit *odium*.

Ratio. Obſtupeſco!.. Erubeſco!..
Nam egóne, *ne peccarem*, funderem ſanguinem,
Cùm *pro peccato* ne quidem lacrymas
A me impetrem?

Arietta.

O meæ lacrymæ,
Quàm eſtis aliæ! ...
Ex *naturæ* placito
Plenô itis alveô:
Quando jubet *gratia*,
Nulla manat guttula:
Quàm eſtis aliæ,
O meæ lacrymæ!

O quis dabit capiti meo aquas *tales*,
Et oculis meis fontes lacrymarum *iſtis ſimilium*,

Fides. Ego, ego docebo te *doctiùs flere*,
Si potes facere, quod Isti, & isti fecêre.
Ratio. Ecce me! audio te.
Fides. Veritatem, quam cœpi explicare,
Attentiùs meditare.
Quod *Audiens* vix percipit,
Meditans perfectè intelligit.
Puncta distribuo: ruminare sedulò!...
Peccatum summum est malum! volo dicere:
Malum est summè noxium! ...
Summè turpe! .. *summè triste!* ..
Pejus morte! .. *infinitum!* ..
Vel, quod idem est denique,
Malum pessimum in omni genere! ...
Ratio. Intellexi te:
Verùm obsecro, ne me obrue!
Singula per moram explica,
Et hodie,
Quomodo peccatum malum sit *summè noxium*,
Doce me.
Fides. Doceo: nam placet sapiens desiderium,
Quia *intellectus seriò cogitabundus*
Est salutis initium. S. Aug.
Ergo accingere.
In Jeroboami funestissimo exitio
Dabitur primi Puncti demonstratio.
Ratio. Ut fructum ferat mea spes,
Favete Cœlites!

Aria.

Aria.

Et tu, qui amariſſimos,
JESU dulciſſime!
Peccati fructus propter nos
Guſtâſti avidè,
Fac, me verè
Tecum flere!...
Iſtæ proſunt lacrymæ:
Iſtæ fient Margaritæ,
Quæ ſplendebunt diſpertitæ
In Corona gloriæ.

MEDITATIONIS I.

De Interitu Jeroboami cum tota Familia

PUNCTUM I.

Tantæ Ruinæ certa cauſa.

SCENA I.

Jeroboam. Aram.

Aram. VErum dico, Rex, & augeo nihil. Decies centena millia bellatorum eduxit Æthiops adversùs Aſam, (2. *Paralip.* 14.) ſed nos, Deo freti, ùt vidimus, vicimus hoſtem tam formidandum, atque ad internecionem delevimus: præda immenſa fuit, lætitia ſupra modum, & fructus victoriæ terror ingens, quo omnes circùm populi Aſæ gloriam reverentur. Intellige, quàm bonus ſit Deus Regi meo, poſtquam ille Regni ſui primordia in ruina infamium idolorum firmavit, quorum ſceleſto cultui ſe Pater ejus, & Avus addixerant. *Jerob.* Bonus

ſit

sit Asæ Deus, mihi semper est malus: nec habeo, unde bonum sperem. Scis, Aram, quòd jam alter supra vigesimum annus fluat, quo sceptrum teneo: qua hora felix fui? ùt dies diem, sic calamitas calamitatem excepit: bella, clades, funera conficiunt seriem annalium Regni mei. Si sic futurum erat mihi, cur Regem me fecit Deus? num, ut miserum faceret? *Aram.* Imò Regem fecit, ut magnum, ut glorioſum, ut beatum faceret: & esses utique, si Deo, qui te evexit, confidere maluisses, quàm tibi, tuæque prudentiæ. O Princeps, quis ita fascinavit te, ut putâris, *utile tibi peccatum* fore, & credideris, fieri posse, ut bene sit tibi *invitô Deo*, imò inimico? *Jerob.* Sile! peccatum est utique, peccatum graviter, quòd Deo Israëlis rebellis, aureo vitulo curvârim genu! stultitiam video! *Aram.* Sit Superis laus! agnoscis, Rex, peccâsse te: primus ad gratiam gradus est, *confiteri*. *Jerob.* Nempe si confessionem extorquet *pœnitentia*, non desperatio. *Aram.* Cur desperes? si perdere offensus Deus Jeroboamum voluisset, non servâsset tamdiu, non tolerâsset tam patienter. Atqui expectat. *Jerob.* Expectat, ut diutius cruciet. *Aram.* Ut per adversa eruditus, redeas in viam. Quanquam quid adversa loquor? finis erit: redit Phœbus post nubila, suaviter tibi vultu sereno radians. Ecce Rex meus, utique Deo auspice, in suæ felicitatis communionem ultro invitat te, exposcit fœdus, offert Nadabo uxorem filiam, dotis nomine restituet ereptas urbes, erit æterna pax. Una conditio ponitur, ut subversis altaribus impiis, te ac tuos restituas Deo Israël. Quousque deliberabis? *Jerob.* Serum consilium est. Jam latam sententiam Ahias cecinit: Amice, perii! *Aram.* Nondum, Rex! nam mihi crede, si mutas mentem, mutabit sententiam Numen, & aliud Ahias canet. *Jerob.* Quid ago?

SCE-

SCENA II.

Jeroboam. Aram. Nadab.

Nadab. REx Pater! postremos fratri honores dedimûs: sepultus est. Fac ergo modum luctui, & tandem te nobis redde. *Jerob.* Sic fiat: reddo me. Nadabe, facio, quod Asa suadet: tu Patris exemplum sequere. Eo, ut frangam vitulos, aras profanas destruam, occidam popas, evertam lucos. *Nad.* Sicine? in hoc consilium impellit Asa? in hoc tanto impetu, Parens, ruis? impera moram saltem, & num, quod agis, *expediat*, vide. *Aram.* Obedire Deo utrùm *expediat*, an consultandum est, Princeps? *Nad.* Huc, Aram, tuus te misit Rex, ut turbes aulam? *Jerob.* Hoc agis, Nadabe, tu, ut Patrem tecum & totam familiam perdas? Fili, hoc uno consilio placari nobis Deus Israël potest, ut imminens avertat exitium domûs. *Nad.* Exitium domûs! unum ex filiis mors rapuit tibi: grave malum est Patri, domui leve. *Jerob.* Sic? nempe unum me lugere malum in morte filii, hoc credis tu: sed fœta capiti impendet nubes, mi fili, & ultima luxit dies. Furor irati cœli infestat aulam, Regius undat cruor, concidit solium, tota in ruinam procubuit domus. *Nad.* Impotens dolor loquitur. Nunquid enim adhuc superstes vivit Nadabus tibi? aut, si vilui, ecce adhuc fratres mei Salmon & Esron vivunt, vivunt duæ filiæ tuæ, & ex illis nepotes septem: nondum procubuit domus. *Jerob.* Sile filios, fratres, nepotes sile: *fuerunt*! hæc vox Tonantis est: *fuerunt*! Evaginavit fulgurantem gladium vindex Numen, nec una victima sævitiem saturat. *Non dimittetur ne una quidem anima de meo semine*, (3. Reg 15. Ahias vates est. I, Matrem interroga, quid audierit à viro Dei: sic intelliges, an nimius me luctus premat. O Regibus tremendum Numen! .. heu! videre jam his oculis mihi videor spectaculum atrox! fratres, nepotes, filii mei, *carnem vestram vorabunt*

corvi, & sanguinem canes bibent, quia Dominus locutus est! (3. Reg. 14.) Prô horror scenæ! ô Israël, populetot annos regnate mihi, unum hodie de filiis sepulchrô condis: reliquos omnes meos canibus & corvis dabis! tremite posteri sortem Regum! Est aliquis *supra nos*, qui si agit *contra nos*, væ nobis! væ nobis! *Nad.* Fateor, tremunt viscera, & ambæ aures tinniunt ad horrendum oraculum, si verè oraculum est. Pater, an idem, qui tibi olim regnum cecinit, jam istud malum Propheta canit? *Jerob.* Idem Ahias canit, ut minùs dubites, an canat verum: & adjecit, quod maximè terret: *Constituet autem sibi Dominus Regem super Israel, qui percutiet domum Jeroboam in hac die, & in hoc tempore!* Viden', adeò nec mora supplicii est. *Nad.* Quid audio? mihi debetur regnum, & alius auferat! quis ille? quem nominavit vates? hoc ense cadet. *Jerob.* Juveniliter jactas te. Nempe minæ nostræ terrebunt cœlum, ut minas retractet suas? *Nad.* Vocetur Ahias saltem, ut doceat, quis destinatus sit Auctor cladis. *Jerob.* Vocavi, & missus est Zara, Fili, ut Prophetam adducat mihi. *Nad.* O factum providè! est proditor Ahias, nisi prodat hominem nobis, quem in exitium nostrum Superi concitant adversùm nos. *Aram.* O Principes, inutile consilium est! nam *instrumentum* exitii vestri quid juvet scire? nihil ista scientia decretis Dei obsistet: de *causa mali*, de abolenda causa oportet angi, de peccato, inquam, defiendo, quo à Deo defecistis ad vitulos, de extinguenda labe ingratitudinis, per quam potestate Regia divinitus data abusi pessimè contra Datorem estis. Hæ *causæ* imminentis interitûs sunt: has si tollere properatis, *instrumentum* Deus sine mora projiciet. *Nad.* Video utique, non dici nihil. Sed de tollenda *causa* deliberari postea potest: nunc *expedit* festinare, ut caveamus, ne aliquod *instrumentum* se moveat. *Aram.* Si Deus pro vobis sit, quis erit contra vos? Deum placate! *Nad.* Humanam prudentiam Deus non prohibet. *Aram.* Nisi obsistat Divinæ. *Jerob.* Demus utrique aliquid: I, Nadab, fidelem habemus & stre-

strenuum servum Baasam: mone, ut excubias geminet, ne quid turbetur. Ego me abdo intus, ut orem offensum Deum, ne præcipitet pœnam, priusquam Ahias adsit. *Nad.* Probè, Rex: sic utrinque securi sumus. *Aram.* Ah! anxii de pœna estis, de culpa parum: dubito, num istas curas Superi æstiment.

SCENA III.

Nadab. Baasa. Aram.

Nadab. UT opportunus occurris mihi, amice Baasa: geminari excubias jubet Rex, & ne quid turbarum aut miles, aut civis moveat, invigilare, nam sæva procella impendet capiti: sed tibi se ac suos totâ fiduciâ committit Jeroboam. *Baasa.* Nempe!.. si mihi fiditis, Princeps, cur accersitur Ahias? unde metus turbarum est hodie? miles & civis omnis non inconcussam tamdiu probârunt fidem? Ecce! unius deliri senis jactantia, dum clamat: *Hæc dicit Dominus!* omnes potuit Regni Proceres in suspicionem læsæ Majestatis adducere: *tanti sumus!* Hoc eo questum Regi. *Nad.* Hem! novam querelam audio. Sed, obsecro, qu esce Baasa, & mihi crede, falsa est omnis tua de nostra suspicione suspicio. Video scire te, quæ mala nostræ domui malus bubo cantaverit: jam vult adduci hominem Rex ad se, ut intelligat, à quo debeat cavere sibi, ac suis. Quid in hoc consilio improbas tu? *Baasa.* Est, quod dixi. Ergò quemcunque reum parricidii, & tyrannidis Ahias dicet, vobis reus erit, judicatus est, periit, etiam si Baasa foret. Bene est: sic pensatur tot annis probata fides, triumphat Asa: obtinuit, quod volebat! per suum Legagatum turbavit aulam, per Ahiam effecit, ut diffidat Jeroboam fidissimis sibi: sic nudum Regi Judæ Rex noster prostituit latus: quid sequi necesse sit, ut videas, non est opus, Prophetam esse. *Nad.* Bardus sim, nisi capiam, Baasa, quàm non ineptus interpres minarum sis, quas eructavit senex in aures fœminæ. Quid tibi

videtur Aram? *Aram.* Queror, audiente me, injuriam tam atrocem inferri meo Regi, ut audeat aliquis de artibus tam infandis accusare Principem tam Religiosum. Si Regnum Israelis ambiret Asa, arma suppeterent, patrocinaretur jus, faveret Deus: per fraudes & mendacia, per oracula ficta, & graves calumnias, per scelera & malos dolos, quòd Asa sibi novum imperium quærat, non potest suspicari, qui novit, quo ille animo in suum feratur Deum. *Baasa.* Numen est nomen Regibus, quòd, *cùm expedit*, jactant, cùm *non expedit*, negligunt: & quando de occupandis Regnis agitur, quis nescit, curam Religionis in ultimis curis esse? nec imprudenter, ùt puto; nam hic an ille plura Regna obtineat, quid interest Dei? nulla illi propterea pars cœli eripitur. *Aram.* O digna viro sententia, cui Deus est *vitulus*, contentus utique, si bona pascua, & commodum stabulum habeat. Sed Deus, quem Asa colit, Rex Regum est: illi subsunt, qui præsunt omnes: omnes, quo modo præfuerint, rationem severam reddent. Væ illis, qui potestatem Vicariam Dei aut sibi arrogant invitô Deô, aut adhibent contra Deum. Hunc Deum, Princeps, time, hic tibi per Ahiam intentat malum, à quo nullus Baasa eripiet. *Baasa.* En intrat Zara, & ipsum trahit.

SCENA IV.

Nadab. Aram. Baasa. Ahias. Zara.

Zar. SUbsiste miles: aulam ingredimur soli. Ahia, bona loquere, si auditorem cupis benevolum tibi. *Ahias.* Loquar, quod Deus jussit, funera, neces, stragem, pacatum nihil. *Aram.* Ahia salve! regium hìc Principem vides, cui malè suspecti sumus: oro, ut saltem *spe bona* soleris trepidum: dic mala, quæ minitaris, posse effugi, si cum Rege Patre citò redeat ad Deum nostrorum Patrum: aut, an non est ita? *Ahias.* Opto, ut ita sit. Sed Dominus locu-

locutus est, & *conditionem* non addidit. *Nad.* Crude senecio!.. Zara, Parentem admone. Tu verò, bone vir, age, repete ferale carmen cantatum Matri. Constituet Dominus Regem super Israel? adhuc affirmas? *Ah.* Constituet. *Nad.* Quem? *Ah.* Nomen cœlum non dixit. *Nad.* Ille percutiet domum Jeroboam? *Ah.* percutiet in hac die, & in hoc tempore! *Nad.* Quis? *Ah.* Nescio. *Nad.* Aut dices, aut primus cades. Latro est, qui canit cladem, & silet auctorem cladis. *Aram.* Princeps, novo crimine irritas Nemesin, nisi Legatum Numinis reverentiùs habes. *Nad.* Unde probas, quòd locutus sit tibi Dominus? *Ah.* Non credis? facis, quod solent juvenes: experiri miseriam malunt, quàm credere. Experieris. *Nad.* Quid experiar? *Ah.* Quod non credis. *Nad.* Loquere! *Ah.* Hoc dicit Dominus: paulò pòst truculenta sublatum morte vorabunt canes. *Nad.* Hoc dicit Dominus? & quis me tollet? *Ah.* Hoc non dixit Dominus. *Nad.* Sycophanta impudens! testes sint mihi Dii, nisi Regem Patrem revererer, jam nunc hac manu confossus caderes. *Aram.* Obsecro, Princeps, furorem tempera. Nam si loquatur senex, quid prodest tibi? aut meretur fidem, aut non meretur? Si meretur, colendus est: si non meretur, cur vocâstis? *Baasa.* Sic est, Aram, assentior tibi: vocari homo in aulam non debuit: sed quis est auctor consilii, unde hæ turbæ sunt, & panici metus? *Aram.* Orate, ut placidum vobis Ahias DEUM reddat: sic erit turbarum finis. Ahia, Rex prodit: loquere nunc saltem austerè minùs: jam enim paravi tibi docilem satìs. *Nad.* Rex Pater! perierunt nostræ spes! negat senex auctorem mali,
quod cœlum intentat nobis, à cœlo sibi
innotuisse.

SCENA V.

Accedit Jeroboam.

Jerob. ERgò aliò vertendæ curæ sunt. Ahia doce, quid faciendum sit mihi, ut veniam à Deo merear. Spem inter, & metum luctor, an superfit consilium, quod me juvet. *Ah.* Consilium, quo modo *veniam culpæ* mereri possis, habeo, Rex, *de pœnæ venia* nihil spondeo: Quia *projecisti Dominum*, *projecit te Dominus*, *ne sis Rex!* lata sententia est. *Aram.* Heu! eversa est spes omnis mea! atqui Ahia, jam mihi Rex addixit pacem, promisit cum Asa inire fœdus, accipere Nadabo sponsam in pignus fidei, dejicere ab aris vitulos, restituere cultum Dei Israel: erunt duobus populis duo Reges, sed unus Deus, una Religio, unus animus. A te pendet tam grande bonum, si modò dicas, placari sic posse Superos, ut impendentem avertant interitum domûs. *Ah.* Adulari me velles, Aram, & dulcibûs verbîs fallere? Non persuades: semper sceleratis austera est veritas, dicenda tamen, quia mendaciô non juvantur. Velles, ut promitterem, mitiùs acturum Deum, si Jeroboam submittat Legi rebelle caput: quo auctore promitterem? nuntiare *pœnam* me jussit Deus: promittere *pœnæ gratiam* non jussit. Fortasse faciet gratiam: sed quod fortasse faciet, non debet dici facturus certò. Vides, Rex, nihil me, ut placeam, loqui: prodesse cupio. *Aram.* Ah! bonum utique habemus Dominum, cui hæc propria laus est, quòd misereatur pœnitentium, & parcat. *Ahias.* Aram, confundis omnia: distingue à culpa pœnam! bonum habemus Dominum, qui facilem deprecantibus veniam culpæ concedit: sed ne nimis sint mali homines, si ipse nimis bonus esset, non solet cum culpa dimitttere pœnam simul. Davidis memento, Rex! pœnitenti culpam dimisit Deus, pœnam non dimisit: heu! quàm multas, & graves dedit! & tu vis, ut tibi dicam, daturum te esse nullas?

Plus

Plus dico: promissio pœnitentiæ sub hac conditione, *si Deus retractabit sententiam*, irritare Deum acerbiùs potest, placare non potest. Nam quis es tu, ut audeas Deo conditiones præscribere, sub quibus pacem velis? dicere: *Agam pœnitentiam, si DEus remittat pœnam*, non est voluntas bona, quia pœnam, non culpam odit, qui retractare culpam non vult, nisi Deus retractet pœnam. *Æternam pœnam* dimittet dolenti Deus, hoc promitto, hoc sufficiat tibi: magna miseratio est in malè meritum. Temporali submitte, Princeps, superbum collum, & clama: *merui!* sic placabis. *Jerob.* Acerba oratio est. Ergò certum est, quidquid egero, morte cruenta cadam! morte cruenta filii, fratres, nepotes cadent! sic placabo! Dure, quàm hoc est asperum solatium misero! *Ah.* Solatium tamen pœnas æternas merito. Rex, audi amantem tui? si cum igne devorante, & ardoribus sempiternis habitabis quondam, inclinâsse te ferienti in tempore Numini, seris optabis votis. Quanquam quid multîs urgeo? prudens es. Si cedis Deo, *æternam* certò, *temporariam* fortasse simul evades pœnam: si non cedis, *neutram* vitabis: *utraque* certò premet. Potes ambigere, quid sit agendum? ... tumultum animi hoc triste silentium loquitur. Loquere Rex! Ah! audiam salubrem vocem: *peccavi! Jerob.* Confiteor! deprecor! prostratus ad clementiæ solium promitto supplex, ô magne Deus! ruent profana Numina, ibunt in cineres vituli, uni tibi victimas omnis Israel dabit, si modò placatior meæ domui, strictum gladium vaginæ reddas. *Ah.* Iterum *in conditionem* relaberis miser! quid sibi vult istud *si?* Ah! pœnam quereris semper, de pœna plangis! non est iste sinceræ pœnitentiæ spiritus. *Peccavi Domino!* sic planxit David: *de culpa* doluit, *de pœna* siluit. Exemplum habes. Eja sequere, & *gratias age*, quando præter culpam remittere supplicium etiam optimus Deus volet: si nolet, *tolera!* hic animus bonus est. Et denique quid facias? Si Deus revocare sententiam renuat, velis, nolis, ferre pœnam, necesse est: *non evades:*

des: Intereſt,ut *pœnitens* malis, quàm *contumax* ferre. *Nadab.* In furias iſte me ſermo agit! & Patrem video patientem, imò proſtratum video, ſupplicem, flentem! dic, Propheta inhumane, tanta ſubmiſſio Regis non movet Numen? *Ah.* Homo videt, quæ parent: Dominus autem intuetur cor: odit hypocriſin. *Baaſa.* Inferi facerent, ut eſſem Rex, ego te ſilicernium audax victimam ſtygi darem! nam quas offucias audio? Et quo iſti argumento iram alicujus Numinis, Rex, probant tibi? Bellus Propheta es! interrogaris: Quis percutiet domum Jeroboam? Reſpondes: neſcio! urgeris: Si evertentur poſitæ vitulis aræ, num parcet Deus? repetis: neſcio! palpo craſſa, deliria dicam, an mendacia ſenis, etiam neſcio. Sed omittite curam, Principes, occurrit conſilium, quo ego faciam, ut in lucem veritas prodeat, & diſſipet atras nubes, ſi modò liceat ſine arbitris loqui. *Nad.* O liceat, Rex! reſtitue mihi Patrem Baaſa, & aulæ ſerenum diem: ſic amo te! reſurge Parens in bonam ſpem. *Jerob.* Quid ſperet à Baaſa, Fili, qui nihil habet, quod ſperet à Deo? *Abias.* Sic eſt: à Deo non eſt, quod ſperes, niſi decernas pœnitentiam ſine conditione, *ſine conditione.* *Baaſa.* Rectè, rectè! ergò ceſſa tu Regi moleſtus eſſe, & patere, ut, quem Deus deſeruit, homo adjuvet. *Aram.* Quid iterum audio? Rex, ego Baaſæ non fiderem. Qui ſic de Deo loquitur, aut miſerabilem Deum adorat, aut verius nullum, præter fortunam, & caſum: & fieri poſſit, ut fidelis ſit tibi? ignoſce Baaſa, ego tibi non fiderem. *Baaſa.* Nadabe Princeps, non dixi jam, hoc agi ab his, ut Rex diffidat fidiſſimis ſibi? ô lingua audax! ſed audiar modò, & intra horam patebit, quis ego ſim, qui ſitis vos: ſic ulciſcar hanc contumeliam. *Nad.* Nimirum vis, ut per tormenta cogatur ſenex nominare virum, qui nobis inſidias facit? *Baaſa.* Tormenta teſtimonium incertum habent: ego certius dabo. *Jerob.* Et quod me juvet? *Baaſa.* Non eſt dubius eventus felix conſilii mei, modò audiar. *Jerob.* Audio: locum date. *Baaſa.* Interim iſtos Zara cuſtodiat, donec aliud

decre-

decreverit Rex. *Jerob.* Sic volo: ſic cogis, Ahia! non potes conſulere quidquam, quod mihi proſit: ſupereſt, ut ipſe conſulam. *Ahias.* Omnino. Conferte conſilia Prudentuli, ut evadatis, quod metuitis malum! ſapitis ſupra Deum! *Aram.* Baaſa certius loquetur oraculum! *Baaſa.* Experieris. *Ahias.* O tumor hominis! ſed non eſt prudentia, Rex, non eſt conſilium contra Dominum: ego bonum ſuaſi: utinam perſuaſiſſem! ſed tu ſemper times malum pœnæ, & de malo culpæ non doles: graviſſimè erras! *timor* nihil prodeſt, *dolor* prodeſt, dolor, dolor, & pœnitentia ſine conditione, *ſine conditione.*

SCENA VI.

Jeroboam. Nadab. Baaſa.

Jerob. AUdivi. Baaſa, quod aliud tu remedium habes? *Baaſa.* Efficax, & cujus uſus ſic proderit vobis, ut deſinatis metuere hos latratus, quia ego, ſi veritas aliqua minis Ahiæ ſubſit, periculum omne diſcutiam. Quid ſuadeam, paucis doceo. In lucum pergamus: ibi pro Regiæ familiæ ſalute ſacrificium ſolemne vitulis fiat: aſſiſtant aulæ & urbis Primates omnes: ſi quis abſit, reus læſæ Majeſtatis, & affectatæ tyrannidis ſiat. *Jerob.* Quorſum iſtud? *Baaſa.* Scilicet, ut intelligas, Rex, quod Ahias ſiluit, quis ſit, à quo impendeat exitium domui: nam ut innoteſcat Auctor ſceleris, Summa cautelæ eſt, quæ ab homine poni poteſt contra imminens malum. Innoteſcet autem, cùm immolabitis, niſi vehementer me animus fallit. Quid enim futurum ſit, videte, & vos verba ſenis expendite. *Conſtituet,* ajebat, *conſtituet Dominus Regem ſuper Iſrael!* quæro: quis Dominus? utique Deus Iſrael: quem conſtituet? utique vindicem ſui contemptûs, quòd vitulorum cultum invexeris Regno. Infero: ergò conſtituet virum addictum ſibi, & vitulis infenſum: ſequitur: ergò qui vobis inſidiatur, in ſolemnitate idolis ſacra non comparebit. *Nad.* Et, qui

non comparet, vis dicere, seipsum prodet: Divinum consilium est. *Jerob.* Quòdsi omnes compareant? *Baasa.* Concludes, falsum oraculum esse, & ad ciendas turbas excogitatum, ut Regi Asæ obsequium fiat. Accedit aliud commodum. Vulgata in urbe victoria, qua debellavit Æthiopes Asa, & eadem occasione per Legati comites laudata pleno ore potentia Dei, quem Asa colit, grave potest periculum trahere. Credula plebs, & aurâ mobilior concipiet desiderium revertendi ad Deum suorum Patrum: desereris Rex, aut quod suspicor, ne Ahias prævideris, occideris: Asa percutiet domum Jeroboam, & erit Rex super Israel. Tanto malo maturè occurritur, si per præceptum immolandi vitulis auferas Duces civibus, quorum consilio ad res novandas juvari possent. *Nad.* Rex Pater, nemo potest sapientiùs loqui. *Jerob.* Est, quod dixit Aram. Quàm prudens & fidelis es servus, Baasa, tam parùm video Religiosum. Heu! in certius exitium ruo, si tibi obsequor. Nam si sacrificium vitulis facimus, utique *peccatô novô* incendimus iram Numinis, & ut ulciscatur celeriùs, temerè provocamus. *Baasa.* Peccatô novô! quid vocabulum horres! fortè nec datur Deus, saltem qui attentus sit nobis. *Jerob.* Ego sentio attentum mihi. *Baasa.* Detur igitur, non disputo. At ego non peto, Rex, ut sacrifices hoc animo vitulis, quòd insultare Deo velis, quem times: sacrifica, quia sic expedit tibi: sic non offendes. *Jerob.* Malè infers. Quocunque animo agam, si ago, quod Deus prohibet, protestatio est contraria facto, peccatum facio, offendo. Hoc mihi Ratio loquitur. *Baasa.* Igitur etiam dabo hoc, ne de nomine litigem, dabo, quòd sit peccatum novum, si vitulis rursum immoles, sed quid tum postea? erit *peccatum utile* tamen, imò peccatum hodie *necessarium* tibi, atque quod caput est, peccatum, quale committes *adhuc semel*, deinde nunquam ampliùs. Certè, si erit hoc tibi peccatum felix, deinceps non tenebo te, Rex, quo minùs à vitulis redeas ad Deum Israel: imò fortè Baasam etiam exemplô ad ipsum trahes. *Jerob.* Benè dicis: si erit

pec-

peccatum felix. Quis autem mihi ſponſor boni eventûs ſit? *Baaſa.* Præſente Baaſa vim audeat aliquis Regi facere? lucum omnem circumdabit miles meus, ne quis ſe moveat: quod periculum metuis? *Jerob.* Tu mihi non ſufficies contra Deum. *Baaſa.* Sufficit, quòd ſufficiam contra homines: nam ab homine malum imminet tibi, ſi ſeni credis: homo percutiet domum Jeroboam. Cæterùm age, quod vis. Ahias ne quidem pœnitenti ſpem effugiendi interitûs facit, ego viam certam oſtendo etiam peccanti: quem debes audire? *Nad.* Quousque altercamur? ego eo, Pater, & fratres, nepotes, totam domum in lucum evoco. *Jerob.* Quò rapior? novo ſcelere offendam DEUM Iſrael ea die, qua placandus eſt maximè? *Nad.* Offendimus *adhuc ſemel,* deinde non ampliùs. Non eſt res tanti, reliquo cumulo adjicere *peccatum unum*: eâdem pœnitentiâ ſimul cum reliquis poſtea etiam hoc delebitur. *Jerob.* Fortaſſe quidem. At verò ſæpe *proximum* peccatum *poſtremum* eſt, quod cùm admittitur, *plena menſura* fit, & ſpes veniæ perit. *Nad.* O moleſta diſputatio! Ergò opprimi te, & filios, & nepotes vis? ut canes nos devorent, feres? ſic amamur!.. audio ſuſpirium bonum! ſentis Rex, quòd ſis Pater! *Jerob.* O lucta gravis, quam duo timores movent, timor Dei, & timor hominis, quem Deus occultat mihi. *Baaſa.* Timor uterque ceſſat, ſi per vitulos diſcas, quis ſit timendus. Decerne tandem! *Nad.* Decerne! proderit, & eſt neceſſe. *Jerob.* Quia cogor. Ite! in lucum imus. *Nad.* Vive Baaſa, victores ſumus! *Baaſa.* Vive Rex! admoneo Zaram, ut militem cogat. *Jerob.* Ignoſce Deus Iſrael! adhuc ſemel vitulis curvo genu: tu adigis! ſed *adhuc ſemel,* deinde non ampliùs. *Nad.* Tibi me Baaſa debeo. Tu in hac nocte ſtella es mihi, ad cujus fulgorem felix navigo: fulgere perge! non errabo, niſi cùm occides tu.

SCENA VII.

Baasa. Zara.

Baasa. EGo oriar, cùm te occidam. *Zara.* Longum colloquium fuit. Captivi mei miris interim se angunt modis, & artes Baasæ metuunt: Ahias Pœnitentiæ consilium à te everti dolet, Aram suæ legationis fructum queritur à te succídi. *Baasa.* Quid respondisti ad has querelas? *Zara.* Cum dolentibus dolui,& credunt simplices inimicum me esse Baasæ, ideóque rogârunt etiam, ut explorare, si possem, vellem, quo tu consilio Regem solatus fueris, nempe ut agerent certiùs adversùm te. *Baasa.* Igitur ex arte tu intelligis artem, qua decipimus homines, quando ne Propheta quidem divinare arcana potuit vafri cordis. Et ego providum cœlum laudo, quod me non prodidit fatidico seni. O Superi boni,quo ego merui bono hoc tantum bonum! Ego, ego sum,ô Ahia, si nescis, ego sum, quem constituit Dominus Regem super Israel, qui percutiet Domum Jeroboam in hac die, &in hoc tempore, ego sum! certum est: ita mihi hic animus loquitur. Væ nobis,Zara, si, qui locutus Ahiæ fuit,sicut prædixit ruinam,sic nominâsset Auctores. *Zara.* Poterat certè, & ego trepidavi totis artubus, cùm jussit Rex, cum cohorte abire me, ut Prophetam etiam invitum adducerem. Væ tibi! væ Baasæ! clamabat hìc intùs aliquid. *Baasa.* Rideo, quia nescio, me magìs, an te descripseris. *Zara.* Tunc dixi mihi: profectò datur Deus, & Deus attentus nobis, qui ipsum cor, & renes inspicit: quis enim alius nostra consilia detexisset Ahiæ? sic disputans mecum, multis precibus oravi Numen illud, ne cum consiliis etiam Consiliarios proderet. *Baasa.* Heus tu, de his loquemur aliàs. Nunc dic, an idem sis? *Zara.* Ex asse devotus Baasæ. *Baasa.* Pretium devotionis ingens feres,cùm ero Rex. *Zara.* Nihil ista memora: erit hæc summa merces, placuisse. Unum

quæ-

quæro, cogitatum scelus sciri à Deo Israelis an adhuc ambigas? *Baasa.* Sciat. *Zara.* Igitur idem DEUS etiam Auctores sciet? *Baasa.* Sciat quicunque DEus, modò non sciant homines, priusquam perficiam. *Zara.* DEus autem hæc sciens omnia, an favere consilio potest? *Baasa.* Zara, modò non obsistat DEus: ut faveat, non est opus. Cæterùm Ahia teste, si cœlum non probat modum consilii, certè eventum probat. *Zara.* Vis dicere: Jeroboam à cœlo damnatus ad mortem est, nos sumus executores sententiæ. *Baasa.* Rem dicis: & erit executionis præmium mihi, titulus Regis. Ut me vox ista afficit, & tres litteræ sonum quàm gratum faciunt, *Rex!* O digna vox, quam omnibûs periculîs meam velim! propera, Zara, propera! hodie perficiendum negotium est. *Zara.* Principes tribuum jam aurô tibi, & magnîs promissîs emi: quid vis, ut fiat insuper? *Baasa.* Dixissem pridem, nisi tu inanibus quæstiunculîs divertisses à proposito. Nempe consortium cum Ahia has tibi de Deo inutiles curas peperit. Posthac hæc tibi morum regula inter cæteras esto: *Si vis, ut vita hominis jucunda sit tibi, homines divinos fuge.* *Zara.* Notavi: quid porro jubes? *Baasa.* Porro volo, ut Ahiam cum Aramo occultâ viâ dimittas ex aula, & jubeas in lucum ire. *Zara.* Quid agant ibi? *Baasa.* Antequam Rex veniat, ibi adsint, ut videant, quid agat Baasa, & oculis usurpet Propheta vaticinii eventum sui. Nempe, Zara, ut sacrificent vitulo, persuasi Regibus per spem, sic cognoscendi Actorem funestæ cædis, quam metuunt sibi: sed Sacerdotem Jeroboam se credit fore, & erit victima. Ut Spectatores hujus spectaculi Ahias & Aram sint, tu efficies. *Zara.* Facilis cura est. Cùm de colendis vitulis Ahias audiet, incensus zelô in idoli ruinam ibit. *Baasa.* Eat! tu postea, cùm advenerit Rex, cinge militibûs lucum, ne quis evadat. Deinde cùm dabo signum, conclamate, quod valles ac montes repetant: Vivat Rex Baasa, vivat! & ad hanc tesseram invadite

damnatum gregem, quem quisquis tueri audet, simul pereat. Sic facies opus, Zara, quod Baasa laudet. *Zara.* Quò ducis, sequor. Vive! regna!

CHORUS.

Ostenditur, quòd *peccatum utile* sit Chimæra.

Gratia. Phantasus. Somniantes.

Gratia. VAh! infelix gratia! sic vincat me Phantasus? (*)
Nam, quoties jam redeo conatu irrito!
Ille auditur: illi creditur: ego rejicior!
Tanti æstimor!...
Phantas. Ita est, credite, ita est:| hæc *dabo omnia,*
Si *cadentes* adoraveritis ista Numina.
Gratia. Numina? *nomina!* .. & quid sunt hæc *omnia?*
Phantas. Montes aurei!. Campi Elysii!.. honorum fastigium!
Gratia. Vana, inania, stolida *somnia.*
Phantas. Holla! quæ iterum crepas convitia,
Dicax muliercula!

Aria.

1.

Somnia non omnia
Visa sunt errare:
Quare mea somnia
Cessa diffamare.

2.

Audeat, qui somniat,
Audeat peccare:
Sentiet, quod somniat,
Se non somniare.

Mera

(*) Exhibetur Dormitorium Mundi, & in eo unus dormiens sub conopæo, alter inter flores, tertius in navi.

Mera ſi deliria
Semper exhiberem,
Unde tot ſuſpiria
Erga me haberem?

Eſt *peccatum utile*
Deos adorare:
Qui ſic *cadit*, tollit ſe!
Ceſſa diffamare.

Gratia. Tenebrio mendaciſſime!
Quis enim eſt, quem non decepiſti,
Quando ſpem lucri *ex peccato* feciſti?
Aut ſi aliquod inde natum eſt commodum,
Dic: *quale fuit?* nunquid imaginarium?
Et *quàm diu?* nempe momentaneum!
Et *quid poſtea?* ſcilicet vera, longa, gravia ſupplicia
Vel præſentis temporis, vel futuræ æternitatis.

Aria.

1.

Serpentis partus ſerpens eſt:
Peccati fructus pœna eſt:
Non eſt poſſibile
Peccatum utile.

2.

Urticæ cùm ſeruntur,
Urticæ & metuntur:
Nec ſpinæ, quando creſcunt;
In uvas matureſcunt:
Nec fundit nectar vena
Draconum felle plena:
Non eſt poſſibile
Peccatum utile.

Phantaſ. Quid te fatigas, cùm nemo audit te?
Concionari dormientibus, non eſt de tempore.

Gratia.

Gratia. Atqui tempus eſt, miſeri!,
Jam vos de ſomno ſurgere. (*)
Lumen pridem accendi: Surge Endymion!..
Hem! tergum vertis iterum, crudiſſime bipedum!
Ergò extinguere lucerna gratiæ
Dormi, dormi ſtupide! nihil ultra turbabo te!...
Tu verò tandem audi me!
Ecce ſto in littore! filum porrigo: arripe!
Et huc, huc naviculam jam fatiſcentem dirige!

Somn. 2. Sine me! ſine dormire!

Gratia. Quoniam ita vis, ſino perire....
At tibi ſaltem me placet audire?
Surge! monet hora....
Eſt tertia vigilia, & jam ſurgit aurora!..

Somn. 3. Ah! dormio ſuaviſſimè: ſine paululum,
Quadrantem ſaltem unicum!...

Gratia. Sic? poſtquam toties repulſa ſum!..

Phantaſ. Vides, quòd nihil proficias? deſine! deſine!

Gratia. Bene eſt: deſino! quod facitis, facite!... (*)
Imò finis eſt! audis Phantaſe!
Sonus eſt tubæ Juridicæ!

Phantaſ. Heu me! quò ibo?
Montes, & colles cadite ſuper me!

Gratia. Fuge! fuge!.. ſic fugantur ſomnia,
Et vera falſis ſuccedunt ſpectacula!
Surgite! ſurgite mortui gratiæ:... (*)

Somni. 1. Ubi ſum? .. ſic præceps de faſtigio
In feretro evigilo!..

2dus. Prô Superi! video mergi naviculam:
Date tabulam! tabulam! tabulam!..

3tius.

(*) *Inſonat tuba.* (*) *Evaneſcunt ſomnia.*

3tius. Oh! undique in spinas me induo:
Nullibi rosas, quas somniabam. invenio! ..

Trio.

Omnes tres. Perfida somnia,
Sic me decepistis? ..
Ubi estis Numina?
Sic me reliquistis? ..
Heu me! ...
1mus. Sic solium in tumulum
Se subitò convertit! (*) *Fructus peccati*
3tius. Gustavi mellis paululum, (*Mors,
Et ecce! hoc me perdit! (*) (*Morbi.
2dus. O fortunatæ Insulæ!
Vix vidi solum bonum:
Jam semi-vivum cerno me
In Insulis latronum! (*) (*Miseria.
Omnes. O maledicta somnia!
O Numina inania!
Sic me decepistis!
Sic me reliquistis!
1mus. Tristis mors!
2dus, & 3tius. Dura sors!
Omnes. Heu!

Gratia. Hoc habetis .... Quod non credebatis Gratiæ,
Credendum fuit denique Experientiæ:
Non datur, non datur peccatum utile! ...

Aria.

Datur DEus:
Ille meus
Semper vigil Ultor fit.
Nemo ſpernit me impunè:
Nullum ſcelus eſt immune:
Semper pœna comes it.
Si differtur,
Non aufertur:
Lues petulantiam!
Ego, ego accuſabo,
Et vindictam inclamabo!...
Time, *time Gratiam!*

PUNCTUM II.

Tantæ Ruinæ miſerabilis Modus.

SCENA I.

Ahias- Aram.

Ahias. ADſum. Firma Regnator cæli ſenilem animum, & pio conatui bonum effectum tribue! .. vah! atrox ſpectaculum! ſtat ara vitulo in contumeliam Dei mei, & ego videam ſiccis oculis? vitulo cadet victima iterum, & hodie cadet: ſic veſtras, Superi, Jeroboam minas timet! ... O bona ſpes, quàm læto radio illuxeras mihi! ſed fulgur fuit, quod momentô diſparuit. Jam tremuit miſer, jam faſtum in genua ſubmiſit tibi, ô DEus magne, jam de pœnitentia cogitare cœpit: cùm ecce! Baaſa in ſcelus novum præcipitat imprudentem! *Peccatum* ſuadet! & eheu! contra omnes conatus meos perſuadet: *utile* conſilium

silium dicitur, quanquam sciatur esse *impium*. O lingua pestilens, utinam computruisses in faucibus scelerati Consiliarii, priusquam infelici Regi tam atrox venenum afflâsses!.. *Aram.* Ahia non fefellit nos Zara. Vidi ex latebris pompam impiam: ingens turba est. Primum agmen Zara, ultimum Baasa ducunt, medium tenet Regis familia, quam Principes circumdant, & Popæ ignem ferentes, & enses, & vasa: sequitur pinguis aries, quem cornibûs aureîs, & plexâ ex floribus coronâ superbum quidam juvenes trahunt. Zara ùt extima silvæ attigit, in circulum disposuit suos: Baasa deflexit à via, credo, ut ex parte oppositа nemus claudat. Rex cum suis huc rectà se movet. *Ahias.* Et omnes Principes secum habet? omnes vitulo flectent genu? *Aram.* Quisquis steterit, erit victima: nihil dubito. Sic enim narravit Zara, & hoc Baasæ consilium fuit. *Ahias.* Ingens prudentia est!. sed datur DEus, Aram, *qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat.* Jam olim Propheta Addo hoc ipso in luco Jeroboamo sacrificium vitulis immolanti obstrepuit: extendit ille manum, ut virum Dei necaret, & manus exaruit, altare dissiliit, effusi sunt cineres, apparuit, Numen iraſci sceleri. Sed nimis misericors ira fuit: itaque ùt deprecanti restituta est manus arida, simul restitui vitulo dejectum altare jussit ingratus, velut ab idolo, & non à Deo Israel venisset beneficium sibi. In novum Pharaonem incidimus, qui dura cervice, & pingui collô contra Omnipotentem insurgens clamat: *Nescio Dominum*! sed ego ad correctionem stultitiæ ultimum admovebo arietem: fortè felicior, quàm Addo, ero. *Aram.* Ut metuo grave malum. Quia tamen sic fixum est animo tibi, procede fortis: testem generosi facinoris Aramum habes, & eundem periculi socium. *Ahias.* Nihil metue tibi. Legatum jura gentium securum reddunt. *Aram.* Qui jus Divinum spernunt, jus gentium audient? *Ahias.* Passim vides, humana præcepta studiosiùs, quàm Divina servari. Quidquid futurum est, beati sumus. Si vin-

mus. Deus triumphat: si cadimus, DEO cadimus: non possumus glorioſius mori. Effervet ſanguis, & juveneſcit, Aram, ut pro Numinis honore calidiùs fluat. *Aram.* Quousque moraris igitur! irrue, & everte Altare ſacrilegum! *Ahias.* Nondum, amice! nam ſpectatrix aula ſit, eſt neceſſe, ut intelligant, in medio nationis pravæ non deeſſe, qui audeat deteſtari palam commune ſcelus. Aram, hæc eſt magna gloria noſtri Dei, quòd animum ſuis tam magnum tribuat, ut vir unus audeat adversùs mille pugnare.

SCENA II.

Ahias. Aram. Zara.

Zara. VIdeo, quos optabam. Spectaculum dabimus, quod vos oblectet. *Ahias.* Inſultat Zara? ut impediam ſacrilegium, huc me extuli, non ut videam. Me vivo, ſacrificium hodie nullum fiet. *Zara.* Imò te vivo fiet, quale factumeſt nunquam. Sed dicite mihi, non hac fugientem Jeroboamum vidiſtis? *Ahias.* Fugientem? *Aram.* Jeroboamum? *Zara.* Fugientem ajo. At quocunque abdiderit ſe, non effugiet. Silva omnis cincta indagine tigridem cum catulis claudit, & paulatim circulus in arctum coit. Nunc ſcies tu, quod neſciſti: ſcies quem conſtituerit Dominus Regem ſuper Iſrael, ut percutiat Domum Jeroboam in hac die. *Ahias.* Heu! quid loqueris Zara? *Aram.* Nuda arma loquuntur, quod tacet: conjuratio, conjuratio eſt! *Zara.* Imò venatio eſt, qua nulla poſſit eſſe jucundior. Vivat Rex Baaſa, vivat! *Ahias.* Baaſa, inquis, Baaſa ſe Regem dicit? ô juſte Deus! *Aram.* Et Zara rebellem adjuvat? *Zara.* Tyrannum perdimus. Excutio latebras, in quibus ſe fruſtra occulit miſer. *Ahias.* Baaſa ſe Regem dicit, ille fidelis Baaſa, cujus conſiliis & tutelæ tantâ ſe fiduciâ commiſit Jeroboam! hoc habent Reges, qui ſperant fidelem ſibi Miniſtrum fore, qui non eſt Deo. *Aram.*

O ſpes

O spes inanis! qui enim non colit Deum, quamdiu colet Regem? *propter se* Regi servit: ergò servire desinet, cùm erit commodum sibi. *Ahias.* Jam intelliget infelix, quid *expediat*: putavit miser, ut Numinis irati fulmen effugeret, *utile peccatum* fore! & melius esse, novo scelere offendere Deum, quàm deprecari!

SCENA III.

Baasa. Zara. Ahias. Aram. Nadab. Jeroboam.

Nad. HEu! quò me recondam? Vir Dei juva! *Ahias.* DEUS Israel te juvet Princeps! ad Deum fuge! *Nad.* Baasa, Zara, amici, quò abiistis? *Aram.* Ah! quos inclamas non audiunt te! *Nad.* Ahia! periit Domus Jeroboam! proditi sumus! ingressos lucum deseruerunt Principes tribuum ad clamorem immanem, qui, nescio, unde se extulit. Dispersis illis, undique tela volant in nostram necem! fratres mei percussi miserè, vix trahunt animam: Rex Pater fugit: quid ego faciam? ô Baasa! Baasa, tuere me! *Ahias.* Quò te proripis? mane! ego defendam te! *Zara.* Nisi fallor, audivi Nadabi vocem: quò se subduxit? at ecce! ipse hac Jeroboam prodit. Ut pallet! ùt fremit! irruam? .. *Jerob.* Vos adestis? & tu, amice Zara! spes bona redit. Jo! age, tuere Regem tuum! duc in proditorem! nomina, quis est, qui aulam & cives concitavit adversùm me! ubi est? inultum saltem ne mori sinas! *Ahias.* Ah! fuge Rex, & quà potes, absconde te! Baasa regnat! *Jerob.* Baasa regnat! siles Zara? ergò vertatur orbis! ruant in montes flumina! aretur cœlum! redeat antiquum chaos! rebellat amicus mihi! *Ahias.* Perfidiam DEus perfidiâ punit. *Jerob.* Impii! scelesti! infames transfugæ! sic vestrum vos Regem colitis! *Ahias.* Sicut tuum tu DEum colebas. *Jerob.* Hæc fides est, hæc religio juramenti? *Ahias.* Pœna talionis. *Jerob.* Heu! video scelus meum! dixisti verum, Ahia, perii! & pereunt omnes mei! *Ahias.* Nunc saltem, Rex Ahiam

audi! clama: peccavi Domino! prorue idolum turpe, quod tibi tanti est mali causa. *Jerob.* Irrides! nam non in ipso conatu obruar? *Ahias.* Saltem in conatu glorioso, saltem pœnitens. *Jerob.* Serum consilium est: non sum dispositus. Tu potiùs, sceleste latro, da pœnas mihi, ne solus in stygem abeam. *Zara.* Furis Jeroboam, & ultrò provocas? en! adest Rex! si sapis, arma abjicis, & vitam supplex exoras tibi! *Jerob.* Aspectus feralis! congredere cum Domino serve impie! *Baasa.* Bona verba Jeroboam, bona verba servare te possunt: si feris, peris. *Aram.* Me pono medium. Rex fuge, in fuga salus! Asa servabit te! *Jerob.* In ludibrium servor! *Baasa.* Fuge, fuge! qui ludibrium fugis, in mortem incides. At tu desine minas, Aram, si amas te! Zara mecum.

SCENA IV.

Jeroboam. Ahias. Aram.

Ahias. O Rector orbis, quàm nulla est in humanis consiliis fides! *Aram.* Minùs in sceleratis, in quibus tamen tam multi ponunt fundamentum votorum suorum, velut si sperari felicitas posset aliqua, invito te! *Ahias.* O tristis dies! amice, timeo, ne jam cum Patre Filii ac nepotes venerint in manus crudelis Baasæ! O sancta Nemesis, sic scelera punis per scelestos, quos iterum punies! *Jerob.* Heu! immane vulnus! telum atrox! Ahia! Aram! *Aram.* prô! qualis occurris Rex! *Jerob.* Emissum nescio cujus manu ferale telum cum stridore perrupit pectus: diffregi lignum, cuspis fatalis hæret: valete! morior! *Ahias.* Manus omnipotentis sic ferit Rex: agnosce manum! verere tandem! *Aram.* Patere ligari vulnus! *Jerob.* Dixi: cuspis hæret: actum est! sentio manum gravem! *Ahias.* Et graves offensas doles? *Jerob.* Vulnus doleo! Regnum, amicos,

cos; Filios, Nepotes, vitam perire doleo! *Ahias.* Ne simul anima pereat, de culpa dole! dic: Miserere mei Deus! confiteor! doleo! deprecor! *Jerob.* Jam viscera turbat mors! heu! amara mors! *Ahias.* Miserere magne Deus, magni peccatoris! *Jerob.* Scelestę Baala! *Ahias.* Baasam Deus puniet, te punit modò: de te cogita, ut pœna tua medìcina sit tibi. *Aram.* moritur! torquentut oculi, & spumas eructat os. *Jerob.* Conspuo inutiles Deos, exitii fontem mei! *Ahias.* Sic bene Rex! & DEum verum, DEum unum, DEum tuum offendisse te doles? *Jerob.* Heu! dolor atrox! amici; omnia perdidimus! Habe tibi exosam animam vindex Numen! habe! crucia! *Ahias.* *Aram.* Miserere! *Aram.* Expiravit. *Ahias.* Finiit vitam, utinam & pœnas finierit!

SCENA V.

Accedunt Nadab. Baasa. Zara.

Baasa. AUdivi gemitum: ictus fuerit. *Ahias.* Salve flagellum DEI! quoúsque sævies? *Baasa.* Placet titulus: flagellum sum, instrumentum furoris Domini. *Ahias.* Quod tamen, postquam usus fuerit Dominus, in ignem abjiciet: metue tibi! *Baasa.* Tu tace modò: persequor, quem DEUS odit. *Aram.* Jam illum percussit Dominus, & mortuus est. Viden', ùt grandi vulnere hiat pectus! *Baasa.* Lætum spectaculum! *Zara.* Rex Baasa, vive! *Ahias.* O res humanæ! huic acclamant vitam, dum iste moritur! *Baasa.* Zara, quot numeras funera? *Zara.* Novem. Solus adhuc Nadabus latet: sed non evadet. *Nadab.* Vocem audio amici Baalæ! Baasa Nadabum juva! *Ahias, Aram.* Ah! fuge Princeps! *Aram.* In manus inimici teipsum tradis. *Baasa.* Viperæ progenies vivat? huc verte oculos! *Nadab.* Te, video Pater!

ter! scindere in partes pectus! *Zara.* Scindam? *Baasa.* Mihi debetur iste! *Nadab.* Heu! hoc mihi Baasa! *Baasa.* Hem! rursum effugiet! retrahe! feri! macta! *Nadab.* Maledicte Baasa! infande latro! en! obvium pectus fero! satia furorem ferox! *Baasa.* Habet. Nunc triumpho. *Aram.* Impletum est oraculum triste *Ahias.* Sapite hoc aspectu, qui contra DEum sapitis! ecce! *peccatum utile!*

MEDITATIO II.

PECCATUM
MALUM SUMME TURPE
SIVE
NABUCHODONOSOR.

ARGUMENTUM.

MAlum *summè turpe* Peccatum vocamus, quia non damna solùm fortunis, familiis, vitæ ipsi immania, ultimáque, ùt nuper vidimus, sed etiam pudorem, infamiam, & omne *dedecus* ferre solet, tunc maximè, cùm per medium Deo tam execrabile volumus *honorem* tueri, vindicare, urgere. Expertus est Nabuchodonosor Babyloniæ Rex, in quo impletum est *ad litteram* Divinum Oraculum Psalm. 48. *Homo, cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Cùm enim adorari statuam vellet, quam sibi

ſibi ùt Deo erexerat, & in magnificentia ſuorum operum vanè nimis ſibi complacuiſſet, caſtigatione terribili *ex hominibus abjectus eſt*, ùt loquitur ſacer Textus Dan. 4. *Et fœnum ùt bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum eſt, donec capilli ejus in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & ungues ejus quaſi avium.* Attamen poſt ſeptem annos reſpexit illum miſericors DEUS, nempe jam demiſſiùs de ſe ſentientem: reddidit illi figuram hominis, quam ademerat, regnóque reſtituit, quo exuerat, ſed ita mutatum, ut meritò dubites, quænam metamorphoſis mirabilior fuerit, prior corporis, an poſterior animi. Certè notat Tirinus in c. 25. l. 4. Reg. quòd filium Evilmerodachum, ſive Balthaſarem repoſitus in ſolio Nabuchodonoſor propter malam Interregni Adminiſtrationem in carcerem conjecerit, in altero non eſſe ferendum ratus, quod pœna tam horribili DEus in ſe punierat. Erit igitur hujus 2dæ Meditationis

Materia: Nabuchodonoſor pudenda metamorphoſi confuſus.

Puncta duo: Primum, Pudoris acerbitas.
Secundum, Salubritas.

Fructus: Deteſtatio impii axiomatis: *Quid dicent homines?*

Propoſitum: Fuga peccati, etiam cùm ad peccandum aut *ſpes gloriæ* invitat, aut *metus dedecoris* impellit. *In ſpecie* decernamus, *Punctum honoris noſtri* in eo conſtituere, non, quid de nobis homines dicant, vel ſentiant, ſed quid judicet DEus, qui ſolus *infallibile judicium* habet, quod eſt regula veri honoris, ùt à fucato diſtinguitur.

In Choro. Oſtenditur, Peccatori alterutrum eſſe inevitabile, aut *confundere ſe*, aut *confundi.*

PERSONÆ.

Nabuchodonoſor Rex.
Daniel Propheta.
Aſaël transformato in belluam Regi Cuſtos à Daniele datus.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad Præsentem.

Fides. Ratio.

Ratio. FIdes, vicisti me!
Assentior: *non datur peccatum utile.*
Vel enim punit DEus, vel non punit me?
Si punit, semper pœna major est commodô;
Quod ex peccato habeo:
Si non punit, *punit maximè*,
Quia pœnæ temporalis *dilatio*
Est æternæ *intentatio*,
Aut, quod me docuit infelix Jeroboam,
Utriusque *geminatio.*
Convincit me hæc Ratiocinatio.
Fides. Supereſt, ut practicum eruas corollarium.
Ratio. Colligo: *Ergo ſpe lucri peccare,*
Eſt ſtultè ſperare.

Aria.

Inſanii, cùm credidi,
Invito te, ô DEus mi,
Felicem fore me!
Offenſo te, à ſcelere
Levamen ſortis quærere
Non prodeſt animæ.

2.

Ad tempus ſi diſſimulas,
Non tamen minùs vigilas
Divine ocule!
Heu! cenſus, cenſus duplices
De malè partis exiges:
Non eſt ſpes veniæ.

Fides. Rectè deteſtaris malum extremæ dementiæ,
Quæ tibi neceſſitatem impoſuit inevitabilem
Aut ferendæ *pœnæ*, aut agendæ *pœnitentiæ*.
Ut deteſteris ampliùs,
Tantis incommodis jam adde *dedecus*,
Et, quæ ex peccato, præter damna maxima,
Fluat infamia,
Conſidera.
Non fallit oraculum: *Qui malè agit, odit lucem.* Jo. 3.
Et illud alterum:
Qui contemnunt me, erunt ignobiles, 1. Reg. 2.
Et tertium: *Omnes, qui derelinquunt te, confundentur, Recedentes à te, in terra ſcribentur.* Jerem. 17.

Aria.

1.

In terra ſcribentur!
In Cœlo non ſcientur,
Qui *contra Cœli Dominum*
Audacter caput impium
Efferre non verentur:
Quanquam ſesqui pedalibûs
Sint ſcripti *Characteribus*,
In Cœlo non ſcientur.

2.

In terra ſcribentur!
In pulvere legentur,
Qui, ſi ad ſedes nubium
Ventorum *per ludibrium*
Interdum attollatur:
Ceſſante flatu concidit,
Sequente imbre, *lutum fit*:
Diſparuit! *calcatur!*

Ratio. Tangis punctum momenti maximi! ..
Juvate Superi!
Ut, ſicut nuper didici peccatum *metuere*,
Sic *erubeſcere* diſcam hodie!
Fides. Diſces *ex Nabuchodonoſore.*

Aria

Ratio. Ergò Pudor, ſancte Pudor
Imple venas!
Pinge genas!
Impudentis tange mentis
Frontem meretriciam! (*)
Fac me erubeſcere
Meam ignominiam!...
Mæſti vultûs *rubor multus*
Bonus color! ..
Per hunc dolor
Tabe fœda ſqualidæ
Formam reddit animæ:
Pudor, ſancte Pudor!
Fac me erubeſcere.

(*) *Frons meretricis facta eſt tibi: noluiſti erubeſcere.* Jerem. 3.

ME-

MEDITATIONIS II
De pudenda Metamorphoſi Nabuchodonoſoris
PUNCTUM I.
Pudoris acerbitas.
SCENA I.
Nabuchodonoſor ſolus.

ABjit!... Abibo ego etiam: vale funeſta ſpecus, humanæ belluæ ſeptennis habitatio, vale! Redibis Aſaël, inquires in Alumnum tuum: ſed non invenies ampliùs. Poſtquam ex bellua in hominem reverſus ſum, jam neque cuſtode indigeo, neque nutritio. Ibo in avia: alias latebras quæram, ubi nullus me homo inveniat: ibi radicibus, & herbis me ſuſtentabo: potum aqua, terra cubile dabit: Aſſuevi durè vivere. Succedat pœnitentiæ coactæ pœnitentia libera de tot ſceleribus, quibus offendi Numen tuum, DEus Altiſſime, ego Nabuchonoſor Rex. Ah! Rex!.. hem! liqueſcunt in lacrymas oculi poſt ſeptem annorum ſiccitatem: Omen bonum! hæ pluviæ lætam meſſem præſagiunt. Aperi cataractas cor meum, ut flumen perpetuum plenô alveô fluat! trude ſuſpiria pro mugitibus pectus, & *de profundis* urge guttur in lamenta, quæ nubes penetrent, & cœli Dominum moveant ad miſerendum: *Miſerere* Domine! ſic caſtigatione horrenda, ſed miſericorde caſtigatus clamat ad te Nabuchodonoſor Rex: *Miſerere!*.. Quid agis incauta lingua! clamore te hominibus prodis, tace! homines ego fugio: DEus ſolus me

videat, ſolus me videat, ſolus audiat! fugio... Cur tamen homines fugio, poſtquam iterum factus ſum homo? aut num fefellit me Aſaël redditam formam hominis tam humaniter gratulatus? non fefellit: erectus in pedes gradior, non ultra video capillos aquilarum, non ungues avium habeo, non prominet rictus bovis: pedes, manus, brachia, pectus humana ſunt: frons, oculi, vultus ſi belluinum aliquid retinuiſſent, dixiſſet hoc mihi fons meus, in quo quoties bibi, toties me exhorrui. Nunc ô quàm diverſus proſpicio! ſum, nihil dubita anime mi, ſum, ſi modò veſtem excipias, ſum verè, qui fui, Nabuchodonoſor Rex, homo ſum. O factor meus, quid debeo tibi! flecto genua Deo, qui poſtquam proſtravit me inter quadrupedes, erexit me rurſum, ut ſurſum attollerem oculos, & intelligerem, unde ruerit fulmen in iſtud caput. Jam hoc cavendum eſt, ne iterum fiam bellua: ideò fugiendi ſunt homines, qui per ſceleratam adulationem fecerunt, ut crederem, me eſſe DEum. Fugio! certiùs inter belluas manebo homo, & ero *novus homo*, qui inter homines factus ſum bellua. Quò fugio autem? hàc an illàc? Quid hoc? (*) humanæ manûs artificia ſunt: non erro: frequens affluxus hominum eſt in locum, quem ſic ornârunt. Heu me! quot millia hominum fortè per hoc ſeptennium huc exierunt, ut viderent Regem beſtiam rore cœli infectam, comedentem fœnum, & inſtar bovis mugientem: ô pudor! ô dedecus! ô infamia! tale ſpectaculum factus ſum lixis, & calonibus ego Nabuchodonoſor Rex! quid ſenſerint? quid dixerint? Ah! non eſt dubium: in toto orbe nullus eſt ſermo, niſi de me! ex orbe fugio!.. Hem! aliud monumentum! fallor! an verè me repræſentat hæc ſtatua? Sic eſt: hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei! Sic ſteti! hoc faſtu ſupra homines intumui illâ ipsâ horâ, qua me cœlum damnavit ad beſtias. Prô! poſita eſt hæc mihi ſtatua, ut cauſa pudoris mei æternùm peren-

(*) *Circum diſpoſitas ſtatuas videt.*

perennet! .. Superi! etiam hæc imago me exhibet! omninò, auream illam ſtatuam video, in qua pro DEO adorari me juſſeram! ingemiſce cor! .. ſed homines veniunt: fuge bellua!

SCENA II.

Daniel. Aſael.

Daniel. EXplora, quid faciat: ſuccedam tibi .. *Aſael.* Eſt, quod metueram: aufugit: pudore nimio confuſus, ne videatur ab homine, timet vehementer. *Dan.* Nempe qui *punctum honoris* ſui conſtituerat olim in libertate agendi, quod libet, in abuſu potentiæ, in peccato: qui dici DEus, adorari à populis, ſævire in recuſantes ſacrilegum obſequium, credidit gloriam eſſe dignam Monarchâ Aſſyriô: merebatur, ut experiretur ſe falli, & diſceret, quantum dedecus & ſit *in peccato*, & veniat *à peccato*. *Aſael.* Mirum eſt, Daniel, veritatem hanc poſſe ab aliquo ignorari. Quis enim eſt, qui non, cùm vel de levi mendacio arguitur, erubeſcit, & excuſare laborat? Adeò ipſa natura docet, quòd peccare ſit turpe. *Dan.* Sine dubio: nam ſi turpe eſt viro *pueriliter* agere, quia *Vir* eſt: ſi turpe eſt *militi* ad gladii fulgorem palleſcere, quia *miles* eſt: ſi turpe eſt nobili ſervilibus ſe mancipare obſequiis, quia *nobilis* eſt: utique multò turpius erit *homini* non *humaniter* agere, & contra ſanæ rationis dictamen ab impetu violentæ affectionis inſtar belluæ abripi. Quia verò hæc turpitudo, quæ eſt *in peccato*, paſſim aut non advertitur, Aſael, aut non curatur, eò quòd ſperetur ſcelus occultum fore, ideò ſapiens DEus conſtituit, ut plerúmque præter dedecus, quod eſt, *in peccato*, etiam *à peccato* multa alia dedecora veniant, & honor omnis ac gloria per turpe medium obtenta in turpitudinem ac infamiam deſinat. *Aſael.* Utriusque veritatis inſigne teſtimonium Nabuchodonoſor præbet: vidimus, quàm fœdam metamorphoſin peccatum fecerit

in

in mente primùm, deinde in corpore, demum in hominum æstimatione! Periit Majestas omnis, omnis veneratio, omne obsequium: & successit paucorum miseratio, reliquorum risus, horror, fuga. *Dan.* Successit, ais, ego dico, simul introivit. Crede mihi, Asael, nullus homo *seriò* colitur ab alio homine, nisi qui Sanctus est. Exhibetur cultus politicus, quem debemus dignitati: sed ille cultus merè *externus* est: ut verus sit, debet esse *signum æstimationis internæ*, quæ certè quantumvis magna sit de aliis prærogativis Viri magni: si tamen ille peccator sit, si impotens sui, si Deo rebellis, apud sapientes viros tota concidit: Et ego talem *seriò* magni facere non possem, etiamsi centum millia coronarum gestaret in capite. *Asaël.* Propterea magnam gratiam facit DEus superbis thrasonibus, si humiliat in tempore. *Dan.* Si autem sic humiliaret omnes, uti nostrum Regem, dic Asael, quæ silvæ sufficerent humanis belluis? *Asaël.* Gemere malo, quàm respondere. Attamen Nabuchodonosor sic ictus sapere videtur, & cogitat, quis *fuerit*, quis *sit*, quis esse *velit*. Optimus DEus, cùm furori belluino tradidit hominem, tamen interdum lucida intervalla indulsit, quibus ego, sicut instruxeras me, sedulò usus fui. Tunc dicebam illi: *Nabuchodonosor Rex!* mugiebat. Pergebam ego: *Agnosce Altissimum, & confitere, quòd, qui dominatus es aliis, servire debeas Majori te.* Procidebat in pedes priores velut adorans Dominum cœli. Urgebam: *Agnosce misericordem Judicem, & submitte te pœnæ, ut sit utilis pœna!* Toto corpore procumbebat cum lamentabili murmure, quasi tergum ad flagella supponens. *Dan.* Solatium facis, quod crescet, si effeceris, ut colloqui possim. *Asaël.* Volo maximè. Sed postquam ad se rediit, solvi vincula, lavi, pexui, totondi, vestivi, nihil ambigens, ambiturum ipsum redire ad solium: Deceptus sum! afflictio septennis erudivit hominem! in Spiritu sic, ut in stuporem me rapiat. Fastidit humana omnia, pudet vitæ malè actæ: reliquam statuit solitarius agere. *Dan.* Non sinam. *Asaël.* Fugiet te, ut col-

colloqui nequeas. *Dan.* Prævidi difficultatem: ideò in silvæ aditu vestes mutavi. Venator sum: donec fera in retibus sit, non quiescam. *Asael.* Imò sinatur solitarius vivere: Securior in bonis propositis constantia est in Silva, quàm in Aula. *Dan.* Constantiæ nihil metuo: septem annorum pœnitentia peperit habitum: non erit, sic mihi animus dictat, non erit Nabuchodonosor Sanctus hebdomadalis, aut menstruus: peccavit, quod solent Reges, sed aget pœnitentiam, quæ duret, quod non solent Reges: & tali exemplô opus est nobis: indiget filius. *Asaël.* Evilmerodach? pœna tam horrida inflicta parenti non suffecit, ut contineret in officio Regem juvenem? *Dan.* Non suffecit! crescit cum ætate licentia, & jam in præcipitia impulsum à suis adolescentem nemo, præter Patrem, tenebit. Interea ne pœniteat te, Asaël, sollicitæ charitatis, quam tot annis impendisti Regi belluæ: bene collocatum tempus fuisse, hic ornatus solitudinis, hæc à te posita monumenta loquuntur. Nondum Rex vidit? *Asaël.* Dum absum apud te, nullum est dubium, quin sub oculos venerint. *Dan.* Ultimum deest, quod maximè optabam, ut in posterorum memoria tam admiranda metamorphosis perpetuò hæreat. *Asaël.* Perfectum est, & sola inscriptio desideratur, quàm modò addam. *Dan.* Hem! illinc movet se aliquis. *Asaël.* Rex est. *Dan.* Subducimus nos. Tu perge, quod agis, agere: ego audiam hìc, quo animo sit, & postea, velut casu inciderem, occupabo. *Asaël.* Ut placet.

SCENA III.

Nabuchodonosor solus.

SOlus sum: hærere licet in aspectu harum imaginum. Non erravi: video me! Quid exhibeat statua, inscriptio docet: *Ego Nabuchodonosor DEI Gratiâ Rex!* prudens correctio! *DEI Gratiâ Rex!* olim de hac gratia non cogitavi: hinc turpis illa ingrati-

tudo, de qua paveſco, & ante te erubeſco, Rex Regum, qui ſolus regnum ſæculorum, quod tenes, nulli alteri debes. Jure ſanguinis putavi mihi deberi imperium: ruditas fuit! Unde enim jus ego habui, ut regem potiùs, quàm ruſticum Patrem nanciſcerer? Gratia Dei, gratia fuit, qua ego abuſus ſum ad injuriam Dei, ad contemptum, ad rebellionem!..| Bene ſcripſiſti Aſael: nam quis alius poſuerit hæc ſigna mihi, præter te? volebas, ut mihi redditus recordarer, quis fuerim: Ah! recordor, recordor in amaritudine animæ meæ!.. Sed quid hìc lego? *Non adoramus!* memini, hæc vox heroica trium Puerorum fuit, quos ego ad rogum damnavi, & tu in mediis flammis ſervâſti illæſos, Magne DEus Hebræorum! vidi miraculum, audivi canticum, te cum illis laudavi: quamdiu? ô vecordia! iterum intumui! felicitas mea, donum tuum fecit, ut iterum obliviſcerer tui!.. Etiam hæc imago eſt nota. *Cæcus! vidi!* intelligo te, Sedecia Frater mi! tu es, quem ego captivum duxi in Babylonem, conjeci in carcerem, erui oculos, cur? quia tributum negâſti. Ergò quot ego carceres, quæ ſupplicia merui, qui Deo, quæ Dei ſunt, nunquam dedi? Tu cœcus vidiſti, quam videns non adverteras virgam vigilantem etiam ſuper acta Regum: & ego debueram ab hoc exemplo ſapere: Deſipui magìs, quia magìs inflatus ſum!.. Rurſum lego, quod me erudit: *Somnium!* Hæc ſtatua eſt, quam ſomnians vidi, & hujus ſtatuæ caput aureum ego fui: ſic me interpres docuit. Sed nempe per ſomnium fui: caſus lapilli, quem ex alto projicit omnipotens, evertit miſerabile lutum, cui ſua conſilia homo vanus imponit. O verè ſomnium, in quo nulla eſt veritas! O vanitas humanæ gloriæ! cùm dormio, placeo mihi: cùm evigilo, præter pugillum pulveris invenio nihil. O Daniel! Daniel! tu mihi hæc myſteria explicâſti, cùm prodeſſe explicatio poterat: non profuit. Utinam nunc adeſſes, nunc prodeſſet admonitio quævis. Quanquam quid loquor? Egóne præ pudore ferre poſſem præſen-

sentiam viri, sub cujus Divino Magisterio indocilis discipulus adeò nihil sapere didici, ut etiam degenerârim in belluam! .. Vah! iterum homo me turbat.

SCENA IV.

Nabuchodonosor. Daniel.

Daniel. QUò aufugis homo? siste! audi! *Nab.* Sine! sine! *Dan.* Siste, aut telô persequor. *Nab.* Imperiosus es. At non sic mecum ageres, si scires, quis ego sim. *Dan.* Modò homo sis, aliud non quæro. *Nab.* Dubitas, an sim homo? quid igitur belluinum vides in me? *Dan.* Semi-hominem certè Faunum, aut Satyrum iste habitus loquitur. *Nab.* Habitus non facit hominem, animus facit. *Dan.* Intelligo me Philosopho loqui. Dic, à quo tempore sapis? & unde sapientiam didicisti? & ubi? *Nab.* Quæstiunculis obruit: garrire non libet. *Dan.* Abibis, quò lubet, saltem si hoc dixeris mihi, an non visus sit tibi Nabuchodonosor Rex. *Nab.* Lepidus homo es, qui Regem inter belluas quæris. *Dan.* Mirùm! an enim tu non vivis inter belluas? *Nab.* Quid dicis? *Dan.* Quæro, an solus ita peregrinus sis, ut nescias, quòd Rex transformatus in belluam fuerit? Quid siles? dissimulas scire, ne urgeam nempe, ut, ubi stabuletur, significes. Verùm ego certa indicia habeo, quòd procul non absim: ibi, dicebat mihi amicus Asael, regiam feram teneri, ubi reperero monumenta quædam à se posita ex Danielis mandato, pro perpetua memoria pœnæ horrificæ, qua DEus noster indomabilem Tyranni superbiam domuit. *Nab.* Video ex Hebræis te esse: igitur lauda mecum, & magnifica misericordias Domini Dei Israel, qui restituit Regi formam hominis! *Dan.* Heu! quid audio? *Nab.* Tu exclamas? *Dan.* Tu miraris? timeo, ne redditus sibi, velit & Regno reddi. *Nab.* Jus habet, & subdi ti petent, cùm audierint, quod dixi.

Dan. dubito: hactenus enim paucos puto feciſſe vota, quibûs cœlum moverent, ut Nabuchodonoſor redderetur: plures novi, qui gratias egerunt, quòd ſit ablatus. *Nab.* Atqui, cùm regnaret, multas ego audivi ſæpe aggratulantium voces, & de tanto Principe ſibi plaudentium. *Dan.* De tanto Principe! quanti igitur tu illum æſtimâſti? *Nab.* Quanti æſtimatus fuerit, tu orbem interroga, quem gloriâ ſui nominis pœne univerſum implevit. *Dan.* De qua gloria tu mihi narras? quid igitur dicebant homines de iſto Rege? Adulatores cognomen *Magni* adjecerunt, hoc ſcio, ſed unde meruit? facinora laude digna duo ſola in annalibus Babyloniæ poſteritas leget, primum, quòd Judæos ſub jugum miſerit, alterum, quòd Babylonem ſuam magnificis ædificiis auxerit: quid autem ex his conficies? ex priore, quòd fuerit *magnus prædo*, probatur, ex poſteriore, quòd *magnus Architectus*, ex neutro, quòd *Magnus Rex*. Habes compendium gloriæ: nunc vituperia numera. Gloriam victoriæ de Judæis quanta crudelitate fœdaverit, hæc muta ſtatua loquitur, hic poſt dirutam Hieroſolymam, poſt everſum Salomonis templum, poſt occiſos innocentes filios, poſt effoſſos oculos in pædore carceris miſerè contabeſcens Rex Sedecias. In ſplendore Babylonis, quid placere oculis poteſt, quando abjectam videmus curam morum, & Politiæ? Quid eſt noſtra Babylon, quàm magnifica confuſio? confuſio in Commerciis, confuſio in Judiciis, confuſio in Officiis, confuſio in cuſtodia legum, confuſio in cura Religionis, & quod neceſſariò ſequitur, confuſa licentia vitiorum. In hac materia curæ Regi propriæ quid facere Nabuchodonoſor Rex debuiſſet, ſcio: quid facere potuiſſet, etiam ſcio: tu dic mihi, amice, quid fecerit? *Nab.* Certè appetens laudis ſemper fuit, quæ eſt ambitio laudanda in Rege. *Dan.* Aſſentior, ſi ſit ambitio laudis non falſæ. Sed noſter Rex laudari cupiebat, & vivere laudabiliter non curabat, niſi forte credidit, in

hoc

hoc *punctum honoris* sui constitui, quòd Majorum suorum omnium vitia in se omnia cumulaverit, puta, Nemrodi violentam tyrannidem, Nini effæminatam in Regni Administratione socordiam, Semiramidis indomabilem ambitionem, Sardanapali impudentem libidinem, Salmanassaris insatiabilem fastum, & avaritiam, Sennacheribi blasphemam contra Superos ipsos audaciam, ac denique Patris sui Merodachi supinam in curando bono communi, pro quo nascuntur Reges, negligentiam. *Nab.* Vales memoriâ, & eruditus Venator es tu. *Dan.* Nihil dixi nimium: sententia cœli comprobat, quidquid dixi. De hac sententia orbem interroga, sic scies, quid dicant homines de nostro Rege. Abhinc annis septem Major pars mundi ne nomen quidem scivit hominis Babylone regnantis: nunc, postquam regnavit, & ex Rege factus est bellua, ne pueri quidem Nabuchodonosorem nesciunt: tanta celebritas est, tanta gloria. *Nab.* Non nego, multa malè feciisse stolidum virum, sed pœna tam atrox potuit utique transformare hominem: hoc speremus. *Dan.* Metuo, ne & hæc spes fallat. Amice, nescis, Evilmerodachum filium regnâsse huc usque Patris nomine? *Nab.* Quid deinde? *Dan.* Dico, regnâsse etiam Patris more. Et ille tamen oculis suis vidit bovem Patrem, mugientem audivit suis auribus: quid? pœna Patris non coërcet licentiam Filii, & de Patre certò sperem correctum esse correctione vera, atque quæ ferat ætatem? .. ingemiscis, amice, nunc primùm: debebas pridem: nec enim est alia res gemitu digna magis, quàm subesse Regi, qui indignus est Regno ... insuper lacrymaris! quid dixi demum, quod sic commovit? *Nab.* Ah! nescis, cui locutus fueris. *Dan.* Fortè ipse es, quem quæro, Nabuchodonosor Rex? fugis? *Nab.* irrue atra nox, & hoc monstrum æternùm tege! ...

SCENA V.

Daniel. Asael.

Dan. FIxum viſceribus telum hæret: jam pono perſonam Aſael, & ſine larva redibo. Securè interea tu prodes me: nam crede mihi, audiet Danielem Rex, & fructu majore, quàm olim, audiet. *Aſ.* Quid audiet? *Dan.* Præcepta, & formam novi regiminis. *Aſ.* Ceſſa: ego deſpero jam, perſuaderi hoc viro poſſe, ut reddat ſe ſolio. *Dan.* Reddet ſe, crede Danieli, & habebimus bonum Regem. *Aſ.* Jam antea pudoris acerbitas ſic torſit hominem, ut videri ab homine, ingens ſupplicium crederet: nunc, poſtquam tu oratione tam luculenta demonſtrâſti, hanc eſſe labem minimam Nabuchodonoſoris, quòd transformatus in beſtiam fuerit: alia eſſe multò plura, multóque majora dedecora, quibus fama illius, & gloria obliteretur: ſcilicet conceperit deſiderium revertendi ad ſuos, quibus intellexit, tanto ſe in pretio eſſe? ignoſce, alio ego ſermone erexiſſem afflictum animum. *Daniel.* Non percipis, Aſael, rationem conſilii mei. Audi me. Ego timebam, pudoris illius, qui torquet hominem, hanc unam eſſe cauſam, quòd ſciret, ſine dubio multum fore ſermonem de ſe, intentô digitô ſe monſtratum iri à matribus, dicturis ad filiolos ſuos: *Ecce hic, hic eſt Nabuchodonoſor, qui fuit bellua.* *Aſaël.* Utique hæc illi cauſa pudoris eſt: non videtur ſufficiens tibi? *Dan.* Ut cauſa pudoris *pœna* ſit, *culpa* non ſit, *ad pudorem ſalubrem* planè non ſufficit. Vides, cur tam multa illi de ſceleribus dixerim, quibûs hanc pœnam meruit. *Aſaël.* Audivi omnia: ſed quomodo exprobatio tam acerba huc ſerviat, ut Nabuchodonoſor rurſum appetere regnum velit, quod tu deſideras, hoc non capio. *Dan.* Hoc explico. Pudor, Aſael, quo ſuffunditur Rex, quòd fuerit bellua, eſt pudor ſterilis, & *affectus*, qui de ſe *effectum* non habet, propterea, quia hoc dedecus aboleri nullo

con-

consiliô potest. Pudor verò, qui ex cogitatione scelerum nascitur, quæ fecerunt similem belluæ, est pudor frugifer, quia disponit animum, ut generosa cum resolutione decernat, malè actorum memoriam bene agendo extinguere. Tu putâsti, multum me præstare, si laborarem mitigare dolorem *de pœnæ infamia:* quid effectum fuisset? fortasse rediisset in regnum Rex, sed cum ipso inanes persuasiones rediissent, Regis Majestatem in pompa vestium, in Aulæ magnificentia, in luxu conviviorum, in cæteris parergis totam consistere, quod vides Evilmerodachum putare, quanquam viderit Patris supplicium. At nunc, cùm intellexit Nabuchodonosor, infamiæ suæ causam esse vitia, quibus suæ Dignitatis auctoritatem prostituerat: cùm audivit velut incognitus ab incognito, hoc est, sine suspicione fraudis, quàm abjectus fuerit de Ipsius magnitudine sensus populorum, quàm graves querelæ, quàm nulla laus, nondum prospicis, quid fore sperem? *Asf.* Paulatim alquid lucis micat. *Dan.* Mox erit sole clarior. Spero, Asael, consilium solitudinis fastidio fore: spero, subiturum desiderium animo, damnato falsæ gloriæ appetitu persequendi veram, ac solidam: spero, resumpturum sceptra Nabuchodonosorem, & postquam *mali* fuit, jam *boni Regis* exemplar perfectum fore, & filio imprimis fore, cujus mores cùm ego reprehendi, ùt repentè mutârit vultum, gemuerit, fleverit, an non notâsti? *Asf.* Vidi. *Dan.* Nempe intellexit Pater dedecus suum, de quo loquebar, nisi obsisteret ipse, in prole æternum fore. *Asf.* Video sapienter omnia te cogitâsse: quid velis porro, impera, ut cœptum opus perducamus ad exitum. *Dan.* Tria facies, & primùm, dum ego vestes muto, huc fugitivum revoca: non ampliùs fugiet, si audiet, Danielem antea esse locutum sibi. *Asf.* Teneo. *Dan.* Deinde in urbem, & aulam perges, ut narres magnalia DEI, atque ad recipiendum cum debita reverentia regem Patrem Evilmerodachum horteris. *Asaël.* Quo animo accipiet nun-

nuntium juvenis regnandi dulcedine jam ineſcatus? *Dan.* Experiemur, & quæ dabit eventus, arripiemus conſilia. Poſtremò redux ultimum monumentum huc pones ad ſpecum, ut diſcat poſteritas, memoríque mente ſemper recolat, quòd *dominetur Excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit, det illud.* (Dan. 4:) *Aſ.* Notavi omnia. *Dan.* Jam age.

SCENA VI.

Aſael. Nabuchodonoſor.

Aſaël. NAbuchodonoſor Rex, quò abjiſti?... Aſaelem fugis?.. Rex!.. reſponde, obſecro!... *Echo.* Obſecro!.. *Aſ.* *Aſ.* Hinc audio vocem: audiam iterum: Rex! reſponde! *Echo.* Sponde! *Aſ.* Quid ſpondeam? nempe quòd ſim ſolus? *Echo.* Solus? *Aſ.* Vah! ludor! ficta vox eſt. Ah! Rex, ubi te inveniam? *Echo.* Veniam. *Aſ.* Silete rupes garrulæ! rem ſeriam ago. Rex!.. Nabuchodonoſor Rex!.. illinc fuit ſtrepitus. Rex!.. *Nab.* Aſael, nemo præter te adeſt? *Aſ.* Nemo, Rex, ſecurè prodi. *Nab.* Rex! Rex! Rex! num me vocabas? *Aſ.* Quem alium ſic compellarem? *Nab.* Quemcunque ſic nomines, nominas digniorem. Me, ſi velis, ut colloquar tibi, poſthac ſic inclamabis: prodi Thraſo, Prædo, Tyranne, Latro, Idolum, Beſtia! hæc ſunt nomina propria, ex quibus intelligam vocari Nabuchodonoſorem: ſub his nominibus, prô pudor! toti orbi ſum notus!... *fuiſſe beſtiam,* Aſael, minimum eſt dedecus meum, qua *pœna* eſt: *culpa,* qua merui tam turpem pœnam, culpa turpitudinem habet, quæ animum ſæviſſimo mœrore conficit! *Aſ.* Bonus eſt mœror, & qui tibi jam nunc, ùt ſpero, in oculis Dei ſaltem gratiam & decus tulit. *Nab.* In oculis Dei! quò rurſum abripior! heu! ſi monſtrum hominibus videor, qui cor non vident: quis ero in oculis Dei! in oculis Dei, qui intima perſpicit! *Aſ.* O factum

bene,

bene, quòd Danielem adduxerim tibi: video colloquii fructum. *Nab.* Danielem tu mihi! abſit! non fero vultum Prophetæ, quem honoravi quidem, ſed non audivi, imò audivi etiam, ſed, quæ bene monebat, contempſi: Aſael, qua verborum gravitate exprobaret ille mihi ſua vaticinia, & meam levitatem, ſi adeſſet! *Aſ.* Adfuit. *Nab.* Attonas! Daniel adfuit! *Aſ.* Locutus eſt tibi. *Nab.* Venator aliquis locutus eſt mihi: Daniel latuit? *Aſ.* Finem, propter quem venit, ex veſtitu intellige. *Nab.* Venit, ut occideret me. Nam ſi Venator ille Daniel fuit, certa ſunt omnia, quæ narravit: certa meorum de meis pœnis incuria, certa infamia mei nominis orbe toto vulgata, certa execratio ſcelerum meorum in omni loco, certa inſuper filii mei in æternum dedecus meum creſcentis pernicies! pudore morior! corruite petræ! ſepelite hanc peſtem, ne ultra communem auram inficiat! Et tu, Numen magnum! quousque retines fulmen, quod ſceleſtum hominem tibi ex oculis auferat, in quorum faſtidium tot admiſi dedecora! O Daniel, quàm acerba oratio fuit, quæ me mihi oſtendit! redibis, ut oſtendas me iterum? Ah! video, horreo, fugio me! ...

SCENA VII.

Daniel. Nabuchodonoſor.

Daniel. ITa, ita, fuge Rex in brachia te amantis. Ego vulneravi: ego ſanabo! Aſael, exequi propera, quod volebam. *Nab.* Vir DEI!.. *Dan.* Hem! quo te abripis mihi? *Nab.* In ſpecum redeo, in quò herì adhuc habitavi! hìc abſcondar procul à luce ſolis, ab oculis humanis procul. *Dan.* Imò in regnum redibis, in Solium, unde te DEus dejecit: ſic regnum exigit, Filius indiget, DEus jubet. *Nab.* Ego Nabuchodonoſor ut ſim iterum Rex! revocetur ex inferis Nemrod, Ninus, Semiramis, Sardanapalus, Salmanaſſar, Sennacherib, Merodach: infames

sunt omnes multis sceleribus, nullus tamen fuit sceleſtior me: & me regnum exigit, ut redeam, filius indiget, DEus jubet? *Dan.* DEus jubet, ut habeat ex Monarchis Assyriis unum saltem devotum sibi. *Nab.* Habet: devotus sum! sinat, in silvis devotum esse: silva præ aula placet. *Dan.* DEO aula præ silva placet: in aula peccâsti, in aula pœnitentiam ages, ut, qui peccantem viderunt, etiam videant pœnitentem. *Nab.* Heu! si cogis redire inter homines, propè absum, ut optem, non redjisse mihi formam hominis: tantus est pudor. *Dan.* Ingrate! tanti est tibi beneficium tantum boni Numinis! obstupescite Cœli! *peccatori publico* erubescenda videtur *pœnitentia publica!* Miser! quis inanis te metus vexat? postquam peccâsti publicè, hoc est *punctum honoris* tui, ut sciat orbis, peccati denique te pœnituisse. Peccare errare est: qui postquam erravit palam, fateri palam negligit, se errâsse, dubios nos relinquit, fuerítne magìs stupidus, ut errorem non intellexerit, an magìs obstinatus, ut retractare noluerit, utra opinio glorioſa est tibi? *Nab.* Vita solitaria, Daniel, quam in lacrymis agam, & perpetuo planctu, satìs, opinor, innotescet orbi, ut par sit abolendis scandalis, quorum me reum feci. *Dan.* Hæc pœnitentia peccatoris privati sit, non peccatoris Regis. Tuum est corrigere mores filii, quos exemplô corrupisti: prohibere abusus noxios, quos in probitatis exterminium per vitæ licentiam introduxisti: coercere Satraparum audaciam, qua aut connivente te, aut negligente in subditorum fortunas, & sanguinem pro libidine debacchabantur: invigilare Provinciarum Præfectis, an sic præsint, ut prosint: denique exemplô, & mandatìs id agere contentioſè, ut dejectis ridiculìs Dîis, colatur ab omnibus unus ille DEus, cujus & potentiam, & misericordiam testari luculentiùs nemo potest, quàm tu. Ecce hæc est pœnitentia Regia. Sed harum tu rerum omnium nihil facies solitarius: facere omnia potes, & debes, si fueris Rex. *Nab.* Huc adigis: rem gravem imperas! *Dan.* DEus imperat,

imperat, poſtulat tegni ſalus, ipſe honor tuus exigit, & *vera gloria*, quam utinam Reges omnes appeterent! *Nab.* Video vera dici: luctor tamen! *Dan.* imperioſa voluntate eſt opus, & viciſti. *Nab.* Quantumvis imperem mihi, hoc video tamen: ſi ad homines redeo, quisquis me aſpiciet, pudore ſuffundet, & quocunque me vertero, credam, digitum intendi in me, cum Sarcaſmo: ecce hic eſt Rex, qui fuit beſtia. Quid? non acerba tibi videtur confuſio tam turpis, tam frequens? *Dan.* Acerba ſit, at ſalubris eſt: nam erit hic pudor admonitio efficax, ne quid ultrà pudendum committas. *Nab.* Igitur obedio: cœlum adiuva novitium militem in palæſtra virtutis! & tu doce porro, quæ vitæ regulæ ſervandæ deinceps ſint, ut laudem à DEO merear. *Dan.* Sic places, Rex! ſic patior ad ſpecum regredi, ut exeas melior: optima Schola eſt. *Nab.* Docilem diſcipulum habes.

CHORUS.

Oſtenditur, Peccatori alterutrum eſſe inevitabile, aut *confundere ſe*, aut *confundi*.

Anthropus, ſive Homo peccator, *Nemeſis*, ſive Divina Juſtitia. *Accuſatores* Ratio, Fides, & Conſcientia. *Præco*, ſive Mors. *Lictor*, ſive Diabolus. *Judex delegatus*, ſive Confeſſarius.

Chorus.

Vindica Nemeſis *
Vindica ſcelera,

* Exhibetur in medio apparatus Judicii. A dextris tribunal Judicis delegati. A ſiniſtris carcer inferni.

Dignis suppliciis
Vindica! vindica!

Nemes. Audiatur etiam Pars altera:
I Præco, Reum evoca.

Anthr. Sic est, confiteor! *
Non amavi DEum, quantùm potui: doleo!

Præco. Reperio hominem, Diva,
Tuo adgeniculantem Vicario.

Nemes. Sapit, si rite accusat se in Tribunali Clementiæ,
Priusquam rapiatur ad Tribunal Justitiæ.

Anthr. Interdum (nempe, ùt homo sum!
Aliquam admisi impatientiam,
Et iracundiæ impetum.
Non tamen (DEo sint laudes!)
Non sum, sicut cæteri hominum, Luc. 18.
Raptor, aut *injustus* non sum! *absit!*
Artes lucrandi didici: vim autem facio nemini.
Adulter non sum! *absit!* nisi fortè per somnium,
Quod cùm evigilo, statim excutio.
Publicanus non sum! *absit!* imò hoc ago sollicitè!
Ut sciant homines opera mea bona,
Et glorificent me.

Nemes. Vah! defensio! illusio!
Non accusatio, non confessio!

Anthr. Ultrà, quod addam, non habeo; Dolco!

Jud. del. Vade in pace!

Anthr. Beâsti me! ...

Præco. *Vir mortis es!* Judici sisto te Nemesi!

Anthr. Accusavi me: *judicatus* jam, & absolutus sum!

Nemes. Ego *judicia judico*: citaris ad *Revisorium.*

Jud. del. Superi! quale me rapit spectaculum! ** *Cho-*

* Confessio hypocritæ erubescentis rite se accusare.

** In extasin rapitur.

Chorus.

Vindica Nemeſis
Vindica ſcelera
Dignis ſuppliciis
Vindica! vindica!

Nemeſ. Audio. Repetite accuſationis capita,
Et, quæ commiſit Anthropus impudenter,
Confeſſus eſt autem negligenter,
Palam nominate flagitia.

Ratio. In compendio,
Conculcatas Legum tabulas exprobrat Ratio.

Fides-Conſci. Fides, quot Sacramenta, tot queritur ſacrilegia,
Oppreſſam ſe per hypocriſin
Lamentatur Conſcientia.

Trio.

Conſci. O lupe, lupum bellè
Ovina tegens pelle!

Ratio. Humanæ formæ bellua!

Fides. Fidelis Idololatra!

Omn. tres. Putâſti, tua ſcelera
Tribunal hoc latere?

Conſci. Huc inſpice! *
Hic vide te!

Fides. Dic, age, quis hinc proſpicit?

Ratio. Dic, *cujus hæc imago* ſit?
Loquere! fatere!

Nemeſ. Obmutuit.... Atqui, homo temerarie,
Paulò antè coram Vicario Judice
Potuiſti te verboſè defendere.

Conſci. Vòcâſti *jocum*, quod erat ſcandalum,

* Exhibetur monſtroſa imago, quam Scriptura in Nabuchodonoſore, velut in figura peccatoris, exhibet.

Fides. *Zelum* dicebas, quod erat odium,
Ratio. Quod fuit rapina, appellâsti *artificium*,
Omnes. Et, quod fuit libido, nominabas *morem patrium.*
Nemes. Jam *contra faciem tuam* statuo te:
Defende te, loquere! ...
Adhuc taces? .. I lictor, tolle pallium, *
Oculis pateat animæ infrunitæ opprobrium.
Lictor. Confundatur, qui noluit confundere se!
Vah! quid video?
Hominem, ipso turpiorem diabolô!

Chorus.

Vindica Nemesis
Vindica scelera
Dignis suppliciis
Vindica! vindica!

Nemes. Ecce, Proceres, ecce homo *DEO similis*
Et *quasi ex nobis* aliquis! ... Gen. 3. **

Aria.

Anthrope!
Non ego sic formavi te! ...
De sacro felix flumine
Prodieras formosus,
Et cœlo gratiosus:
Quò ille, qui tunc splenduit,
Quò ingens decor abiit? ..
Anthrope,
Non ego sic formavi te!

2.

Angeli.
Vos estis testes Nemesi! ...
Quid dedi minus homini?

Non

* Ablato pallio nequitiæ apparet vera forma peccatoris.
** Exprobratio ironica Adamo facta ad pudorem.

Non, ſicut vos, veſtivi?
Non, ſicut vos, nutrivi?
Non meam ad imaginem.
Ut vos, ſic feci hominem? ...
Anthrope,
Non ego ſic formavi te!

Lictor. Imò, quem paulò minùs *infra Angelos* collocâſti,
Heu! quantùm *ſupra illos* amâſti!
Mihi ſemel tantùm licuit peccare:
Hunc autem vah! quàm diu viſa es tolerare!

Anthr. Heu! quò ibo, Diva? quô fugiam à te?
Quoniam confuſione opertus ſum,
Sicut diploide! Pſalm. 108.

Nemeſ. Peccatum ſatìs eſt! fero ſententiam:
In ignem æternum, maledicte,
In ignem æternum diſcede à me! Matth. 25.

Ariosè.

Pars tua ſit cum furibus,
Cum mæchis, cum latronibus,
Cum fæce hominum,
Cum grege dæmonum!

Repetit Chorus.

Jud. del. * Heu me! ſic periiſti, Anthrope,
Quia me fefelliſti!
Et fortè, quòd ego non tecum perierim,
Debeo miſericordiæ! ..
Quid vidi? ... O terribile judicium,
Judicium Reviſorium! ...

Aria.

O Judices! O Rei!
Timete vultum Dei!

Si nos *timemus* vos,
Aut vos *timetis* nos:
Utrique sumus rei!
Damnabit DEus nos, & vos!..
Timete vultum DEI,
Et Judices, & Rei!

PUNCTUM II.

Pudoris salubritas.

SCENA I.

Nabuchodonosor. Daniel.

Daniel. DEnique duo verba memoriæ impriment doctrinam, quam huc usque exposui omnem: memento, quòd sis *Homo*, *& Rex.* Dum cogitas, quòd sis *Homo*, cogitabis, quòd sis *natura* subditis tuis planè par: dum cogitas, quòd sis *Rex*, cogitabis, quòd sis *conditione* subditis tuis multò major. Sequentur conclusiones practicæ magni fructûs, prima: *Homo sum:* ergò subditus DEO sum! altera: *Rex sum*: ergò debeo regere!.. *Nab.* In novum me pudorem agis, quia vitæ heu! ex aliis longè principiis actæ malè ordinata series omnis iterum se oculis objicit. Ah! nunquam fui Rex, imò ne homo quidem! *Dan.* Ut posthac homo sis, nihil te supra hominem æstima: *Subditus DEO esto*, neque à DEI legibus ullam exemptionem, vel privilegium aut prætende, aut spera. DEus personarum acceptor non est: & quos ex eodem luto fecit, iisdem omnibus sine discrimine eundem decalogum scripsit. Meministin', Rex, quid tibi de tabulis Moysis narraverim, tunc, quando tres juvenes ex ardenti fornace prodeuntes illæsi, nostri DEI potentiam tibi prædicârunt: Tu quidem illas tabulas non vidisti, sed dic, quid in illis esse scriptum dicebam

cebam, quod non in corde tua natura ipſa jam ſcripſerat? *Nab.* Sile! ſcripſerat utique: ſed ego impudenter, ut eſſem exlex, ſcripturam delevi, naturali pudore per ſcelerum aſſuetudinem ſubiugato. *Dan.* Neque hìc ſubſtitiſti: auſus es palam oſtentare effrænem licentiam, & gloriari publicè, non agnoſci DEum à te, cui obedientiam præſtare aut velis, aut debeas. *Nab.* Ah! furor fuit animi vaniſſimè intumeſcentis in fallacibus phaleris miſeræ Majeſtatis. *Cùm in honore eſſem, non intellexi*, quid ſit verus honor! ſpeciem præ veritate, vitrum præ adamante dilexi: ſic deſipui! *Dan.* Non ſic deſipies poſthac. Intelligis modò, quòd prima ſit hominis laus, & maximè propria, *ſapere*: intelligis, hoc eſſe primum principium ſapientiæ: *Datur DEus, cui homo obedientiam debet*: intelligis denique, quòd, qui hoc non intelligit, neceſſariò erret per omnia, atque adeò nihil planè intelligat, & ne quidem mereatur *hominis* nomen. *Nab.* Ceſſa docere hoc, quod me præ omni Doctore triſtis experientia docuit. *Homo ſum: ergò ſubditus DEO ſum, æquè ùt mei ſubditi!* audiet hanc meam confeſſionem Babylonia, ſciet orbis, leget poſteritas: nam publicè ſerviam. Quid ampliùs præcipis? *Dan.* Multò ampliùs. Idem DEus, qui te fecit hominem, Regem fecit, hominem, *ut ſervires*, Regem, *ut regeres*. Jam verò Superi velint, ut *Spiritu Principali* animatus capere doctrinam poſſis, quam trado. *Nab.* Ecce attentum habes. *Dan.* Naturâ ſuperbus es: gaudeo. *Nab.* Subjicio naturam DEO: non ero ſuperbus ultra: de hoc gaude. *Dan.* Nolo, ut naturam opprimas: *utere*! ſuperbia cum Regibus naſcitur, & *utiliter* creſcit. *Nab.* Paradoxa loqueris: nam mihi quidem nihil pejùs nocuit, quàm natura in ſuperbiam prona nimis. *Dan.* Evolvo myſterium. Superbiæ nomine *appetitum Excellentiæ* intelligimus, Rex, qui naturæ hominis ita proprius eſt, ut, prout quisque plùs aut minùs excellere appetit, ita plus aut minus hominis habere videri poſſit. Itaque qui eſt

auctor naturæ, auctor est etiam hujus appetitûs, quem si tu præ aliis vehementiorem accepisti, majores ei gratias debes. Habes enim *instrumentum* ad summa quævis opera expeditum, si modò applicâsses *ad bonam materiam*. *Nab.* Suboritur lumen bonum. Errâsse me dicis, non quòd appetierim excellere, sed quòd appetierim *Excellentiam falsam* pro vera, sicut antea dedecus falsum præ vero horrui. *Dan.* Sic est: nam duplicem distinguo superbiam, & unam voco *appetitum Excellentiæ falsæ*: hæc vitiosa est: alteram appello *appetitum Excellentiæ veræ*: hæc sancta est, hanc in Rege desidero, quia Regis est regere, & regere *vice DEI*, quod nemo bene facit, cui *vera Excellentia* cordi non est. *Nab.* Quam porro veram Excellentiam dicis, prout à falsa distinguitur? *Dan.* Hoc opus jam, hic labor est, ut judicium corrigas. Ab incunabulis oculi & aures multorum intellectum decipiunt, & falsis ideis cerebrum implent, *oculi* rerum speciem æstimantes pro ipsis rebus, *aures* vanis nos educantium, ac non laudanda laudantium sermonibus tractæ in fraudem. Sic fit, ut luxus & pompa, aurum & gemmæ, sanguis & tituli, acclamationes & plausus primo in pretio sint, virtus autem post nummos, post laudes, post omnia parerga cætera. *Nab.* Igitur tu veram Excellentiam in virtute ponis? *Dan.* In virtute utique: nam *ex parergis* non est æstimabilis homo, *ex se* est: atque ita *vera Excellentia* hominis nulla est extra hominem, *intus est*, in anima est, quæ cùm *imago* sit DEI, cujus infinita Excellentia est supra res omnes, dicenda erit tantô esse Excellentior, quantô erit *DEO similior*. *Nab.* Sublimem Philosophiam me doces. *Dan.* Eandem, quam DEus per istud septennium te docuit, Rex: fœnum, ùt bos, comedebas: scis, quid hæc pœna voluerit? *Nab.* Tristis memoria est. *Dan.* Sed salutaris. Significavit, quàm abjectô animò fueris, cùm esses Rex. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri* (Is. 40.) hoc fœno pascebaris, hic flos te oblectabat: color, odor,

odor, sapor inanis gloriolæ totum animum occupabant: & quæ sunt aliæ deliciæ bovis? At nunc *utere sapientiùs* appetitu Excellentiæ, quem DEus, & natura tribuerunt! quære pascua digniora, Excellentiam veram, veram gloriam, quæ apud DEum est, non apud homines, apud DEum, qui solam virtutem laudat, & solus in laudando errare non potest. Atque hunc Spiritum *Principalem* vocavi, quo animatus ut ad Regnum redeas, cupio. Iterum eris Rex: *Rege*, in hac voce pone *punctum honoris* tui. Si dubitas, quid sit bene regere, intuere solium, in quo sedebas, & rursum sedebis. Per gradus ascenditur: hæc prima dos Regis est, ut se *morum regulam* subditis faciat, & à nemine erubescat videri. Verùm laudis summa non est *videri*, sed *videre*, vigilare, circumspicere, ne aut *boni*, aut *mali* te lateant, volo dicere, ne mali *tolerentur*, & boni *negligantur*. Sic, Princeps, sic abolebis ignominiam, quæ ex præteritis culpis, & pœna adhuc adhæret, sic eris verè homo, sic bonus Rex, sic coram Deo & hominibus *Nabuchodonosor Magnus*. *Nab.* Vir DEI, quibûs motibûs mentem agitas? quantum horrui, tantùm jam ambio regnum. Sine, ut solus ruminer paulùm doctrinam bonam, qua cor pavisti: deinde tecum in urbem ibo.

SCENA II.

Daniel. Asaël.

Daniel. QUod prodest, agis: ruminando enim pinguescit anima. O DEus, quàm dociles discipulos in schola patientiæ habes, & vexatio quàm capacem facit intellectum doctrinis etiam sublimissimis, quales homo animalis nunquam percipiet. Io! triumpho Asaël! meus est Rex! persuasi, redit. *As.* Gratulor. Sed in aula varios motus excitavit mea narratio: Evilmerodach trepidat, Proceres divisi sunt, itum est in consilium, an, à quo, quo modo revocandus sit ad Sceptrum

Nabuchodonoſor Rex. Sed fruſtra conſultatum eſt: nam populus rumore diffuſo excitatus, lætúsque emendandi regiminis ſpe, magnis clamoribus reddi ſibi regem expetiit, quod movit filium, ut gaudium ſimulans magnificum jam occurſum adornet. *Dan.* Non expectabimus venientem: tu propera, ut peragas, quæ ad monumentum tam memorabilis hiſtoriæ adhuc deſunt. *Aſ.* Sic facio.

SCENA III.

Viſio Danielis.

Dan. AT ego te laudo DEus, Rex Regum, qui ſic humilias ſuperbos, ut ſciant, quòd homines ſint, & tu DEus ſolus, præter quem non eſt alius. O ſic age ſemper, ne ſit aliquando homo, qui putet, quòd tua abſorptus felicitate, non attendas nobis, & in rebus humanis nihil agas! age! age! depone potentes de Sede, transfer regna, muta tempora: ſic oſtendis, quòd ſis, qui es, *ſolus Dominus*, cujus voluntati reſiſtere nemo poteſt!... * Audior!. intonas magne DEus! ô murmur grave! auditis impii! ita Majeſtas loquitur etiam illis terribilis, qui negant DEum. Eſt tamen miſerentis hæc lingua, non punientis: loquitur, ut ſciatis, quòd vigilet: loquitur, & vel tonando ſuaviter ſe inſinuat animis Orator DEus in Exordio alloquii ſui: Væ Auditori, quem non facit benevolum! quem oratio non movet, peroratio conteret... *Quid video? quò abripis Numen! DEum Deorum video!

Angelus. Daniel! Daniel! *Vir deſideriorum!*
Oſtendo tibi, quid facturus ſit DEus Iſraël
Ab hoc tempore usque ad finem ſæculorum.
Tu, quod vides, prædica,
Et antequam eveniant,

Annun-

* Fiunt tonitrua. * Viſio Danielis.

Annuntia populis, ut intelligant,
Quòd, cùm evenerint, *non caſu* evenerint.

Aria.

1.

Ut fluctus cum fluctu jurgatur,
Ut ventus cum vento rixatur:
Ut Urſus & Leæna,
Ut Pardus, & Hyæna,*
In mutuas cædes ſe urgent:
Sic Regna in Regna conſurgent!
Sed *caſu* nulla ſurgent,
Et *caſu* nulla cadent:
Divinô conſiliô fit,
Jam illud, jam iſtud ut fortius ſit.

2.

Aſſyrios Perſæ vaſtabunt,
In Perſas ſe Græci armabunt:
In Græcos ſuccumbentes
Romani inſurgentes
Imperium latè extendent,
In ſæcula multa protendent:
At DEus metam armis
Et metam fixit annis:
Hìc, dixit, *frangéris*, *hìc ſta*,
Nec ultra te move, *aut ſtrepitum da!* Job. 38.

3.

Tum demum Antiquus dierum
Omnipotens Arbiter rerum
In ſæulorum fine
In cumulo Ruinæ

* Vil-Fraß.

Lapsorum per tempus Regnorum,
Superstruet Regnum Sanctorum,
Quod finem non habebit,
Et metam non videbit:
Huc suas mortales ut spes
Huc, mone, spes conferant omnes, & res!

Daniel post cantum. Sic triumphas, DEus! ô læta visio! ô jucunda oculo, qui te amat! Nabuchodonosor Rex! Rex!

SCENA VI.

Daniel. Nabuchodonosor. Asael.

Nab. IN exultantem incido, quid accidit tibi? *Dan.* Vive Rex! ô si vidisses, quæ ego vidi, quantum incrementum caperet æstimatio DEI mei. *Nab.* Narra saltem: etiam quæ à te audio, videre me puto. *Dan.* Vidi gloriam DEI Israël! mare magnum vidi, & quatuor bestias ascendentes de mari, & Antiquum dierum descendentem de cœlo. *Nab.* Ænigmata loqueris. *Dan.* Imò omnium temporum historiam loquor, ut scias, DEO futura æquè atque præterita nota esse, neque contingere illi aliquid casu posse. Rem pando: *Mare magnum* mundus est tot obnoxius motibus, quot ventis jactatur mare. Quatuor bestiæ quatuor magna Regna sunt, cum quorum fine finis mundi adveniet. *Antiquus dierum* DEus Judex est Regna ista distribuens, quibus vult, & destruens, quando vult, donec in fine sæculorum orbem universum ignis diluvio obruet: atque tunc demum incipiet *Regnum Sanctorum in cœlo*, quod *finem* nullum habebit, & nullam *vicissitudinem*, ut videas, quod *præter sanctitatem* DEus æstimet nihil, cùm *præter sanctitatem* nihil remuneretur. *Nab.* Hæc, ais, erit omnium Regnorum fortuna, hæc extrema calamitas? *Dan.* Hæc erit, hoc vidi. Sic ludit DEus in orbe terrarum,

&

& illudit consiliis filiorum hominum, quibus insurgunt adversùm se. *Nab.* Væ mihi igitur, nisi fuero inter Sanctos! *Dan.* Væ utique, nam nisi *inter Sanctos* fueris, eris inter mœchos, inter fures, inter latrones, inter infernales bestias, inter dæmones. *Nab.* Ego Nabuchodonosor Rex! *Dan.* Nemo tunc erit Rex: *titulus temporis* hoc nomen est, non æternitatis. *Nab.* At me pudet sic Regem fuisse, ut nec nomen meruerim pro tempore. *Dan.* Nunc verò ages rem, ut merearis etiam pro æternitate. Ut constanter agas, obsecro, hoc audi consilium: in hanc solitudinem subinde te confer, ut mediteris, *qui fueris*: pudebit, nam hæc monumenta monebunt, hoc præcipuè, quod Asaël affert. *As.* Ita hoc, nam hæc est Rex imago tua: hìc stet ad ostium specûs. *Dan.* Stet! nos imus: exhibe te aulæ alium, ut aliam aulam facias. *Nab.* Video, horreo, erubesco me! *Dan.* Sanctus est pudor! ut sit salúbris, alium te fac, alium hominem, alium Regem. *Nab.* Facio: eo. *As.* Tu verò sta Viator, & lege Programma hoc:

Hæc est Specus,
in qua
Septem annis habitavit
Nabuchodonosor
Rex
ex homine bellua.
Talem
Peccatum fecit.

O. A. M. D. G.

ME-

MEDITATIO III.

PECCATUM
MALUM SUMME TRISTE
SIVE
SAUL.

ARGUMENTUM.

SAul ex Agasone Rex, Electus à DEO Amplissimæ Regionis Dominus, insuper victoriis glorioſus, ita ſe Venerabilem ſuis, hoſtibúsque formidabilem fecerat, ut ad ſummam felicitatem nihil ei defuiſſe videatur, præter conſtantiam, quam rurſus peccatum evertit, *malum*, uti ſummè *turpe*, ac *noxium*, ita, ne aliquod mali genus putes non includi, longè *triſtiſſimum*. Certè à die illa, qua Saul per præpoſteram Clementiam, & prædæ cupiditatem contra DEI præceptum peccaverat, quod 1. Reg. 15. narratur, nulla homini hora fluxit, qua ſincerè gauderet. Nam deſertus à DEO *relictus eſt ſibi*, & indomitis affectionibus animi, quæ miſeris modis oppreſſum cor diu, noctúque torquebant. Ante alias *terror* invaſit, cùm diceret Samuel: *Pro eo, quòd abjeciſti ſermonem Domini, projecit te Dominus, ne ſis Rex!* Deinde ſucceſſit *invidia* adversùs Davidem, tanquam corrivalem Regni accenſa. Invidiam ſecutum eſt atrox *odium*, quo in cædem innocentis exardeſcebat: perpetua *anxietas*, ne quà æmulus tam metuendus elaberetur:

inſana

insana *rabies*, qua in Sacerdotes, qui fugitivum commeatu adjuverant, per manum Doeg Idumæi desævjit. Demum cùm nihil succederet ex sententia, immanis *mœror* pectus totum exédit, ex mœrore nata infelix *obstinatio* adegit, ut de rebus agendis Sagam consuleret: ibi Samuelis apparitio, & extremæ calamitatis denuntiatio crudeli *horrore* mentem ita concussit, ut impos sui, jam neque pugnare, ùt olim, in hostem posset, neque vivere post cladem exercitûs ultrà vellet. Itaque factus ipse carnifex sui, postquam diu se torserat, occidit se, &, utinam, cùm vivere desiit, desiisset torqueri!.. Nos, ut ex aliena miseria sapere discamus, attentiùs, quod narratum est, expendamus. Sit igitur præsentis Meditationis

Materia: Tristissima vita, & multò tristior Sau lis Mors.

Puncta duo. Primum, Saul à DEO desertus.
Secundum, Saul sibi permissus.

Fructus: Detestatio impii axiomatis: *Peccavi: & quid accidit mihi triste?*

Propositum: Fuga peccati, etiam cùm ad peccandum aut *libido voluptatis* invitat, aut *metus doloris* impellit. *In specie* decernamus practicè experiri, quàm vera sit illa S. Chrysostomi sententia: *nemo læditur, nisi à se ipso*, nempe quia omnis *inquies* animi à passione non domita originem habet, & *turbari* vî nulla *externa* potest, qui imperare *sibi*, & *suis affectionibus didicit.*

In Choro Ostenditur, quod *difficilior* sit via ad infernum, quàm quæ in cœlum ducit.

PERSONÆ.

Saul Rex.
Jonathas Saulis Filius.
Samuel Propheta.
Doëg Idumæus,
Abiathar Filius Abimelech, quem Saul cum 84. aliis Sacerdotibus Doëgi manu occiderat.
Miſaël Saulis Armiger,

PROLOGUS.

Reflexio in Mediationem præteritam, & Præparatio ad præſentem.

Fides. Ratio.

Ratio. HEm verò, quó me abripis hodie *
Cur in æſtuantis pelagi conſtituis littore?
Fides. Didiciſti peccati *damna* metuere,
Docui peccati *dedecus* erubeſcere:
Timori, & *Pudori* ut adjungat ſe *Horror*,
Efficiam hodie.
Peccatum eſſe malum, ut *turpe*, ac *noxium*,
Ita multò *triſtiſſimum*,
Vides in hac imagine.
Ratio. Difficile exhibes Symbolum,
Cui ego contrarium habeo
Experientiæ teſtimonium,
Quod firmat gemitus
Juſtorum paſſim querulantium:

Quare

* Exhibetur mare fervens.

Quare via impiorum proſperatur? Jerem. 12.
Quare flagitia videmus eſſe felicia?

Aria

1.

Stat impiis mare pacatum,
Arridet, invitat piſcatum:
Non videas fluctum,
Qui moveat luctum:
Non aſperi Boreæ flant,
Sed facilem curſum Favonii dant.

2.

Vehuntur in navi aurata
Ad luxum, & pompam ornata:
Sirenulæ plenîs
Applaudunt camœnîs:
Ad clavum Felicitas ſtat:
In circulum ludens Hilaritas nat.

Fides. Sic nempe intueris, quod exhibent oculi,
Et ultrò gaudes decipi.
Ergóne tu felicitatem hominis
In bonis externis conſtituis?
Atqui nihil juvat *domus ſplendida*,
Si æger, & afflictus eſt *incola*....
Foris cytharæ ſonant, & organa,
Intus ſtrepunr tubæ ac tympana!
Non enim (hoc dicit Dominus)
Non eſt pax Impiis! Iſ. 48.
Sed bella perpetua, & *lites ex concupiſcentiis*, Jac. 4.
Quæ præliantur inter ſe,
Quaſi mare fervens, quod non poteſt quieſcere. Iſ. 57.
Aſpice!... *

* Tumultus maris.

Aria.

1.

Hic, hic eſt æſtus mentis
Peccato ſubjacentis!...
Sic fremit!... ſic turbatur!...
Sic ſpumat!... ſic inflatur!...
Sic jam aſtra conſpuit!..
Jam in ſtygem præceps it!..
Sic jam in montes creſcit!..
Jam crepat, & tabeſcit!..

2.

Quod Pelago ſunt venti,
Hoc ſunt *affectus* menti,
Qui quando dominantur,
Spes, quies, pax fugantur:
Succedunt curæ, dubia,
Timores, furor, tædia!..
Has habes perpetrati
Delicias peccati.
In Saule iſta oſtendet ſe veritas:
Accingere, ut intelligas.

Ratio. Ecce me! loquere, quia audio te.

Aria.

Loquere! audio!
Solidô *gaudiô*
Reficis me,
Si, quàm ſint *triſtia*
Impii *gaudia*
Diſcam à te! *Fides.* Diſces à me.

Quò

Quòd, (quisquis Reus sit,)
Magnum qui DEum scit
Læsum à se:
Nunquam, *si sapiat,*
Seriò rideat,
Doceo te. *Ratio.* Audio te.

MEDITATIONIS III
De tristi vita, & morte Saulis
PUNCTUM I.
Saul à DEO desertus.
SCENA I.
Samuel. Saul.

Saul. VIr senex, ais mulier, * *Vir senex ascendit, amictus pallio!* (1. Reg. 28.) bene habet: Samuel est! cur fugis tu? .. O assurge, assurge Propheta sancte, & miserum Regem juva! *Sam.* ** Propheta sancte! nunc color! nunc adoras! Infelix! qui non audisti bene monentem vivum, quare nunc *inquietâsti me, ut suscitarer* mortuus? *Saul.* Eheu! *coarctor nimis! Sam.* Quid affligit? *Saul. Philistiim pugnant adversùm me! Sam.* Hostes toties à te victos hodie metuis? *Saul.* Metuo, quia *DEus recessit à me!* *Sam.* Ora, ut redeat. *Saul.* Oravi, sed prô dolor! *exaudire me noluit, neque in manu Prophetarum, neque per somnia: vocavi ergò te, ut ostenderes mihi, quid faciam.*

* Ad mulierem infra theatrum.
** Samuel ascendit ex inferis.

Sam. Nempe hoc deerat complementum ſceleribus, ut remedium ab inferis quæreres, & ab ultimo ſcelere ſperares ſolatium. Sed abſit! *Spes impiorum peribit! quid interrogas me, cùm Dominus receſſerit à te, & tranſierit ad Æmulum tuum.* *Saul.* Vah! quid audio? ergò irritus omnis labor eſt meus! David Rex erit nomen inviſum, David? *Sam.* Ita fiet: nam *faciet tibi Dominus, ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet Regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David.* *Saul.* O durus ſermo! *Quia non obediſti voci Domini, neque feciſti iram furoris ejus in Amalec, idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.* *Saul.* Tantúmne peccatum fuit miſereri Regis miſeri, & victo parcere? *Sam.* Sceleſta miſericordia fuit, quam DEus prohibuit. *Nónne cùm parvulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es, unxítque te Dominus in Regem ſuper Iſraël, & miſit te Dominus in viam, & ait: vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum: quare ergò non audiſti vocem Domini?* (1. Reg. 15.) *Saul. Imò audivi vocem Domini*, interfeci omnes Amalecitas, ſoli Regi peperci, trementi, ac deprecanti. *Sam.* Ideò Dominus tibi non parcet. *Saul.* Et coegit me populus, ut ſervarem de præda primitias, quas immolaret Domino in Galgalis. *Sam.* Fruſtra te defendis: *nunquid enim vult Dominus holocauſta & victimas, & non potiùs, ut obediatur voci Domini? quaſi peccatum Ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, non acquieſcere* Mandato DEI. *Saul.* Habe igitur fatentem reum: *peccavi, quia prævaricatus ſum ſermonem Domini, & verba tua, timens populum & obediens voci eorum!* *Sam.* Timens populum, & non timens DEum? *Saul.* Peccavi! *Sam.* Obediens populo, non obediens DEO? *Saul.* Peccavi! *Sam.* Irriti ſunt gemitus, ſera ſuſpiria: Iam enim *ſcidit Dominus Regnum Iſraël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* *Saul.* Heu! *triſte*, atrox, execrandum peccatum! *Sam.* clama, ut vis. *Porro triumphator in Iſraël non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo eſt, ut agat pœnitentiam*

(ibi-

(ibidem) Et dabit Dominus etiam Iſraël tecum in manu Philiſtiim: cras autem tu, & filii tui mecum eritis! (1. Reg. 28.) *Saul.* Ergò actum de Saule eſt! projiciet Regem DEus, quem ipſe per te elegit? *Sam.* Projecit ingratum, contumacem, invidum, ſacrilegum, & hodie rebellem transfugam à cœlo ad inferos! projecit! *Saul.* Ah! peccavi iterum peccavi! ſed dira calamitas ſuggeſſit deteſtandum conſilium. *Sam.* Stultum conſilium eſt *malum majus* eligere, ut *minus* evadas, *culpam* decernere, ut *pœnam* evites, hoc eſt, ut effugias *unam pœnam*, reum te facere *novæ pœnæ*. *Saul.* Peccavi! *Sam.* Ergò meruiſti pœnam? *Saul.* Merui. *Sam.* Ergò animum compara, ut cum fructu ſuſtineas. *Saul.* Deprecare DEum, obſecro, ut parcat mihi! *Sam.* Non parcet: corona, vita, filii perierunt: *cras mecum eritis!* * *Saul.* Heu! deſeris me! *Sam.* Vide, ne tu te deſeras! ultima gratia eſt, quòd me DEus ſuſcitaverit tibi: utere *pro bono animæ!* de corpore actum eſt! *Saul.* Actum eſt! moriar! *Sam.* Cras. *Saul.* Horrendum oraculum! *Sam.* Pœna peccati! *Saul.* Deprecare! *Sam.* Suſtine! *Saul.* Deſeris? *Sam.* Deſertum à DEO! .. *Saul.* Me miſerum! .. **

SCENA II.

Doeg. Armiger Saulis.

Arm. QUid video? cadis Rex! Rex, vive, obſecro, & à terrore te collige! .. prô, ùt friget! vix vena micat! vix tenuem anhelitum ſentio. Quid faciam? .. Doeg! Doeg ſurge! *** *Doeg.* Quid vis? jam confectum cum Pythoniſſa negotium eſt? *Arm.* Surge modò, & Regem juva: deinde loquar. *Doeg.* Regem juva! unde periculum venit in hac ſolitudine, in media

* Iterum deſcendit Samuel.
** Saul animo deficit.
*** Ad dormientem.

media nocte? *Arm.* Vides, ut vix animam trahat? *Doeg.* Quid factum est? *Arm.* In Deliquium concidit, ex terrificæ visionis horrore *porrectus in terram (ibid.)* quid consulis? *Doeg.* Redibit ad se: nihil metue gravius. Curre modò, & mone mulierem, ut coquat Azyma, quibus reverso spiritu vires reficiat Rex, ut possimus redire in castra. *Arm.* Propero. *Doeg.* Spirat, Rex!.. non audit! non sentit!.. hoc habet, qui credit Sagis... Hinc ego mihi metuo nihil, quia non credo dari sagam, quæ cum orco commercium habeat. Quomodo enim existere potest mulier amica inferis, cùm nulli dentur inferi? nihil horum! præstigias vocant creduli homines occulta artificia fallacium fœminarum, quarum inania terriculamenta viri cordati rident. Quid dicit mulier redit? *Arm.* Ipsa terrore propè exanimis intus sedet: colligit se tamen, & parabit aliquid esculenti. Rex autem quid? *Doëg.* Nondum se movit. Gravissimus terror fuerit, qui spiritus animales tam diu opprimit, & sensus sopitos tenet. *Arm.* Gravissimus utique, nam & ego adhuc totis artubus tremo, dum cogito, quæ audivi, & vidi. *Doeg.* Tu vidisti aliquid? *Arm.* Cùm abstraxit à nobis Regem mulier, & tu te composuisti ad somnum, me curiositas impulit, ut vestigia tacitus legerem, atque observarem, quid fieret. *Doeg.* Nempe circulum formavit saga, & in centro jussit Saulem consistere. Scio, quibus nugis istæ mulierculæ simplices animas dementent. *Arm.* Rem dixisti. *Doeg.* Tum utique cœpit immutare vultum, asperare frontem, torquere oculos, inflare genas, & peregrina verba furentis instar circumcursans declamare. *Arm.* Volebat: sed prævertit festinantem Samuel, atque ultrò se stitit. *Doeg.* Quid? Samuel se stitit? *Arm.* Samuel, inquam, albâ talari tunicâ, multa canitie, & magno splendore venerabilis. *Doeg.* Rideo. *Arm.* Quare? *Doeg.* Quia tu Phantasma tuum Samuelem appellas. *Arm.* Samuelem vidi. *Doeg.* Non credo. *Arm.* Quare non credis? *Doeg.* Quia Samuel sepultus est in Ramatha: quomodo ita

subito

ſubitò huc ſe tranſtuliſſet? *Arm.* Corpus ibi ſepultum eſt: ſpiritum ego vidi. *Doeg.* Stultitiam loqueris: nego, quòd detur ſpiritus. *Arm.* Spiritum negas dari: qualem igitur habes animam tu? *Doeg.* Hæc eſt alia quæſtio: nunc ego hoc nego tibi, quòd videris Spiritum: illuſio fuit. *Arm.* Bellè! quis igitur tribus ſimul illuſit, mulieri, ut fugeret, Sauli, ut in deliquium concideret, mihi, ut adhuc tremam? *Doeg.* Phantaſia illuſit. *Arm.* Et quis phantaſiæ trium, eodem tempore, in eodem objecto? omnes enim vidimus Samuelem? *Doeg.* Quia voluiſtis videre. *Arm.* Audivimus inſuper! *Doeg.* Quia voluiſtis audire. Sile! niſi etiam videro, non credo, quod dicis. *Arm.* Pecora ſic loquantur, quibus ſolus oculorum, & nullus Rationis eſt uſus. *Doeg.* Atqui Ratio docet, fieri non potuiſſe, ut Samuel apparuerit: unde enim tam efficax fœminæ in mortuos imperium ſit? *Arm.* Non dixi jam, priusquam mulier incantationes inceperit, adſtitiſſe Prophetam? ſed deſine altercari: non fero diutius intempeſtivam garrulitatem. Viſio certa eſt: teſtem Regem appello. Rex!.. vah! adhuc jacet ſine motu, ſine ſenſu!.. vim, Doëg, magnam inferre Rationi debemus, ſi perſuadere velimus nobis, terrorem, qui tam diu congelat ſanguinem, partum eſſe phantaſiæ deceptæ. Si tamen aliquod in hac re prudens dubium eſſe poteſt, vereor, ne tollat eventus extremæ calamitatis, quæ in craſtinum denuntiata eſt Iſraëli. *Doeg.* Crede, quod vis: idem ego facio. At en! quis inde ex fruetis ſe movet huc media nocte? *Arm.* Miror.

SCENA III.

Jonathas. Armiger. Abiathar. Doeg.

Jon. AMice, inſolitus horror animum concutit, & mihi triſtè ſic rubens luna magnum malum præſágit. *

* Ad lucem lunæ rubentis veniunt.

Doeg. Vox Jonatham loquitur. *Ab.* Avertat exitium DEus, & ſervet te nobis, Princeps! *Arm.* Eſt ipſe: non fallimur. *Jon.* O ſervet mihi parentem DEus, & recipiat in gratiam, unde excidit miſer: libenter, libenter regnum, ſanguinem, vitam immolo. *Doeg.* Recondimur, dum videamus, quid velint. *Jon.* Adſumus! non dubito: hæc ſpecus eſt Pythoniſſæ! hìc latet Pater mi! & fortè hæc ipſa hora eſt deſtinata infami commercio cum damnatis ſpiritibus! heu! in quale barathrum prolapſus eſt Parens?... *Ab.* retrahe gradum Jonatha! circulum video deſcriptum à ſaga! *Jon.* O ſcelus! veſtigia Patris impreſſa cerno! moventur viſcera atroce metu! prô! novum malum! ecce! in cadaver impegi! *Ab.* Funeſta nox, quò abduxiſti nos? vah! ſi fortè incidimus in ſpeluncam latronum! fugiamus! *Arm.* Imò ſubſiſte, Princeps, felix ades ad ſolatium Regis Patris. *Doeg.* Certé indiget, *Jon.* Amice! video Parentis hoſtes: non irruam, & percutiam gladio? *Ab.* Perditi homines! quò abſtractus eſt Rex à vobis? *Doeg.* quò ipſe voluit. *Jon.* At num veſtrum erat peſtilenti conſiliô virum jam pridem inviſum DEO in ultimum ſcelus impellere, quod maturaret interitum? *Arm.* Ultrò juſſerat inquirere mulierem habentem Pythonem: diximus, eſſe in Endor aliquam, mutavit habitum: ivit. *Jon.* Fidelium ſervorum fuit, ſilere locum, & diſſuadere flagitium, quo non aliud eſſe deteſtabilius DEO Iſrael, utique ſciebatis. *Doeg.* Quid ageremus? deſperârat à cœlo opem: decreverat ab orco petere: decretum impediri non potuit. Laudare nos debes, Princeps, quòd conſilium adjuverimus: doctus per experientiam, quàm vana ſit de artibus magicis fides, & ſic coactus neceſſitate, cor vertet ad Deum noſtrum. Sæpe grave ſcelus bonæ pœnitentiæ, & magnæ felicitatis occaſio fuit. *Jon.* Scelus defendis impie! novit, qui ſis, Doeg, ſemper adverſus Jonathæ, ſemper infenſus Davidi meo, ſemper

Patris

Patris ſceleſta conſilia malignè fovens, ut placeas nempe, non ut proſis. At ecce! diſſimulo omnia, & veniam dono, ſi hodie ſaltem non obſiſtas conatibus, propter quos huc me attuli. *Doeg.* Princeps, ego adverſùm te nihil pecco, cùm patri obedio: Pater Rex eſt. Cæterùm ſi tu ſuadeas aliquid, quod Pater probet, utrique ſervio. *Jon.* Atqui hoc agis ſemper, ut improbet Rex, quod Jonathas cupit: hodie ſile ſaltem, ſi modò Regii Principis aliqua reverentia eſt. *Doeg.* Audiam, quid velis. *Jon.* Ubi eſt Parens? *Arm.* Jam vidiſti: ſub oculis jacet. *Ab.* Heu! Saul! *Jon.* Hoc cadaver! *Doeg.* Spirans tamen, & en redit ad ſe! audivi gemitum. *Arm.* Aperit oculos, & ex longo deliquio ſibi redditur. Rex vive!

SCENA IV.

Accedit Saul.

Saul. AMici! *Jon.* Rex Pater! agnoſcis filium? *Saul.* Heu! Jonatha fili mi! fili mi Jonatha! heu! heu! heu! *Jon.* Prô Superi! iterum exanimis recidit. *Ab.* Quod ei accidit malum? *Arm.* Terribilis viſio ſic proſtravit. *Jon.* Sagæ ſceleſta illuſio fuit! *Doeg.* Etiam dixi. *Jon.* Pater, collige vires! *Saul.* Recede fili, recede, quoniam DEUS receſſit à me! *Jon.* Attollite humo: reſpirat enim. O DEus meorum Patrum, nunc ſaltem Patri mentem da meliorem! ah! ut ſit, qui olim fuit! olim *non erat vir melior illo* (1. Reg. 9.) quantùm mutatus eſt!... Pater mi, quis eſt animus tibi? *Saul.* Periimus, fili mi, periimus! *Jon.* Non periimus, niſi nos DEus deſerat. *Saul.* Deſeruit! O Samuel! Samuel! *Doeg.* Samuelem putat vidiſſe ſe ultima omnia minitantem. *Saul.* Quæ hora eſt noctis! *Ab.* Medium cœlum tenet. *Saul.* Ergò jam inſtat ſumma dies, qua apud inferos ero! *Jon.* Pater! ſi ita decretum eſt cælo, ùt ais, noſtrum eſt, curare,

ut apud Superos ſimus. *Saul.* O triſte peccatum! quàm triſtem feciſti vitam, & quantô triſtiorem jam mortem facis! triſte peccatum! *Jon.* Audiam à te, Pater, quid timeas: nam ego ſpe bona firmus innitor DEO. *Saul.* Innitere, tamen cum Patre cades: coronam auferet tibi David tuus, quem utinam occidiſſem! tu impediſti. *Jon.* Rex! qui tibi coronam DEus dedit, ſi jam tollit, aufert, quod ſuum eſt: ſino lubens. *Doeg.* Fatigas parentem, Princeps, patere, ut introeat, comedat panem, bibat aquam, & à terrore ſe colligat. *Saul.* Non comedam. *Arm.* Imò huc ego cibum efferam. *Saul.* Non comedam. Dic potiùs, fili mi, quare tu huc ad me veniſti? & quis me prodidit tibi? *Jon.* Audivi, quòd de Pythoniſſa interrogaveris: an difficile fuit divinare, quò ieris? ivi, ut, ſi poſſem, impedirem enorme ſcelus, quod tu ipſe ſic odiſti olim, ut ſub regiminis initium ex univerſo regno omnes ariolos, magósque expuleris. *Saul.* Memini: ſed nunc aliæ ſunt circumſtantiæ: clauſum cœlum, & ferro durius coegit ire ad inferos, ut opem ferant. *Jon.* opem ſperas ab inimicis? *Doeg.* Paulatim liberior meat ſpiritus! comede Rex, ut vires redeant: redeundum in caſtra erit, antequam dies oritur: via, curæ, pugna refocillationem expoſcunt. *Saul.* Corpori vires ſponte redeunt, animo redditæ, quem horror, mœror, timor, & deſperatio totum proſternunt. *Arm.* Rex, feſtinavit mulier, & paravit aliquid obſonii præter panem: orat, ut ingredi velis, & reficere te. *Doeg.* Animus implicitus corpori cum corpore vigorem recipiet. Sine, ut introducam. *Saul.* Obſequor, quia vultis: fili, ſequere. *Jon.* Hìc expecto: non enim ferre vultum ſagæ patiens poſſem. At tu, Miſael, dic mihi, veréne Samuel apparuit Regi? *Arm.* Verè, Princeps, his oculis vidi, his auribus audivi. *Jon.* Quid loquentem? *Arm.* Melius fleo. *Jon.* Loqueris ſatis. Ingredere jam, & cùm obſervaveris,

veris, Regem pleniùs eſſe redditum ſibi, labora, ut huic viro, quem ego amo, benevolam audientiam facias. *Arm.* Quis vir eſt? *Jon.* Dices, miſſum eſſe à Davide ſummi negotii cauſâ: cætera ego exequar. *Arm.* A Davide miſſum difficulter alloquetur. *Jon.* I, fac, quod dixi: poſtremum obſequium filio Regis facis. *Arm.* Superi avertant omne imminens malum.

SCENA V.

Jonathas. Abiathar.

Jonathas. ABiathar, ſeri conatus ſunt: peractum eſt ſcelus, conſulta ſaga, vocatus orcus in ſubſidium, irritatum novo crimine bonum Numen, periimus! umbra Samuelis denuntiavit ſententiam: hinc Patris deliquium fuit: intelligo omnia! periimus! Sic ego infelix filius ſum, qui Patrem habeo, quem DEus odit! *Ab.* O digne Juvenis, quem ſors melior amet! me miſeret tui, maximè, quia non invenio, unde te juvem, aut conſoler ſaltem: nam verba etiam ſingultiens dolor frangit!.... *Jon.* Siles, amice? fles? *Ab.* Ah! quare me miſit David, ut viderem, & audirem talia, quæ vel ſaxeum cor mollirent in lacrymas. *Jon.* digna eſt lacrymis materia, offenſus DEus, reprobus Pater, damnatus ad mortem Rex, imminens exitium familiæ regiæ! *Ab.* Parce DEus! parce innocenti Jonathæ ſaltem! *Jon.* Imò tolle Jonatham DEus! Patri parce! gaudens morior, ſi mors mea Parenti proſit. Sed cheu! Abiathar, graviora ſunt Saulis ſcelera, quàm ut placando Numini ſufficiat hoſtia tam exilis: metuo, ne peccata ſua luat æternùm miſer! & ſic ego demum verè infelix filius ſum, quippe ex patre natus æternùm reprobo! *Ab.* O Nobilis anima, quàm bene tu inter levem & gravem materiam boni luctûs diſtinguis! *Jon.* Neque tamen vel in

tam gravi luctu omne solatium deest. Amice, corona Regis Israel ex capite, quod odit DEus, transferetur in caput cælo & mihi charum: Regnabis pro Jonatha dilecte David! hoc solatur: vive! regna! *Ab.* Discerpit pectus hæc exclamatio, & tanta virtus elinguem facit. De Davide cogitas Jonatha, nunc, sic? *Jon.* Hæc sola dulcis cogitatio est: vivet, cùm ego moriar, vivet, regnabit David: vivat! regnet! vir est, qui amat DEum, quem amat DEus: igitur regnabit bene, *secundùm cor DEI* regnabit: vivat! regnet! *Ab.* Hæc Fortitudo heroicæ mentis est. Macte animo, Princeps! decretis cæli submittis lubens caput, coronâ ex sideribus dignum: spera! coronaberis! *Jon.* Putas, sine fructu amicitiam cum Davide me coluisse? virtus hominis origo fuit beatæ familiaritatis, virtus amorem incendit, amor traxit ad imitandum. Suspexi in homine contemptum rerum humanarum: non illum Samuelis unctio, non spes coronæ de cælo promissæ, non victoriæ de gigante relatæ gloria, non aggratulationes & plausus populi, non regiæ nuptiæ extulerunt, ut aspernaretur minores se, aut se crederet majorem esse, quàm *in oculis DEI* videretur. Suspexi præterea innocentiam morum, & summam curam, qua cavebat sollicitè, ne admitteret aliquid, quod offenderet DEum. Suspexi Zelum insuper, quo ardebat adversùm hostes populi DEI, in quorum internecionem ruebat impavidus in omne periculum, in medias mortes. Denique suspexi maximè invictam patientiam, qua Patris insanam invidiam, & indomabile odium pertulit, nunquam vindictæ appetens, sæpe bona pro malis reddens, semper erga *Christum Domini* reverens. Quàm indocilis fuissem, Abiathar, si ex his exemplis nihil profeciissem? Patri, amice, post DEum debeo, quòd homo sim: si bonus homo sum, ùt tu putas, Patri planè non debeo! Dav dis tibi dilecti exemplô, DEUS, *de profundis* clamo ad te: *Exurge Domine,*

Domine, ſalvum me fac! quòdſi nolis, nónne tibi *ſubjecta erit anima mea?* Ecce! *in flagella paratus ſum!* accinge te: feri! perime! *Ab.* Ah Superi! utinam infelix Saul hauſiſſet aliquid ex iſta indole!

SCENA VI.

Doeg. Jonathas. Abiathar.

Doeg. PRinceps, ut videas, quòd Doeg tibi non ſit adverſus, cave, ne iſte comes tuus ſubeat iterum aſpectum Regis. Jam plenè redditus ſibi Rex, ùt audivit ab Armigero, hominem ex caſtris Davidis eſſe, præcepit furens, irruere me, & intrò abſciſſum caput in menſam ferre. Ego revereor te, ô Princeps, propterea moneo, ut hominem à te dimittas: ſic aufugiſſe dicam, & evadet. *Jon.* Quid audio? *Ab.* Quid merui? *Doeg.* Transfugam odit Rex, quòd violata fide Domino, adhæreas rebelli ſervo. *Jon.* Quem ſic appellas infande latro! modeſtiùs tu mihi loquere, cùm de Davide loqueris: Jonathas ſum. *Ab.* Neque rebellat ſervus, qui fugit iram injuſtam Domini. *Jon.* Scis, qui ſit, in quem immitteris? *Ab.* Fortunâ aberam, quando auſus es, ſcelerate proditor, quinque ſupra octoginta ſacrilegô ferrô Sacerdotes invadere *accinctos Ephod lineo*, (1. Reg. 22.) inter quos Princeps Achimelech fuit, Pater meus, nam ego, ne ignores, Abiathar ſum. Si meum etiam ſitit ſanguinem Rex, propina Idumæe, habes. *Jon.* Cave, ne manum videam admotam capulo: nam prior cades. *Doeg.* Sic excipior obediens Regi? *Jon.* Quem in furorem agis. Mœrore obrutus Parens quid agat, neſcit: fidelis ſervi eſt, moderari impetum, non adjuvare. *Ab.* Aut num malè tibi viſi ſunt agere conſervi tui nuper, cùm nullus ex Iſraelitis auſus eſt *extendere manus ſuas in Sacerdotes Domini*, quanquam juberet Rex? unus inventus eſt ita fidelis Doeg Idumæus,

mæus, ut mallet DEum, quàm Regem offendere! *Doeg.* Abiathar, in gratiam Jonathæ volebam parcere: nunc, quoniam non æstimatis beneficium, admoneo Patrem de audacia Filii.

SCENA VII.

Saul. Jonathas. Doeg. Abiathar. Armiger.

Jonathas. AMice, in latebras abde te, & primi furoris impetum fuge, ego sustinebo securiùs: nam quantumvis tyrannus sit Pater, adhuc tamen filium amat. *Ab.* Amat, quem jam bis occidisset, nisi vetuissent amici? *Jon.* Cessa obniti contrà: absconde te. *Ab.* Quoniam jubes. *Jon.* Adest summa dies! ama me cœlum, ut Patrem conciliem tibi, priusquam moriamur! *Saul.* Quis imperat? Jonatha, tanti est Pater tibi? trade transfugam! quò auffúgit? *Jon.* Non sum proditor innocentis. Obsecro, Rex, num utramque aurem semper uni Idumæo indulges, nec unam saltem servasti filio? iste meus Comes Abiathar est, Sacerdos Domini: quo titulo meretur mortem? *Saul.* Adhæret rebelli: non est reus satis? *Jon.* Mihi innocens David est, non rebellis. Pater, argumentum fidei ex hoc ipso Legato cape. Philistæi cùm contra nos se congregârunt, dimiserunt à se Davidem metuentes, ne in æstu prælii arma in ipsos verteret: adeò vel hostibus persuasum est, quòd vir illibati candoris non *oderit* Saulem, sed *fugerit.* Deinde nunc, cùm te absente passim diffluxit exercitus, optimi quique ad Davidem transfugerunt. Et quid ille? mittit ad me Sacerdotem, rogat, ut recipiatur in gratiam, spondet, cum omnibus suis accessurum se nobis, & contra Philistjim pugnaturum: per Deum obsecro, si iste animus videtur hostilis tibi, quem tandem amicum putas? *Doeg.* Sæpe bona verba malam fidem obtegunt: & tu malè defendis fugitivum, Princeps. nam qui suspectus

est

est hostibus, unde à nobis *meretur* recipi? *Jon.* O malè feriatum caput, quousque obsistes mihi? scilicet tu ignoras Davidis *merita*? ah! merita si nulla essent, esset amicus felix: virtus, animus, gloria fecerunt invisum æmulis. *Ab.* Et innocentis odium te facit, Rex, invisum DEO! *Jon.* Vah! qua te fiducia prodis Abiathar? *Ab.* Fiduciâ causæ. Ecce Davidis nomine nunquam violatam iterum juro fidem, & DEum testem invoco mentis bonæ! *Saul.* Doëg, *patrem* in filio cerno. *Achimelech* iste est à te occisus, jubente me! intremuit pectus malè conscium sibi! surge, abi, torqueor! *Doëg.* Reliquiæ panici terroris agitant: omitte istos, Rex, in prælium imus. *Jon.* At nunc Pater, impium Idumæum ne audias: Samuel vera dixit: Sanguis Achimelech vindictam clamat: in mortem imus, si in prælium imus, priusquam te cum DEO, & Davide concilias. *Saul.* Quòd tibi vitam istius transfugæ donem, sit tibi nunc satis, fili: de pace tractandi tempus jam non est amplius. Arma Misaël, gladium, scutum, lanceam! *Arm.* Inutilis apparatus est, cùm DEus est hostis. *Saul.* Etiam tu trepidas? *Arm.* Utique, postquam Samuelis umbram audivi, & vidi. *Doeg.* Sic est!: umbram iste timet, futile artificium fallacis fœminæ. Tu verò, Rex, contemne has offucias, emasculantes animum invictum hactenus, & ad omnes casus intrepidum. Jam declinat nox: aurora cùm pinget cœlum, hostis invadet castra: si vel absens se occultet Rex, vel præsens tremat: honor, victoria, exercitus periit. Redde te tuis, priusquam diescat, ostenta vultum hilarem, dic: Samuelem stitisse se tibi insignis victoriæ vatem: sic utili mendacio animatus miles fortiter in hostem ibit. Hoc consilium, Rex, hoc, & nullum aliud admittit tempus, cætera permitte fatis. *Saul.* Dura fata! *Jon.* Desperatum consilium! *Ab.* Scelestus sermo! *Arm.* Funestum remedium tot malorum! *Doeg.* Sed necessarium, & fortè felix. *Jon.* Post triste oraculum! *Doeg.* Nihil credo. *Ab.* Non ideò

falsum est. *Saul.* Falsum an verum sit, est perinde. Doëg imus! si vinco, felix sum: si cado, habeo vitæ infaustæ finem. *Ab.* Animam cum vita prodigis: animam commenda DEO! *Saul.* Qui me deseruit! *Doeg.* Effæminat hæc cura militem: nemo pugnat animosiùs, quàm qui persuasit sibi, quòd post mortem supersit nihil.

SCENA VIII.

Jonathas. Abiathar.

Abiathar. AUdis, Princeps, quod axioma jactet impius Idumæus? *Jon.* O Pater infelix! verè te DEus deseruit: nunc intelligo, postquam te tibi reliquit, & impiis consiliis infamis advenæ!.. Amice, à quo tempore Saul in DEum peccavit, crede mihi, non fuit momentum, quo *seriò lætum* vidi. Terror, ira, odium, rabies, mæror, obstinatio, horror sic discerpebant cor, ut ego sæpe hominem miserans tacitè ingemiscerem, & dicerem mihi: *quàm triste sit peccare*, vide in Patre, Jonatha, vide, & horre! ô Pater! miserrime Pater!.. At seri sunt gemitus! *Justus es Domine, & rectum judicium tuum!* damnâsti ad mortem cum Patre filios, laudo sententiam, quia tu fecisti, qui omnia sanctè facis! Amice vale! ultimum amplexum pro meo Davide cape: dic, lætum Jonatham in mortem îsse, eò quòd relinqueret post se in vivis dimidium sui. *Ab.* Ah! totum te amico serva, fuge prælium, ad Davidem imus! *Jon.* Absit! nam ut ego moriturum Patrem deseram; etiam David nolit. Ad latus pugnabo illi, ut, si prior cadam, exemplô prosim, si prior ille, verbô juvem ad mortem bonam. *Ab.* Nec metuis mori? *Jon.* Abiathar, *amo DEum, & amat me DEus:* sic spero firmiter, & securum conscientia facit: igitur intrepidus obvium pectus morti fero, quæ mihi vitæ melioris principium sit in sinu Abrahæ. *Ab.* Perge fortis:

non

non audeo opponere me decretis virtutis tantæ. Tecum eo, ut non procul à loco pugnæ arbitrer eventum rerum, & orem DEum, ne tristes minæ effectum habeant. *Jon.* Ora, ut Patri parcat, Davidem servet, me auferat sibi.

CHORUS.

Ostenditur, quòd *difficilior* sit via ad infernum, quàm, quæ in cœlum ducit.

Christus in persona Patrisfamilias. *Servus Mundi. Servus Carnis. Servus Diaboli. Olitor*, sive Mundus, curis terrenis occupans suos.

Christus. Infelix sum!...
Olim, quacunque hora exivi,
In otiantes incidi. Matth. 20.
Nunc, quoties exeo, vacuum forum invenio,
Et, si quis occurrit, quem volo conducere,
Respondet: quære tibi servum alium:
Ego *conductus jam sum!*
Omnes serviunt aliis Dominis, mihi nemo,
Infelix sum!...
Tamen hìc exspectabo,
Dum fortè sui aliquem servitii tædeat,
Et ad me transeat....

Olitor, * Eja, serve bone & fidelis! respira paululum!
En! affero prandium!
Refice vires, ut mox redeas alàcrior ad labores.

* Exit cum aquali, & frusto panis, ad servum occupatum in horto olerum.

Serv. M. Here, bona verba, & tenue prandium
Famelicum post tantos labores
Non satiant stomachum.

Aria.

1.

Here,
Loquendum est sincerè:
Jam fodere non valeo,
Sub onere deficio:
Aut *tandem* bene habe me,
Aut cogor te deserere:
Non possum sustinere.

2.

Issem,
Et alteri serviissem,
Si qualis tu sis Dominus,
Intellexissem citiùs!....
Lactatus fui vana spe!...
Si nunquam cognovissem te,
Felicior fuissem.
Here,
Loquendum est sincerè.

Olitor. Ingrate! piger! inutilis serve!...
Quisquis servit mundo,
Cur servit, nisi *pro pane lucrando?*

Ariosè.

Vah! Canis!
Si Jam non sapit panis,
Gustanda erunt verbera,
Trahéris ad supplicia,
Comede!
Aut morere!

Quanquam

Quanquam, quid urgeo?
Nunquid opus eſt mihi ſervo ſeniculo?
Abi ſtipes! pro uno centum alios habeo.
Serv. M. Sic! & ſine mercede promiſſa? ....
Hæc eſt *miſeria cum aceto!* ...
Sed felix neceſſitas, quæ cogit ſapere!
Eo, & meliorem Dominum peto...
At ecce! quid video? ..... *
Serv. C. Eja! herus abeſt: fugæ patet oſtium!
Num adhuc delibero?... ingenuus ſum!
Tædet denique lutulenti laboris!
Ad majora, ad majora ſum natus,
Quàm ut florem ætatis perdere velim
In ſervitio fœdæ ac fragilis voluptatis.
Serv. M. Quid tu conquereris?
Serv. C. Ah! quisquis es, Juveni miſero
Bonô ſuccurre conſiliô.

Aria.

1.

Sum *Magni Patris* filius!..
Et eram adhuc *parvulus*,
Cùm miſer *caſu* incidi
In domum hujus figuli:....
Ut vidit me, blandiſſimis
Aggreſſus eſt illecebris:...
Me vicit curioſitas,
Infelix curioſitas!...
Ingreſſus ſum, & perii!
Nam didici, ah! didici,
Quæ me jam pudet ſcire!

*Fugiens ex officina figuli.

2.

Ab illo miſer tempore
In fœdo verſor opere:
In luto rota figitur!
In luto circùm agitur!..
Quis crederet, me nobilem?
Quis liberum? quis hominem?
Ah! piget, tædet, pudet me!..
Pœnituit ſæpiſſimè!....
Ad Patrem ſæpè volui,
(Heu! volui, & nolui!)
Erubui redire!

Serv. M. Miſeret me tui! ſed in eadem navi ſum tecum:
Ergò quid ſuadeam,
Niſi ut turpe jugum excutias mecum?
Age! mutandus eſt Dominus!
Fugimus! fugimus!

Serv. D. * Miſereſcite boni Superi!
In qualem tyrannum incidi!

Serv. M. Etiam tu fugis tuum Dominum?

Serv. D. Latronem fugio, qui hoc momento
Occidit unum ſervorum, neque adhuc ſatiavit ſævitiem,
Etiam in mortuum exerit rabiem:
Diſſecat, lacerat, excoriat, devorat!
Heu! quid feci, cùm ad venatoria
Me tradidi obſequia,
Et tot bonas animulas in ſtygia
Impuli crudelis retia,
Tam nullô meô commodô!
Tam magno cum labore, & gravi periculo!

Aria.

*Foràs procurrens ſub ſpecie venatoris.

Aria.

O peſſima conditio!
O *malè acta vita*,
Væ mihi! væ! væ miſero,
Si erit *finis ita!*
In alieno corio
Huc usque laboravi:
Jam *pelli meæ* timeo:
Peccavi! ah! peccavi!

Serv. M. Hem! credidi, me ſolum eſſe miſerum:
Falſus ſum!
Serv. C. & D. Eja! unanimiter alium
Quærimus Dominum!
Chriſtus. *Venite ad me!
Serv. C. Vocantem audio!..
Chriſtus. Venite ad me!
Serv. D. Vox eſt ſuaviſſima!
Chriſtus. Venite ad me!
Serv. M. Dulcedo intima penetrat viſcera!
Chriſtus. Quid ſtatis? venite ad me, qui laboratis!
Serv. M. Tu vocas nos? quis es?
Serv. C. Quem jubes laborem!
Serv. D. Quam dabis mercedem?
Chriſtus. *Ego ſum, qui ſum,*
Solus Dominus, ſolus Altiſſimus!
Venite! mihi ſervite!

Aria.

1.

Nil imperabo grave:
Eſt jugum meum ſuave,
Onus leviſſimum!...

* Ex angulo.

Si

Si *propter me* relinquitis,
Quod alii
Promittunt vobis Domini:
Habebitis
(Promitto!) centuplum.

2.

Audivi ſuſpirantes,
Et ſingulos optantes
Mutare Dominum:
Mutate ! Non eſt Melior,
Quàm ego ſum!
Aut ſi occurret Melior,
Quàm ego ſum:
Mutate (non invitus ſum!)
Mutate iterum!

Serv.M. Fratres, juvat experiri, qui ſit!..
Serv.C. Imus, ſervimus!
Chriſtus. Venite, & quàm ſim bonus, videte, guſtate!
Serv.D. Trahis mirabili ſuavitate!
Chriſtus. *Hæc eſt *vinea*: hanc excolite!
Sub veſperum
Cuique debitum reddam denarium,
Et inſuper Cœnam magnificam,
Qua fatigatos reficiam.
Serv.tres. O verè Dominum
Ter Optimum, Maximum!
O nobile, ô felix ſervitium!
Serv.M. Fratres plaudite! en! adhuc hodie,
Chriſtus. Sic eſt: jam hodie

Ariosè

*Exhibitio vineæ, & cænæ magnæ in nubibus.

Ariosè.

1.

Christus. En Cœna est parata *
Qua vos reficiam:
Nec fames satiata
Jam premet animam.
Cessabit servi titulus,
Amicos appellabo:
Et ipse, vester Dominus
Jam vobis ministrabo!
Venite! servite!

2.

Post horulam laborum,
Sudorem tergimus!
Omnes tres. Torrenti gaudiorum
Ærumnas mergimus!
Momentulum miseriæ
Quæ isthìc toleratur,
Æternæ pondus gloriæ
Pro nobis operatur!
Venimus! servimus!

PUNCTUM II.

Saul sibi permissus.

SCENA I.

Jonathas. Doeg. **

Jonathas. DEficio: moreris Jonatha, sic visum est DEO! morere!... ah! ah! ùt cruciat urens plaga! lethale vulnus est: nihil ambigo. O montes Gelboe, locus fatalis mihi!.. inter has rupes filius Regis moritur, desertus à suis,

* Exhibitio cænæ magnæ in nubibus ** Exhibentur montes Gelboe.

omni carens humano ſolatio, beſtjis aut carnivoris avibus futurus præda, imò quod ipſa præ morte horreo, perſequentibus Philiſtæis futurus ludibrio!.. prô! triſte fatum!.. & in hac ætate, cùm de me conceptæ ſpes lætos jam fructus ferunt! nefaſta dies!.. & nemo me juvat? illinc video hominem. * Doeg! Doeg! huc aſcende! vulnus obliga, quod perimit Jonatham! *Doeg.* parce Princeps! hoſtis à tergo imminet: non patitur moram Doegi ſalus. *Jon.* Saltem trahere me tecum potes! *Doeg.* Vix reperio modum, quo mihi conſulam: ita trepidatio mentem turbat. *Jon.* At tu dicebas, neminem eſſe magis intrepidum ad intuitum mortis, quàm qui credit, nihil ſupereſſe poſt mortem? *Doeg.* Nempe diſcrimen eſt inter linguam, & cor. *Jon.* Hoc dices tamen, an vivat Pater meus, Rex tuus? *Doeg.* Non ſcio: nec enim tutò expectâſſem, dum ſcirem. Vale Princeps! *Jon.* Fidelis ſervus es! O DEus, impius evadit, & ego morior!.. Amice David, ſic morientem Jonatham ſi aſpiceres, quo animo ferres?.. occurrit cogitatio bona! quantúmvis ames me, animô magnô tamen hanc ſortem ferres, & hortareris, eodem ut ego ferrem placidè acquieſcens decretis DEI. Facio: acquieſco... Propè jam innato meo ſanguini: ô ſævum vulnus! ... pro Patre DEUS, pro patre hic fluat cruor! pro patre cadam hoſtia tibi! ſuſcipe!.. placare!..

SCENA II.

Saul. ** *Jonathas. Armiger.*

Arm. URge Vires Rex! ne conſequantur nos incircumciſi, & vivos capiant. *** *Jon. in monte,* Cor meum ſemper rectum ad te non deſpicies! *Saul.* Abjicio pretioſa impedimenta fugæ! juva me! calco purpuram tot mihi malorum cauſam! vale corona tot ſpinis horrida, quot gemmis micans!.. *Arm.* Nunc

* Fugitivus ex prælio præterit. ** In valle Fugitivus, & vulneratus. *** procul à Saule ſolus.

Nunc expeditior fugies. *Saul.* Huc vis, ut ascendam? non possum: gravissimus dolor est. *Arm.* Sed gravius periculum: stitit sanguis, & extra præsens discrimen posito non est nulla salutis spes. Surge! ascende! *Jon.* Durum est mori hac ætate, hoc loco, & sic: solatium tamen, innocentem mori. Recipe Spiritum, Deus Patrum, recipe spititum, quem dedisti! reddo purum, & immunem à noxâ gravi: sic spero. *Saul.* Actum est, Misael, non ferunt vires laborem viæ: hora imminet destinata neci à sævo Numine. *Arm.* Vah! paululum viæ supereſt, ut extra discrimen sis ab hoste imminens. *Saul.* Imò hìc moriar. *Evagina gladium tuum, & percute me!* (1. Reg. ult.) *Arm.* Hoc absit! nam quò te impatiens furor abripit? *Jon.* Reddo spiritum purum: Sic spero. Tu mihi redde, DEus mi, mercedem grandem nimis promissam Abrahæ! sic cupio. *Saul.* * Ecce morior! *ô amara mors! Arm.* Nondum moreris: vim fac tibi! modica via restat. *Jon. O bona mors*, tu me in termino pones, in quo securus sum de summo bono, quod unum bonum est! O pars mea DEus in æternum! *Saul.* Gemitum audio: explora, qui sit. *Jon.* in æternum! *Arm.* Juvate Superi! Jonatham video, Rex, cum morte luctantem: propera, si vivum videre cupis. *Saul.* Cupio: trahe me! ** fili mi, Jonatha: ego occidi te! *Jon.* Sic est, Pater mi, DEus filium cum Patre ferit, ut Pater ex cruciatu filii crucietur. *Saul.* Crucior! moriemur simul! *Jon.* Fugiamus simul! *Saul.* Uterque saucii graviter, quò fugiemus, mi fili? *Jon.* In sinum Abrahæ, Pater mi, in sinum Abrahæ, ad Patres nostros, ubi expectabimus Redemptionem Israel. *Saul.* Ita, ita, tu ibis in sinum Abrahæ, ad Patres nostros: sed ego infelix in orcum ibo, ad Cainum, ad Pharaonem, ad Abimelech! *Jon.* Absit, ô Pater! non dividamur! non dividamur! *Saul.* Actum est! projecit me crudelis DEus: dividemur æternùm, dividemur! *Jon.* Nunc me occidis! *Arm.* Heu! moreris Princeps! *Saul.* Moreris! *Jon.* DEus, Patri parce! Patris miserere! ...

* Procumbit fatigatus, ** Festinat.

SCENA III.

Saul. Armiger.

Arm. COncidit! heu! funus est! *Saul.* Stupet dolor! Jonatha!.. *Arm.* Frustra mœrore conficeris, Rex fuge! hostis persequitur. *Saul.* Cessa! fugere vulnus prohibet, non sinit mœror. Tu evagina gladium tuum, & percute me! *Arm.* Aliud jube: hoc non facio. *Saul.* Ego facio. *Arm.* Te ipse perimes? non sino. *Saul.* Tu Regi audes tuo manus injicere? recede! *Arm.* Ah! Rex! *Saul.* Angustiæ sunt mihi undique! fac animæ viam mucro, ut spiret liberiùs. Vah! manus debilis non tenet ensem! officium negat! Misael, tu me percute! *Arm.* Non facio, & non extendo manum meam in Christum Domini. *Saul.* Vecors bestia! quid mihi prodest unctum fuisse in Regem? utinam agáso morerer! percute me! *Arm.* Imò curram, Rex, ut inveniam hominem, qui me juvet te hinc asportare, ne incidas in manus Philisthjim! *Saul.* Abjit. Jam nemo me impedit, quin finem faciam crudelibus malis... manus ut feriat, non sufficit sibi: at pondus corporis sufficiet, ut incumbens super gladium in mortem concidam. Jonatha, sequor te. Scilicet hoc deerat extremis malis, ut ante me morereris, & in oculis meis! mortuus es! Sequor! sequor! aperite portas tartara! grandis anima descendit ad vos! ô triste peccatum, huc tu me adigis! valete cœli semper adversi mihi, duri, inhumani, & istis scopulis asperiores! vale terra! ad inferos eo!.. Vah! aberrâsti infelix ferrum: nondum vulnus est latum satis. Oh! dolor immanis!... juvate manus! corrigite errorem ensîs!.. satis est: sentio: finis venit, Saul, venit finis, nunc finis super te! per omnes jam artus sævit mors! egredere invisa DEO anima! egredere!...

SCE-

SCENA IV.

Muta.

SUB *lugubri musica repræsentantur gravissimæ mortis angustiæ, quas patitur Agonizans Saul ex consideratione temporis præteriti, præsentis, & futuri. Itaque lento passu, & tristi ordine post Præconem, qui feralem pompam præcedit, cum duobus fascigeris, animam morientis ad Iudicium citans, ostendunt se miserø*

I. *Peccata commissa, nempe* Diffidentia, *quam exhibet imago victimæ contra DEI mandatum præpropere immolatæ cum inscriptione:* Stultè egisti. (1. Reg. 13.) Inobedientia, *quam repræsentant duo Genii prohibitam prædam sub specie Religionis servatam ferentes cum inscriptione:* Obedientiam volui, non sacrificium. (1. Reg. 15.) Invidia, & odium, *quod exprobrat fugitivus cum Cythara sua Genius Davidis, adscripto lemmate:* Quid feci? (1. Reg. 19.) Crudelitas, *de qua queritur Achimelech cruentum gladium ostentans, quo cum 84. Sacerdotibus fuerat occisus, cum inscriptione:* Quid fecimus? (1. Reg. 22.) Obstinatio, & desperatio, *quam arguit umbra Samuelis librum gestans, cum inscriptione:* Monui! (1. Reg. 28.)

II. *Succedit huic agmini pompa funebris, quam adornant plures Genii ferentes insignia Regia, sed inversa cum inscriptione:* Finis est!

III. *Demum signum infelicis æternitatis, in medio Theatro se instar Cometæ constituit cum inscriptione:* Initium sine fine! *Quod videntes Cives Jerusalem, (hoc est, animæ bonæ) deflent primi Regis sui miserum interitum, cantantes hæc verba:* ô triste peccatum, quod excipit tristis vita, tristior mors, tristissima æternitas! *Sauli verò extremæ angustiæ hæc identidem suspiria extorquent:* nunc recordor, quæ mala fecerim!... recordor!... ô tristis *memoria!...*, vos video David, Achimelech, Samuel!.. abscedite tortores sævi!... Hem! fui Rex! intelligo: *finis est!* jam quid ero!.. atrox cogitatio torquet *animum*; heu! miser

æternùm ero! perji! DEus deseruit! mihi relictus sum! æternùm perji!.., infelix!.. Egredere invisa Deo anima!... egredere!

SCENA V.

Abiathar. Armiger.

Armiger. HIc vides protrita monumenta miseræ Majestatis. *Ab.* Sic vilescunt? *Arm.* In ista hora. Sed properemus: en hìc Jonathas jacet! *Ab.* Heu! Jonatha, immanis dolor Davidis tui! *Arm.* Prô! quid est hoc? Rex se occidit! *Ab.* Vah! Rex! tot sceleribus scelus extremum addis! ah! jam torvi oculi in morte natant! *Arm.* Nullus est motus, nullus est halitus super. *Ab.* O Rex infelix! *Arm.* Ergò nec ego vivam. *Ab.* Superi! quid facis Misael! *Arm.* Morior. *Ab.* Miserere cœlum! perjit! Heu! tria funera lugeo! omnium causa peccatum est, *triste peccatum!* ... præ horrore lapidesco!

MEDITATIO IV.

PECCATUM
MALUM MAJUS MORTE
SIVE
OCHOZIAS.

ARGUMENTUM.

SÆpe, quos *cupiditas boni* nulla potest in peccatum pertrahere, *Metus mali* præcipitat, quod ope peccati sperant effugi posse, contra omnes prudentiæ regulas utique, quia remedium eligunt, omnî malô deterius, & ipsa, quæ terribilium omnium terribilissimum dicitur, *Morte majus.* Stultitiæ hujus cum tot aliis reum se fecit Ochozias Achabi Filius, Samariæ Rex,

Rex, qui cùm ex lapsu per cancellos cænaculi sui ægrotaret, & propter scelera sua nullam opem speraret à DEO vero, misit nuntios, qui Idolo Beelzebub pro se supplicarent. Quis hìc neget, sapientiùs acturum fuisse Ochoziam, si *mori pœnitens*, quàm sanari *per scelus* maluisset? Certè quia ex metu mortis peccavit, vitam utramque perdidit, temporalem, & æternam, id quod illi Elias Propheta DEI nomine prædixit his verbis: *Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub DEum Accaron, quasi non esset DEus in Israël, à quo posses interrogare sermonem, ideò de lectulo, super quem ascendisti, non descendes: sed morte morieris.* 4. Reg. 1. Atque ita hæc est hujus quartæ Meditationis

Materia: Ochoziæ gemina Mors.

Puncta duo. Primum, Ægrotantis impatientia.
Secundum, Morientis obstinatio.

Fructus: Detestatio stolidi axiomatis: *Nollem peccare, sed cogit necessitas.*

Propositum: Fuga peccati, etiam cùm spes est peccati ope evadendi grave malum, aut ipsam mortem. *In specie* decernamus moderari *timorem* malorum temporalium, cùm imminent, & *impatientiam*, cùm premunt. Hæc enim gemina radix est multorum scelerum ferax in animis non heroicè pijs. Cogitemus, viri verè Christiani esse, sicut *Magna* agere propter Deum, ita, cùm Deus vult, *fortiter* pati.

In Choro Ostenditur, quòd, qui nunc peccant ex temporalis miseriæ aut mortis metu, tandem *quæsituri* sint mortem, nec *inventuri*, teste S. Joanne Apoc. 9.

PERSONÆ.

Ochozias Rex Israëlis.
Elias Propheta.
Abdias Dux Quinquagenarius jussus Eliam abducere.
Ezriel à Cubiculis Regi Ochoziæ.
Amasa à Cubiculis Jezabeli Regis Matri.

PRO-

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad præsentem.

Fides. Ratio.

Ratio. PRô! lugubris Scena, horrore plena, *
Quid vis, ut faciam putrida inter cadavera?
Fides. Fastidis: gaudeo! est utilis nausea.
Age, quid de peccato sentiant,
Has calvarias, hæc ossa interroga.
Ratio. Nihil jam talibûs est opus Doctoribus:
Quàm nullum *à peccato* sit bonum,
Quàm multum *in peccato* sit malum,
Didici satìs.
Fides. Sed adhuc non times, non horres satis.
Aut Eja! (nam iuvat tentare)
Dic! *mallésne mori, quàm rursum peccare?*
Ratio. An mori mallem, hoc interrogas?
Fides. Hem! nunquid hæsitas?
Ratio. Nempe dubito, an, si affirmavero,
Seria sit futura responsio.

Aria.

1.

Quid dicis, Anime?
Alterutrum
Si esset necessarium,
Aut mori, aut peccare,
Quid velles præeligere,
An mori?... an peccare?
Quid dicis, Anime?

2. Ah!

* Exhibetur cæmeterium.

2.

Ah! hæres! sentio:
Fœmineum
Heu! audio suspirium!...
Audes deliberare?
Dic: *mori*, *mori eligo*!...
Non cessas fluctuare?...
Num frustra urgeo?..

Fides. Ah! *larvam mortis* metuis:
Mortem veram nondum, nondum satis effugis,
Quia, quamdiu times mori,
Vix tentationi resistes graviori.
Disce hodie *duas mortes* distinguere:
Una est *corporis*, altera *animæ*,
Utraque horrida,
Sed *altera* tanto horridior,
Ut, si inter se compares,
An *prima* dici possit Mors, meritò dubites.

Aria.

1.

Quod corpori est *anima*,
Hoc *animæ* est gratia:
Hac vivit: ex hac crescit!
Hæc si aufertur, moritur,
Cadaver fit, dissolvitur,
Et miserè putrescit.

2.

Hæc mors, hæc est mors pessima,
Nam anima sic mortua
Non mortua videtur:
Sepulchro pulchro clausa est,
Nitente cute tecta est:
Hinc fœtor non horretur.

Fides. Vera igitur mors est mors animæ:
Jam, an sit præ morte corporis
Malum magis terribile,
Ex antithetis statue.
Una bonîs fortunæ, *altera* bonis gratiæ spoliat te:
Dic: Utra est prædo crudelior?
Una malum ultimum infert corpori,
Altera Spiritui:
Dic: Utra est latro violentior?
Una spem Resurrectionis relinquit certissimam,
Altera tenuem, & plurimùm dubiam:
Dic: Utra est pestis deterior? ..
Accedit, quòd *stimulus mortis*
Peccatum sit, 1. Cor. 15.
Et mors animæ mortem corporis
Secum ferat sæpissimè! ..
Atque ita hæc est *peccati vis*,
Ut te faciat *mori bis*! ....
In Ochozia, quod assero, meditaberis.

Ratio. Age anime, rem magnam feceris,
Si hanc tibi veritatem persuaseris.

Aria.

Age, age, meditare,
Quantum *malum* sit peccare:
In hac re non cæcutire
Magni est momenti res:
Date lumen Cœlites!
Nempe non est malum, *mori*,
Sed est malum, *malè* mori:
Neque *verbum* est timendum,
Timeo *adverbium*!
Dicit malum *geminum*!

MEDI-

MEDITATIONIS IV
De gemina morte Ochoziæ
PUNCTUM I.
Ægrotantis Impatientia.
SCENA I.
Ochozias. Ezriel.

Ochozias. ITerum quinquaginta viros interfecit Elias, Ezriel! hoc feram? *hæc faciat mihi DEus, & hæc addat*, nisi adhuc hodie luat illatam centum virorum cladem Propheta sævus. *Ezriel.* Parce tibi, Rex, ira ægroto nocet, & quod Prophetæ minaris malum, à cœlo provocas adversùm te. *Och.* A cœlo iste Propheta non venit, qui sic furit: ab orco venit. *Ezriel.* Atqui de cœlo, non ex orco vocavit ignem, qui geminos quinquagenarios devoravit. *Och.* Ergò de cœlo vindicabo me. I, præcipe Militiæ Principi, ut mittat tertium cum quinquaginta viris, qui hominem huc sistant mihi. *Ezriel.* Dubito, an reperturus sis vel unum, qui eat, postquam ex bis missis redjit ne unus quidem (4. Reg. 1.) *Och.* Quid? non ego Rex sum, &, quamquam sim æger, adhuc impero? *Ez.* Imperas! sed parce, Rex, si omnes Eliam magis, quàm te timemus. *Och.* Crude, cui loqueris? *Ez.* Regi, sed homini, & cœlo sic volente, *misero homini*, quem elumbe corpusculum lecto affixum tenet. Rex, audi fidelem famulum: vana est ira, cui nullæ sunt vires! utiliùs humiliares caput superbum Deo Israel, & te ad mortem disponeres, quàm de occidendo viro cogitares, quem argumentis adeò terrificis cœlum demonstrat sibi charum esse, ut terror hominis concus-

ſerit univerſam Samariam. Itaque certum eſt mihi, ſi centies juſſeris, nemo adverſùs Eliam ibit: vincit timorem Regis timor Numinis. *Och.* Cujus Numinis? num creditis vos, omnia Numina conjurâſſe adverſùm me? Odit domum Achab DEus Iſrael, hoc experior: ſed non me deſerent Dii Ægyptiorum, quos adoramus in vitulis, non Baal DEus Sidoniorum, non Beelzebub DEus Accaron: hos timete. *Ez.* Omnes adoramus nos: propterea nullus, puto, timendus eſt nobis. Sed tu, cùm adores cæteros, ſoli DEO Iſrael reverentiam nullam exhibes, quanquam ex argumentis evidentibus non poſſis neſcire, quanta ſit illius potentia, fortaſſe etiam ſupra cæteros Deos: ecce! hæc malorum origo eſt tibi. *Och.* Cæteri Dii placidi ſunt: ſolus DEus Iſrael Zelotes eſt, & impatiens, ſi colatur DEus alius, præter ipſum: DEum tam ambitioſum, &, qui me odit, ego non colo. *Ez.* Et miraris, quòd, quem non colis, te perſequatur! ego verò hoc miror, Rex, quòd Dii cæteri non defendant clientem ſuum contra DEum Iſrael. Hæc res jam ſæpè hanc ſuſpicionem mihi movit, utrum non DEus Iſrael *ſolus* ſit Deus: certè potentiam ſuam nullus alius manifeſtiùs prodidit. *Och.* Potentia cruciandi hominem videtur tibi probatio *D*ivinitatis ſuper alias eminentis? *Ezriel.* Omnino, ſaltem quando *potentes potenter tormenta patiuntur*, quin aut ſe ipſi, aut ipſos alii à cruciatibus poſſint eximere. *Och.* Ego ſi DEus eſſem, mallem beneficentiâ, quàm tyrannide me DEum probare. *Ez.* Imò ſi DEus eſſes, DEum te paulò ſapientiùs loquendo monſtrares: nunc, cùm ſis homo, cave, ne judices, quid agendum ſit Djis, qui te judicabunt. *Och.* Sanus ægro facilè conſulit: ſed tu neſcis, quanti me dolores affligant. Uror! *Ez.* DEUS Iſrael urit, Rex, reverere! deprecare! *Och.* DEum tam crudelem revereri non poſſum. Prô! dolor inſanus lacerat viſcera, & ipſa oſſium medulla ardet!.. *Ez.* Quia nova blasphemiâ

irritâſti

irritâsti magnum Numen. *Och.* Tace Numen! non colo Deum, cui adeò nullus respectus Regis est, ut inter Principem & rusticum discrimen non faciat. Nullo mihi est opus DEO, ut finem his malis faciat: ego faciam, pugionem porrige! *Ez.* Miseret me! acerbitas mali incipit te in furorem agere. *Och.* Quid facis? *Ez.* Quod Medicus jussit, ne, cùm insanies, tibi aut aljis facias malum majus. *Och.* Stringor? adeste furiæ, juvate Regem Israel, quando ex enervibus Diis nemo est, qui me juvat. Sceleste verna, tu me vincire? *Ez.* Quia insanis. *Och.* Tu insanis! *Ez.* Imò ego facio officium fidelis servi, & à malo majore caveo. *Och.* Invisum cœlum, quousque erit volupe tibi in meis miserjis helluari! *Ez.* Vides, quòd insanias: non enim, si saperes, tam inconditis vocibus Superos iterum irritares. *Och.* Cessa tu Superos oggerere, qui me oderunt: ab inferis opem volo: Solve me! *Ez.* Inferi te solvant! *Och.* Mancipium impudens, temerarium, procax, sceleratum, tu mihi manus injicere violentas? Solve! *Ez.* Medicus prohibet. *Och.* Rex jubet. *Ez.* Donec Rex redeat ad mentem bonam, parendum est Medico. *Och.* Satia ingluviem furoris tui in hoc spectaculo Numen atrox. *Ez.* Nunc furat, ùt vult. *

SCENA II.

Ezriel. Amasa.

Amasa. Ezriel, malum grave Regi nuntiò. Jezabel, ùt audivit de gemina strage, qua duos Quinquagenarios Elias consumpsit, sic exarsit rabie, ut inciderit in amentiam, & à Medicis vinciri debuerit. *Ez.* Feciſtis Matri, quod ego filio: nam & ipse furit, atque sic blasphemat Deos, ut, si non est, saltem esse videatur amens, & insanire. Amasa, hic fructus impatientiæ est, qua fit, ut adversa ferre nolint, qui credunt, famulari sibi cœlos,

* Clauditur.

& elementa debere. *Am.* Dixisses melius: hic fructus contemptùs est, quo tota Achabi domus DEum Israel irritat adversùm se: atque hoc est, Ezriel, quod ego non capio, cur fiat. Dji cæteri, quos colimus, nunquam, quod sciam, ullum nobis testimonium dederunt aut potentiæ suæ, aut beneficentiæ: DEus Israel per unum Eliam Regnum universum sui nominis famâ implevit ex gloria prodigiorum, quibus vir ille inclaruit: & tamen Djis omnibus aljis sacrificant Reges, soli DEO Israel non sacrificant. Vitulis ex auro purissimo fusis pretiosa altaria sæpe multis victimis fumant: Beelzebub in Accaron frequentibus peregrinationibus & hostjis colitur: Baali in ipsa Samaria magnificentissimum templum stat, altaria, vasa, apparatus loci, ornatúsque, superbia plùs, quàm Regia fulget: Sacerdotum numerus, quanquam non ita pridem populus ab Elia concitatus quinquaginta omnino supra octingentos occiderit, (3. Reg. 18.) sic iterum curâ Jezabelis excrevit, ut eos templi amplitudo vix capiat: (4. Reg. 10.) omnes aluntur impensîs Regis, liberaliter, lautè, splendidè: solus DEus Israel nec templum habet, nec Sacerdotem, nec Aram: cur? *Ez.* Tu hoc miraris, ego non, nam facilis est explicatio causæ. Jezabel amat Deos, qui vel non sunt Dji, vel saltem non sunt vigiles Dii ad nostra facta: certè sicut nemo est, qui gloriari possit, quòd beneficium ab illis acceperit, ita neque invenies aliquem, qui, si malè fecerit, conqueratur, se fuisse punitum. Dissimulant, si quisque agat, quod lubet, & modò interdum flectamus illis genua, libertatem indulgent, etiam litandi genio, quascunque victimas velis. Itaque sicut libertas placet, sic placent isti Dji. At non sic DEus Israel. Iste præter Sacrificia, quæ statis temporibus postulat, etiam invigilat moribus, & urget observantiam præceptorum, quæ tulit. *Am.* Sic est, gravibùs pœnis urget: neque opus est exempla ex annalibus petere: vidimus oculis nostrîs clausum ab Elia cœlum totô trienniô (3. Reg. 17.) ita, ut nec ros, nec pluvia cade-

caderet ſuper terram, & quanta tunc fame afflicti ſumus! Rex Achab, cùm innocentis Nabothi vineam rapuit, quas minas ab eodem Propheta audivit! pars impleta eſt: in eodem loco, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, linxerunt etiam ſanguinem occiſi Regis: reſtat, ut à canibus etiam voretur Jezabel, & deinde omnis Achabea familia exterminetur, (3. Reg. 21.) verùm ſi hæc vigilantia DEI Iſrael, pœnæque ſeveritas exacerbat animos, cur non ejusdem beneficentia allicit? Certè idem DEus, qui clauſerat cælum ad ejusdem Prophetæ preces rurſus aperuit nuper, pluviiſque largiſſimis terram recreavit. *Ez.* Amaſa, quibus licentia vitæ cordi eſt, beneficia à DEO non poſtulant, modò ille pœnas ſuſpendat. Propterea *Deos incurios* venerantur, & hoc putant eſſe beneficium ſummum, quod ſint incurij. DEus *attentus* & *vigil* non poteſt amari ab amante licentiam vitæ.

SCENA III.

Abdias. Ezriel. Amaſa.

Abdias. QUid agitur, amici? ùt valet Rex? *Am.* Impatientia malorum Matrem & filium in rabiem egit. *Ez.* Sed tu opportunè te offers, Abdia, nam potes remedium ferre. *Ab.* Quid ita? *Ez.* Tu *times valde* Dominum DEum Iſrael. *Ab.* Sic eſt, quia ipſe eſt DEus ſolus. *Am.* Et tu nuper centum Prophetas illius abſcondiſti à furore Jezabelis eos ad necem quærentis. (3. Reg. 18.) *Ab.* Feliciter. *Ez.* Igitur te amant ſervi DEI Iſrael, & amat Elias. *Ab.* Experimentô certus ſum: quid deinde? *Ez.* Rogo te, ut virum DEI adducas Regi, ut ſanet eum. *Ab.* Et nempe ſi ſanare noluerit, ut occidatur? Abſit! in manus tyranni virum DEI non trado: fugiat ille nunc ad Deos ſuos: ſurgant, opitulentur! *Ez.* Fugit jam, ſed non opitulantur. *Am.* Ignoras tu, quid acciderit? *Ab.* Triduum Samariâ abſens quid audierim? *Am.* Nempe miſit nuntios Rex ad Beelzebub DEum

DEum Accaron, dicens: ite, consulite Beelzebub DEum Accaron, utrùm vivere queam de infirmitate mea hac. *Ab.* Audio novum scelus, & in ipso pœne mortis articulo? *Am.* Quid faceret Rex? mortem timet: ut fugeret pro remedio ad DEum Israël, animus malè sibi conscius vetuit. Supererat, ut opem flagitaret ab alio DEO minùs rigido. *Abdias.* Egregiè. Et quis est alius DEus, qui servet in vivis Regem, ringente DEO Israël? scelerata superstitio! sed narra porro. *Am.* Occurrit nuntjis Elias, & ultrò compellans viros inquit: *Nunquid non est DEus in Israël, ut eatis ad consulendum Beelzebub DEum Accaron? quamobrem hæc dicit Dominus: de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* *Ab.* Hoc habet: quo medio voluit arcere mortem, accersivit. *Ez.* Quid faceret? *necessitas huc adegit.* *Ab.* Insignis defensio. Ergò videtur tibi dari aliquando *necessitas* offendendi bonum Numen, & adversùs præcepta illius insurgendi audacter? *Am.* Utique contingit interdum, ut aliter, nisi peccando, egestas, infamia, ærumnæ aliæ, sæpe mors ipsa evitari non possint. *Ab.* Amasa, *obedire DEO est necesse, vivere non est necesse:* neque prudenter *malum majus* eligis, ut effugias *minus:* centies hoc principium inculcandum est intellectui non assueto ratiocinationibus solidis. *Ez.* Atqui *malum maximum mors* est. *Ab.* Infinities *majus* peccatum est, quo DEUS verus offenditur. *Amasa.* Sententiam difficilem loqueris. *Ab.* Certam. Nam dicite mihi, cur mors vobis malum grande videtur? nimirum *omne bonum* cum vita aufert, & tollendo omne bonum videtur inferre *omne malum.* Fallimur! multò graviùs peccatum nocet. Nam bona, *quæ tollit mors*, sunt opes, sunt honores, sunt voluptates, bona necessariò semper vana, sæpe brevia: bona verò, *quæ tollit peccatum*, sunt gratia DEI, & amicitia cum jure ad cœlum, bona, ex quibus pendet, imò in quibus consistit tota felicitas hominis. Præterea, si præ-

ter

ter bona, quæ *aufert* peccatum, consideratis mala, *quæ infert*, ecce tibi! *Mors* omnium hujus temporis malorum *finis est*, finis egestatis, finis contemptuum, finis dolorum: *Peccatum* verò *initium* est omnium malorum vitæ alterius, quippe reos vos faciens æternæ miseriæ. Accedit his, quod attendendum est maximè, quòd, quantúmvis acerba sit mors, spem tamen resurrectionis non tollat: *resurgemus ad vitam*, certum est nobis ex ore DEI: at peccatum spem resurrectionis *ad gratiam* non nisi dubiam, & prorsus incertam relinquit. Nunc concludite vos, utrum sit malum majus, peccatum, an mors. *Am.* Doctrinam tu mihi novam canis, quam ego necdum penetro satis. *Ab.* Doctrina est, quam ego à viris DEI accepi, sanæ Rationi conformis, & vitæ bonæ fundamentum. Sed vos, qui præter DEum Israel etiam alios colitis, utique non estis capaces intelligendæ veritatis tam sublimis: nam cùm cæteri, quos Deos vocatis, non sint inimici scelerum, mirum non est, quòd inter mala minima numeretis peccatum. *Ez.* Docebis tu ista nos alia occasione faciliùs, imò Eliæ docendos committes, si permittas cœptæ narrationis telam pertexere. *Ab.* Narrate. *Am.* Nempe reversi nuntii narrârunt, quod accidit. Furentes Rex, & Regina mittunt sine mora quinquaginta viros, qui Prophetam *victum* ad se pertraherent: verùm illos unà cum duce suo lapsus de cœlo ignis omnes absumpsit. *Ab.* Expectabam ejusmodi aliquid: nam novi Eliam. Neque sapere ex prodigio didicerunt impii? *Ez.* In novam rabiem acti novum miserunt manipulum, quem rursum eadem flamma voravit. Malum hoc sic bilem ambobus accendit, ut oportuerit ipsos vincire. *Ab.* Pœna talionis est hæc. *Am.* Nunc à te uno supereſt aliqua remedji spes. *Ab.* Quid ego juvem? *Ez.* Elias juvabit, si tu accersas: nam alius nemo audebit accersere. *Ab.* Nec ego vocabo, nisi priùs dispositum videam Regis animum, ad

excipiendum virum DEI, ùt decet. Ingredere, ut videas, an non redierit ad se. *Ez.* Facio. *Ab.* Ah! ut amet me Deus, & Regis animum æquiorem Prophetæ faciat! *Ez.* Dormit, & fessus furendo nempe in somnum profundum concidit. Solvo vincula, ut expergefactus in novam non recidat rabiem. *Ab.* Interea tempus est nobis deliberandi de modo, quo rem peragamus ex voto. *Am.* Deliberamus. *Ez.* Ita. *

SCENA IV.

Umbra Regis Achab.

Umbra. DOrmi, dormi scelesti Patris Fili scelestior,
Et jam nunc vindictæ cœli maturior!
Dormi! paulò pòst evigilabis in inferis,
Ubi æternùm me, & te execraberis,

Lamentatio.

Heu!

Fili, infelix fili! quare fodisti tibi cisternas dissipatas? quare dereliquisti fontem aquæ vivæ, Dominum DEum tuum!

Heu!

Quare non sapuisti ex Patris supplicio? neque vexatio dedit intellectum, ut agnoscerès, quòd dominetur Altissimus in Excelsis, vigilans super acta filiorum hominum.

Heu!

Percussit te Dominus, ut sanaret, & non es sanatus: irritum fecisti consilium optimum, & aversus es à facie Domini.

Ah!

Vertisti dorsum DEO Israel, ut consuleres DEum Accaron: dixisti in corde tuo: Dominus odit domum Achab, & non faciet mihi bene: juvabit me DEus alienigena.

Ah!

* Dormienti se sistit umbra.

Ah!

Stulta ſpes fuit, qua irritâſti Dominum DEum Iſrael juxta omnia, quæ fecit Pater tuus: & non eſt DEus, qui defendat te contra iram furoris ejus.

Ah!

Morte morieris, fili! deſcendes ad me in terram tenebroſam, & opertam tetra caligine: terram, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

Væ!

Væ ſic morienti! vitam vivet tam amaram, ut bonum eſſet ei, ſi non fuiſſet natus homo ille.

Væ!

Onus grave aggravatum eſt ſuper nos: pondus peccati quaſi talentum plumbi deprimit in profundum abyſſi.

Væ!

Ibi auditam facit Dominus gloriam vocis ſuæ, ſicut tonitrui in rota, & terrorem brachji ſui oſtendit in flamma ignis devorantis: nutrimenta ejus ligna multa, & flatus Domini, ſicut torrens ſulphuris ſuccendens illa.

Fili!

Infelix fili! audi vocem infeliciſſimi Patris tui, & ne venias etiam tu in hunc locum tormentotum, convertere, convertere ad Dominum DEum tuum.

SCENA V.

Ochozias ſolus.

PAter! infelix Pater! quò abjiſti:... vidi te!.. ubi es?.: non vidi! ſomniavi!.. non ſomniavi, vidi, audivi: & adhuc tinniunt ambæ aures, adhuc frigidus ſudor omnibus membris fluit... imò ſomniavi! dormivi certè, nam ecce! cum vigilia dolores redeunt, inſani dolores!.. ſentio, adigere

per hæc tormenta Ochoziam cupis, crudele Numen, ut tibi inclinem caput: non inclino!.. non est hoc medium aptum huic indoli: blanditjis trahor, si nescis, donis allicior, beneficjis captor! DEum tam sævum non amo! non possum amare!... Sed monuit me Achab, ut convertar ad DEUM Israel: exprobravit fugam ad DEum Accaron, minatus est tormenta, quæ ipse patitur, graviora his, quæ patior ego: Ochozia, considera, quid decernas.... si fuero sanatus, tunc decernam: nunc hoc est certum, quicunque me DEUS sanabit, illum ego amabo. DEUS Israel, sana me: tunc te colam!... Ah! dum clamo ad te, intenditur cruciatus immanis! Sic audior! ô DEUS dure!

SCENA VI.

Ochozias. Ezriel. Amasa.

Ezriel. VIgilat. Rex! suaviter dormientem vidi, gaudeo; nisi brevior fuisset somnus, quàm vellem, etiam gratularer. *Och.* Atqui ne tantillum quidem quietis indulsit invidum Numen, quin multo felle misceret. Visus est mihi per somnium Achab catenis vinctus, & gravissimè querulans de tormentis, quibus affligitur. *Ez.* Eheu! post mortem adeò? *Och.* Ut videas, num possit amari DEUS tam parum amabilis. *Ez.* Vindicat suæ Majestatis dignitatem. Cedendum est, cedendum, Rex, DEO, qui mihi vehementer iratus videtur tuæ Domui, nam etiam Regina Mater morbô repentinô prostrata gemit: adest Amasa, qui nuntiet tibi. *Am.* Doleo. *Och.* Supereſt, ut adhuc in fratres exerat rabiem furens Numen, hoc expecto: nam filium ne quidem indulsit. *Am.* Ah! Rex! fatigas longanimem patientiam DEI per impatientiam tam ferocem. Dede te denique, fatere, quòd minùs colueris DEum Israel, quàm debebas: deprecare. *Och.* Amasa, suade aliud, quod prosit: hoc non facio. *Ez.* Relabitur in insaniam: juva me, Amasa. *Och.*

Scelestę,

Sceleste', iterum vincies me, & erit tibi captivus Rex! *Ez.* Medicus jubet. *Och.* Cessa! sapio enim. Prô! quæ est hæc Regis miseria, sic elumbem jacere, & subjacere servulorum arbitrio!.. nempe hoc aspectu te pascis, in hac victoria te ostentas cœlum atrox! sic triumphas! triumpha! triumpha! & contra folium, quod vento rapitur, ostende potentiam tuam! *Am.* O bona cogitatio! sic age, Rex, ùt folium te permitte vento divini nutûs: nam si resistis, ùt quercus annosa radice tumens, frangéris. *Och.* Verba me nihil juvant: remedium dolori ferte. *Ez.* Consulere possumus: Eliam voca! cognita est tibi thavmaturga Prophetæ manus. *Och.* Ultrò non accedit, cogi non potest, scitis: quid faciam? *Am.* Ecce Abdias adest: adducet tibi, *Ochozias.* Audes?

SCENA VII.

Ochozias. Ezriel. Amasa. Abdias.

Abdias. REx, ego pro tua salute etiam discrimen vitæ lubens subibo, si modò spes adsit fructus boni. *Och.* Consule, quidquid velis, modò me juves. *Ab.* Eliam adducam. *Och.* Centum funerum reus mihi, non veniet. *Ab.* Quem prodigio tam insolente cœlum defendit contra injustam vim, non est reus. Nempe Duces Quinquagenarii, quos miseras, Rex, velut pro potestate volebant virum DEI in judicium profanum pertrahere: propterea servum suum ultus est DEus Israel, igne de cœlo misso utrumque perdens, ut nimirum constaret nobis, qua reverentia tractari velit, quos ipse amat. Tangit pupillam oculi DEI, qui servum DEI per injuriam tangit. *Ochozias.* Suade igitur, quid modo agendum sit, ut hominem benevolum habeam: ago, quod vis, modò me juves. *Abdias.* Igitur, si probas consilium, Rex, cum aliis quinquaginta viris, quos mecum ducam honoris causâ, non animo inferendi vim renuenti, pergam ad hominem DEI, & dicam ei, non sicut primus, & secundus, qui

missi sunt: *Homo DEI, Rex præcepit, ut descendas,* (4. Reg. 1.) sed paulò modestiùs ita loquar: *Homo Dei, noli despicere animam meam, & animas servorum tuorum, qui mecum sunt,* (ibid.) Descende! juva Regem! nam à te postulat opem, & sperat. Ita sanè desiderat DEUS Israel, ut agamus cum Sanctis suis, si volumus, ut nobis prosint. *Ochozias.* Ita fac, modò me juves. *Abdias.* Igitur eo. Tu verò, Rex, ut interea disponas animum ad gratiam, quam Elias à DEO feret, patienter dolores fer, geme de peccatis, fatere, quòd merueris. *Ochozias.* Audio: sed tu festina modò, festina, ut juves me. *Abdias.* Ecce eo. *Ochozias.* & vos abite hinc: tædet videre hominem: liberiùs solus gemo. *Ezriel. Amasa.* Ut jubes.

CHORUS.

Ostenditur, quòd, qui nunc peccant ex temporalis miseriæ, aut mortis metu, tandem *quæsituri* sint mortem, nec *inventuri*, teste S. Joanne Apoc. 9.

Mors. Legatus Inferni. Mortis Satellitium. *

Mors. UNde est homo, &, quid postulat?
Satelles. Gentis maximæ Legatum se nominat,
Neque aliud, nisi audiri, desiderat.
Mors. Cur nihil explicat?..
Nempe, quod toties postulor,
Postulat privilegium,
Et à terrore nostri imperii desiderat eximi?
Absit! non audio! non eximo!

Aria.

* Exhibetur Aula Mortis.

Aria.

Quem ſolum colo Regem,
Rex cœli tulit legem,
Qua, quisquis naſcitur,
Morti ſubjicitur:
Non poſſum diſpenſare.

2.

Non quæritur: *Quis* homo ſis?
An Ruſticus! an Nobilis?
Si *Homo* es, vir Mortis es!..
Ad pedum horum pulveres
Te debes inclinare.

Satelles. Non, Domine, non petitur diſpenſatio,
Sed, quod ſæpe miſeri ſolent petere,
Legis inevitabilis celerior executio.
Hoc loquitur Legati habitus
Totus ad triſtitiam,
Et deſperationem compoſitus.

Mors. Hem! Proceres, non ſolùm metuimur,
Interdum diligimur etiam, diligimur!..
Ingrediatur homo, audiemus,
Et, modò ſinat æquitas, opem feremus.
Nempe (& ò utinam! utinam
Sæpe expenderent homines hanc ſententiam!)
Non eſt mors mala, niſi malis!..
Cur igitur à Bonis metuar?
Cur odio habear?

Satelles. Siſto, Rex Magne, hominem,
Unicè, ad iſtud Solium
Suis malis ſperantem remedium

Legatus. Adoro terrarum Dominum!

Mors. Si bonus es, ſpera bene!

Bonis

Bonis ego fero *finem* malorum,
Et *initium* æternorum bonorum,
Surge! audio te: quid petis à me?

Legatus. Nulla ſpero bona, nulla poſtulo:
Si facis finem malis, abunde obtineo,
Quod imploro, auxilium
Contra Tyrannum ſæviſſimum.

Aria.

Gens mea, magna gens,
(Quod tibi queror flens!)
Immanibûs, innumerîs
Oppreſſa eſt miſeriîs:
Non eſt dies,
Qua ſit quies!
Nunquam ignis furere,
Nunquam ceſſat urere:
Ah! feſtina, & furenti
Alimentum ſubtrahe!...

2.

A te ſi non eſt ſpes,
Sunt deſperatæ res!
Conficior ſuſpirjis!
Diſcerpor deſideriîs!..
Nec eſt DEus,
Cui meus
Iſte luctus cordi ſit:
Et, quod mali ſumma ſit,
Eſt, quòd hoſtis, qui nos premit,
Heu! immortalis ſit.

Mors. Ridete Socji! ridete gemitus hominis impji!
Ex cantu novi volucrem!...
Ex orco veniſti! in orcum revertere!

Ego

Ego orbi terrarum impero:
Extra hoc *territorium* mea
Non protendit se jurisdictio!
Revertere!.. nihil est, quod speres à me.

Aria.

I, vive jam vitam *horrendam*,
Qui vitam *pudendam*
Præ morte honesta amâsti,
Cùm, ne morereris, peccâsti!
I, *vive*, & *vita*
Jam *vitæ* sit pœna!
Hæc æqua est sors.
Ad astra te nuper tulissem,
Beatum feciſſem:
Nolebas!.. horrebas!.. fremebas!..
Ab inferis opem petebas!..
Placabam:.. spreviſti,
Et *surdus* fuisti,
Nunc *surda* est mors.

Legatus. Heu! heu! heu! ergò necesse est vivere,
Neque impetro miserabilem gratiam,
Ut velis occidere?

Mors. Sera lamenta desine:
Vivere necesse est, necesse est vivere.
Ne tamen nullum habeas solatium,
Hoc aspice satellitium:
Fames est, sitis, egestas, tristitia,
Ærumnæ, Senectus, febres, dolores, violentia:
Omnes, postquam venerit Dominus ad Judicium,
Omnes ex meo dimissi servitio
Descendent ad vos!

Legatus. O tunc saltem (Io! felix nuntius redeo!)
O tunc saltem bonæ miseriæ (ùt amo vos!)
Si descendetis, tunc enecabitis nos!
Mors. Descendent, sed descendent *sine me*,
Ut ampliùs crucient, non, ut enecent....
Legatus. Tyranne improbe, crudelis, barbare,
Illudis insuper? hoc est, solari me?
Sic dimittis à te?

CHORUS.

Descendemus, invademus,
Neque tamen occidemus:
Mors. Quia vos fugistis Mortem,
Mors à vobis fugiet:
Chorus. Hanc decrevit DEus sortem,
Neque est, qui temperet:
Descendemus, invademus,
Neque tamen occidemus.
Legatus. Ergò, quò jam vertam me!
Rumpere, anime, rumpere,
Et laxa spatium dolori opprimenti me!

Aria.

1.

Sic meus posthac (heu!) sic
Erit unus labor hic,
Mortem semper quærere,
Nunquam invenire?
Vitam semper fugere,
Semper reperire?
Sic? ... meus erit labor hic?
O labor acerbissimus,
Tristis! funestissimus!

2. Ruetis

2.

Ruetis ſemper fulmina,
Clamabo : *ſternite !*..
Fremetis ſemper maria,
Clamabo : *mergite!*..
Circumdabunt me belluæ,
Clamabo : *devorate me !*..
Involvent nubes igneæ,
Clamabo : *ſuffocate me!*..
Non ignis me, non belluæ,
Non maria, non fulmina
Clamantem audient,
Sed heu ! horridum
Mortis *ſatellitium*
Ubique aderit :
Mors ſola aberit !..

PUNCTUM II.

Morientis obſtinatio.

SCENA I.

Ezriel. Elias. Abdias. Amaſa.

Abdias.]Gitur, Elia, non audeo te introducere : nam recipiendæ ſanitatis ſpe, perſuaſi Regi, ut placatior ſtatuerit colloqui tibi. *Elias.* Quod dixit Dominus, dicet Elias: aliud non poteſt. *Ez.* Amaſa, iſte Propheta eſt. *Elias.* Fac, ut audiar. *Am.* Imò Prophetæ diſcipulum credam potiùs : nec enim hæc figura Viri Magni ſpeciem habet. *Elias.* At vos, ô boni, nolite ſecundùm faciem judicare : tantus quisque eſt, non quantus videtur oculis, ſed quantus eſt DEO.

Ez. Vir DEI, audîsti nos? reveremur in te DEum Israël, & oramus, ut ores illum pro Regis vita. *Elias.* De vita actum est: de morte ut sit sollicitus, hoc agamus. Sic enim dixit Dominus: *Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub DEum Accaron, quasi non esset DEus in Israël, à quo posses interrogare sermonem, ideò de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Hoc venio nuntiatum ægroto: introducite. *Amasa.* Rusticus Propheta est iste: documentum originis hic sermo habet. At, heus homo DEI, nuntium tam funestum feres dulcioribus verbis saltem, & per ambages? *Elias.* Si odissem Ochoziam, loquerer, ut tu desideras: sed verba dulcia, & longas ambages non admittit ægroti salus, quam ego amo. A bono medico non utique hoc exigitis, ut potiones propinet dulces, sed ut salúbres. Si venissem, ut corpori mederer, vituperaretis meritò, si mediis lenioribus uterer, quibus perderem Regem, non juvarem: urgeretis, ne parcerem: velletis, ut, si opus sit, vincirem, secarem, urerem: Ipse æger sic à me malè habitus, post redditam sanitatem gratias ageret, & inhumanam curam largiter remuneraretur: cur, quam libertatem non modò conceditis, sed exigitis à medico corporis, rusticitatem appellatis in medico animæ: nónne anima plus est, quàm caro? nónne periculum animæ per ambages crescit, per verba dulcia dissimulatur, & tegitur, donec ferat exitium? igitur amor ægroti, amor cogit, ut sim severus, & malim minùs civilis, quàm parum anxius pro Ochozia vocari. Intra Ezriel, aut irruam ego etiam non vocatus: urget vicinum periculum, & de anima agitur. *Ezriel.* Vehementer exardes. Nuntio, quòd adsis: quid feras, tu nuntia. *Elias.* Sic volo. *Ab.* Nempe lucidîs intervallîs utendum est tibi, quæ subinde intermittens vis dolorum permittit Regi, ut audire ac cogitare de rebus, quæ prosint, possit. *Elias.* Ita, lucidîs intervallîs utendum est, quippe

quippe quibus si non utatur Rex, post pauca momenta funus, in tenebras ibit, horridiores Ægyptiis.

SCENA II.

Personæ eædem, & Ochozias.

Ezriel. ÆGer iterum furit furorem suum, spumat, fremit, & truncatis vocibus videtur mihi velle cœlum lacessere..... * *Ab.* O Spectaculum Philosophiâ pleniſſimum. *Am.* Certè: hinc enim discunt Reges, quòd homines sint. *Ez.* Discunt Reges, quàm nulla exemptio sit ipsis ab humanis miseriis! *El.* Discunt Reges: an igitur vos nihil discitis? tardi profectò ingenii homines estis, qui ex doctrina, quam tradit DEus, cùm punit Reges, nihil creditis pertinere ad vos. Tragica Spectacula de Regibus non exhibet DEus solis Regibus, exhibet Officialibus, exhibet Sacerdotibus, exhibet Judicibus, & Consiliariis, exhibet Legisperitis, & Scribis, exhibet Civibus, exhibet Servis: omnes habent, quod discant. Accedite vos, & non, *quid alios*, sed *quid vos*, quid vos doceat moriens Rex, & sic moriens, percipite diligenter. Discite, quàm nullo respectu vos, infideles sibi, puniturus sit DEus, qui jure suo adeò rigidè etiam in Reges utitur! discite, quàm misera sit hujus vitæ felicitas, quando, etiam quæ summa fuit, *uno casu* in tam gravem miseriam desinit! discite, quàm sollicitè cavendum sit vobis, ne ulli homini serviatis *contra DEum*, contra cujus iracundiam utique nullus vos Dominus potest tueri, cùm nullus sit ita potens, ut contra Dominum Dominorum possit vel seipsum defendere! discite, quàm grave malum sit, ad malas artes converti, ut evitetis malum temporaneum, quando videtis Ochoziam propterea mori, quia, ne moreretur, peccavit!

* Exhibetur Ochozias furens.

discite demum hoc imprimis, quòd DEus Israël solus sit DEus, quippe qui solus Regem miserum punit, quin sit alius DEus, qui possit, vel ausit eripere hominem DEO ulciscenti negligentiam sui. Quare ergò vos *claudicatis in duas partes?* quare dividitis cor in plures Deos? quare affectus vestri instar fluminis in mille rivulos divisi in luto vilium creaturarum se perdunt? quare non unô alveô juncti omnes in unum se mare effundunt, quod est Divinitas una sola, præter quam non est alia? Ecce! hæ sunt doctrinæ bonæ, quas ex ruinis Illustrium Personarum DEus prælegit minùs Illustribus, ut, quò virorum Principum altior gradus est, tantò sit spectabilior lapsus ad instructionem, & horrorem eorum, qui Regum vitia imitari malunt, quàm adorare virtutes. *Am.* Enimverò sapiens animadversio est. *Ez.* Nec sine fructu erit. Quid facies autem Regi? ecce detumescit rabies, & videtur usus mentis redire. Rex vive! *Ab.* Concipe bonam spem: Elias adest. *Och.* Elia, viveréne possum ab infirmitate mea hac? *El.* Sinite, ut utar tempore: soli simus. Reverere DEum Israël, Rex! Dominum vitæ & mortis adora tuæ! *Och.* *Heu! mori jubet? mori! mori!

SCENA III.

Abdias. Amasa. Ezriel.

Ezriel. DIfficulter obtinebit Propheta, ut æquô animô acceptet Ochozias sententiam cœli. * Auditis, ùt obstrepat? *Ab.* Pessimum omen est: nam qui non emendatur ex morbo, eum ego propè *inter incorrigibiles* numero, atque adeò inter eos, quos non jam DEus *Pater*, sed *Iudex* vocabit ad pœnas. *Ez.* Quid tu ita stupens adsistis, Amasa? *Am.* Prophetæ nunquam visi, & primùm contempti sermo sic me

* Intus auditur ejulans.

me affecit, ut pœne sim extra me. Nempe vidi ego Ochoziam hactenus luctantem cum morbo, ita, velut ea res nihil pertineret ad me: nunc didici *applicare mihi*, & *reflexione utili* facta in me argumentari, quàm gravis miseria sit, sic vivere, sic ægrotare, sic mori, uti vixit Ochozias, uti ægrotavit, uti moritur. *Ab.* Numeras tria puncta nostra Meditatione dignissima. *Am.* Vita hominis fuit *impiissima* (2. Paral. 20.) quis hoc nescit? *Ab.* Ah! scimus! *fecit malum in conspectu Domini, & ambulavit in via Patris sui, & Matris suæ, & in via Jeroboam Filii Nabat, qui peccare fecit Israël,* (3. Reg. 22.) concludimus: in tali via ambulantem non posse venire ad bonum terminum, & totô cœlô necessariò aberraturum. *Ez.* Et quæ est via nostra? Amasa, nunquid eandem imus? *Am.* O via Jeroboam, via pessima! vidimus omnes Reges nostros hanc viam iviſſe: vidimus omnes in hac periisse: sequimur tamen, imus ad vitulos, hac una ratione moti, quòd hæc sit via Regia, via trita: amice, num hoc est sapere? *Ab.* Nempe intererat vestrâ, ut iretis, quà ibant alii: favorem & lucrum ferebat scelus: ire viam aliam metus mali vetabat. *Am.* Sic ego credebam, & existimabam esse beatum me, modò Reginæ meæ placerem. *Ab.* Damnatæ à DEO fœminæ! magnum bonum! sed nempe cùm ægrotabitis, damnabitis has stultitias maturè satis: morbus acuet intelligentiam, & animi ignaviam stimulabit. *Ez.* Videmus in Ochozia: morbus pejorem fecit. *Am.* O res horrenda! in anno secundo Regni sui, in flore ætatis, valens ac vegetus cadit imprudens per cancellos cœnaculi sui, & hic casus virum intra dies paucos ad extrema deducit: quis hoc putâsset? *Ab.* Tam nulla est providentia hominis circa futura contingentia. Attamen hoc ipsum erat beneficium Numinis, quod ita temperaverit casum, ut repentè non fuerit fatalis: relictum est tempus Regi, quo se irato Numini conciliaret. *Ez.* Vidimus, quomodo egerit tempus morbi: Beelzebub DEus Accaron in memoria fuit,

de

de DEO Israël ne quidem cogitavit, nisi cùm blasphemaret. Denique acutus dolor, metus mortis, desperatio remedii sic abstulerunt usum mentis, ut vix possit ad DEum verti, cujus terribilis ira atrociter premit miserum. *Am.* Concludo, quid bonæ spei concipiendum sit mihi, si mihi placare DEum Israël differam in tempus morbi: væ mihi! iratus æternùm erit, si fortè vis doloris, aut impatiens furor me mihi eripiet. Video, horreo periculum grave! *Ab.* Meritò horres, & temeraria stultitia est credere, evenire sibi non posse, quod contingit tot aliis, ut per morbi violentiam à statu mentis dejiciantur. Quid sequitur autem tam insanam proterviam?

SCENA IV.

Personæ omnes.

Elias. MOrs, mors sequitur similis morti insanientis Ochoziæ.... Auditis rugitum animæ abeuntis in tartara!.. *Ez.* Prô Rex! *Am.* Tormentum aurium!.. *Och.* Crucia! crucia Numen atrox! *El.* Assuetus blasphemiis blasphemias etiam amens evomit. *Ab.* Horrendum spectaculum! *El.* Sic moritur, qui peccatum minùs, quàm mortem timet. *Ab.* Bis moritur. Vir DEI, nihil supereſt opis? *El.* Actum est: non redibit ad sanam mentem, nisi apud inferos. Tunc intelliget, eheu! serò tamen! intelliget, quàm egisset sapientiùs, si mori *pœnitens*, quàm sanari *per scelus* maluisset. *Och.* Crucia, crucia! *El.* Æternùm cruciaberis! *Omnes.* Mortuus est!

El. Amens mortuus, ùt amens vixit.

ME-

MEDITATIO V

PECCATUM MALUM INFINITUM SIVE HOMO DEICIDA.

ARGUMENTUM.

NOndum finis est malorum, quorum originem & compendium in peccato habemus: imò *sine fine* loquendum foret, si omnia recensere vellem: Quapropter hodie uno verbo complector universam congeriem, & peccatum malum esse *Infinitum* assero. Terrificam veritatem ex S. Paulo ostendo, qui Hebr. 6. disertè peccatores Christianos appellat *Deicidas*, quippe *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium DEI.* Assertionem horridam credimus omnes, intelligimus pauci satis, & nescio, an non sint, qui putent, Apostolum per hyperbolen, aut certè nequaquam *in sensu proprio* locutum esse. Indagabimus igitur sensum verum, & hoc granum sinapis meditando conteremus, ut exerat vim, quam in animos habet: atque ut tanti momenti veritas clariùs, solidiúsque demonstrari possit, non, ùt hactenus, per Historiæ exhibitionem oculis proponetur, sed *per Dialogum de Historia*, qua miserabilior nusquam legitur, inculcabitur auribus, ut in animos penetret, eritque adeò hujus Meditationis

Materia: Homo Deicida,

Puncta duo: 1. Deicida propter positam causam mortis Christi.
2. Deicida propter frustratum effectum.

Fructus: Deteſtatio impji axiomatis: *jam poſſum iterum confiteri.*

Propoſitum: Fuga peccati, etiam ſi certa ſpes eſſet impunitatis. *In ſpecie* decernamus poſthac Chriſtum in cruce intueri tanquam *peccatum noſtrum*, quod *contra nos ſit ſemper*, & moveat nos, non ſolùm ut perpetuò execremur præteritam audaciam, ſed etiam, ne repetere audeamus, ex more multorum illud abſurdè jactantes: *DEus eſt bonus!* nam propter hoc ipſum non decet, nos eſſe malos.

In Muſica Exhibetur primùm Pœna *Solymæ* Chriſtum *primò* crucifigentis.

Secundò, pœna *Animæ* Chriſtum *iterum* crucifigentis.

PERSONÆ.

Syneſius ſive intellectus.
Euſebius, ſive voluntas.

PROLOGUS.

Pœna Solymæ Chriſtum primò crucifigentis.

Chriſtus. Solyma. Roma.

Chriſtus. *Conſummatum eſt!* .. deſcendo de cruce! .... *
Nunquid ſemper tacebo? ..
Velut parturiens loquar! ... *Pugnet*

* Exhibetur in medio Mons Calvariæ, & hinc Hieroſolyma, inde Roma Urbes.

Pugnet mecum orbis terrarum! ad arma!...
Ad arma.

Aria.

Tu, Jubar cœli aureum,
Mortalium ſolatium,
Abſconde te, Lux!
Tu, Lignum Salutiferum
Jam in tribunal horridum
Converte te, Crux!
Tu, Roma, expergiſcere,
Et arma, arma corripe,
Ulciſcere me!..
Ut pro rebelli Solyma
Tu gentium ſis domina,
Eligo te.

Roma. Quis me vocat? quid jubeor?...
Solyma. Superi! unde adeò horridæ
Tam ſubitò tenebræ?
Roma. Te audio Solyma? quid feciſti?
Nam contra te
Juſſit me Cœlum arma corripere.
Solyma. Inſidiæ! inſidiæ! defendo me!
Roma. Etiam provocas? ergò congredere!

Duetto.

Solyma. Quousque me opprimis Roma crudelis?
Roma. In Dominam tollis te, ſerva rebellis!..
Solyma. Pro reddenda libertate,
Roma. Pro tuenda poteſtate
Ambæ. Pugnanti placida
Favete Sidera!
Congredior!...

2.

Roma. Da mihi insana perfidiæ pœnam!
Solyma. Da mihi scelesta sævitiæ pœnam!
Roma. Stat, in contumacem ire! *
Solyma. Stat ferire, aut perire,
Roma. Feri! feri stolida!
Solyma. Peri! peri impia!...
** Heu! morior!

Roma. Habet! jacet! Io! victoria!
Christus. Mea est gloria! ***
Roma. Quem video? & quis es Domine!
Christus. *Ego sum JEsus*, quo vicisti auspice!
Pro Solyma, Gentium Dominam constituo te!
Ego sum DEus: nec est alius præter me!
I, prædica me!
In hoc Signo gentes subjugabis,
Et de falsis Numinibus
Numen meum vindicabis.

Aria.

Habet, *jacet Solyma.*
Pro illa Roma *stabit!*
Non prævalebunt tartara:
Urbs tua jura dabit.
Sic semel vindicavi me:
Sic porro vindicabo!
Contemnam, qui contemnunt me,
Et *alios* vocabo.

Roma. Mysterium audio, quod nondum intelligo:
Domine, quid me vis facere?
Christus. Respice! **** in hoc lumine videbis
Quid te oporteat facere. *Roma.*

* Fit duellum. ** Cadente Genio Solymæ Urbs simul in cineres concidit, à Romanis eversa, ùt Christus prædixerat. *** Christus ex monte, ubi sederat spectator duelli, descendit. **** Urbs pulsîs tenebrîs illuminatur à crucis gloria, & triplice tiara ornatur.

Roma. Io! video! intelligo!

Aria.

1.

Infelix Solyma,
Parata tibi gloria
En! ad me transiit!
Quæ tibi fuit scandalum,
Crux mihi facta solium
Me evehit,
Et *Orbem Urbi* subjicit.

2.

O Mirabilia,
De Roma, & de Solyma
DEI Judicia!
Hanc ornat splendor cælicus:
Hæc fumat in cineribus:
Hæc perjit:
Hæc fidei Magistra fit.

MEDITATIONIS V.

De Homine Deicida

PUNCTUM I.

Homo semel Deicida Propter positam causam Mortis Christi.

§. I.

Præparatio animorum.

Synesius. AD Meditandum, Spectatores devoti, *ad meditandum* adesse vos hodie, obsecro, seriò vobis persuadete. Ita enim est, ita est, non ad oblectandos oculos in

pompa vestium, aut spectaculorum, non ad recreandas aures ex artificiosis modulis Musicis, non ad judicandum de voce, de gestu, de peritia sive canentium, sive agentium, non ad ferendam crisin de Regulis Theatralibus sive servatis, sive neglectis, non denique, & minimè sanè ad concipiendas temerarias suspiciones de aljis, quasi quæ auditis, ad vos nihil pertinerent: sed ad meditandum, *ad meditandum* conveniſtis. Hic finis est instituti moris ab hac Sodalitate, à quo planè longissimè abeunt, qui huc se afferunt vel solius diverticuli causâ, vel animô prorsus eôdem, quo ad profanas comœdias veniunt, hoc est, ut videant, & garriant, & rideant, & carpant. Eiusmodi si essent omnes, heu! quàm malè tantum temporis, tantus labor, & tanti sumptus disperirent... At hodie saltem, hodie omnes, quæso, omnes mementote finîs, propter quem adestis, & dicat quisque sibi: *meditabor*. Argumentum Meditationis serium, grave, terribile est, *Homo Deicida*! Præludium vidistis in Musica, quæ primi Deicidji culpam & pœnam exhibuit. Ego Synesius *vestrum Intellectum* repræsento, & horridæ veritatis momenta expendam: * iste Eusebius sic prostratus ad Imaginem Matris Dolorosæ *vestræ voluntatis* personam habet in graves, & dulces motus ituræ, si DEus faverit. Fructus Meditationis erit *in innocentibus* severissimus horror, *in reis* amarissimus dolor, *in utrisque* ardentissimus Zelus, & odium efficax adversùs peccatum, tanquam adversùs malum vobis, & vestris omnibus, quorum cura est vobis, summè *noxium*, summè *turpe*, summè *triste*, morte *pejus*, ac *infinitum*. Eja! *DEus vos videt*! inclinate capita vestra DEO! componite animos!.. incipio.

§. II.

Exercitium Memoriæ.

Synesius. EUsebi, quid vides? *Eusebius.* O aspectus lacrymabilis! ô JEsu! ô Maria! *Syn.* Enimverò cada-

* Exhibetur Eusebius flectens.

cadaver Filii in ſinu Matris magni eſt luctûs materia. Viden', ut ſqualet dolentis facies! ùt pallent genæ! ùt fluunt lacrymæ! ùt calente ſpiritu, quem ſingultiens pectus trudit, demortui frigus temperare deſiderat! non tibi geſtu ipſo, & niſu corporis clamare videtur, ut dolenti condoleas? *Euſeb.* Videor audire mihi lamentum illud lugubre: *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus!* .. *Syn.* Ergò & tu dolorem impera tibi. *Euſ.* Conabor: Adjuva *voluntatem intellectu*, ut ſit dolor, qui habeat radicem firmam, ac duret. Et tu DEus, fons omnis boni, *da capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum!*.. Tu quoque pia *Mater*, *fons amoris*, *me ſentire* vim doloris fac, ut tecum lugeam!... Quanquam, quid ſentio, Syneſi? ira locò doloris ſurgit, & ſe movet ferociter. O immanes, barbari, omni belluâ ſæviores Judæi! video DEI Filium *occiſum ab hominibus!* prô dirum facinus! ô gens ſcelerata! propè abſum à Caligulæ voto, ut velim toti populo unicum eſſe caput: ita poſſet uno ictu univerſa progenies viperarum perimi, exſcindi, exterminari! Bene factum, & meriti ſunt impji calamitates omnes, quas Veſpaſianus & Titus intulerunt ſacrilegæ civitati!

§. III.

Exercitium Intellectus.

Syneſius. HOrrendum excidium fuit. Foris urgebat miſeros invincibilis hoſtis, intus cruciabat indomabilis fames. Quid facerent? qui fugam intendebant, incidebant in obſidentium manus, & crucifigebantur tam multi, ut integra de crucibus ſilva civitatem funereâ coronâ circumdaret: qui tenuerunt ſe intra muros, ſic afflictabantur ex rabie famis, ut feles, canes, mures comederent pro delicijs, ipſæque adeò Matres conciſos manu ſua fruſtatim filiolos coquerent ſibi. *Euſ.* Læta narratio;

nam

nam voluptas est in suppliciis facinorosi aspectum figere, ut triumphanti Nemesi gratulemur. *Syn.* Enimvero triumphavit Nemesis, triumphavit sic, ut ipse Titus miserans obstinatos in consideratione immanium calamitatum lacrymas fuderit. *Eus.* Nempe nescivit, quanto in se scelere urbs nefanda provocaverit iram Numinis. Ego non modò nihil misereor, sed etiam ægrè fero, quòd tam lentum supplicium fuerit, atque duobus, & septuaginta annis sacrilega DEI cæde posterius. In ipso maleficio occupatos debebat Justitia suffocare. Parum erat, tremuisse terram horrore facinoris concussam: dehiscere debuit, & Deicidas glutire! non subducere radios debuit Sol, sed in ignita tela convertere, & in capita latronum depluere! quid profuit, omnem creaturam ingemuisse morienti? consurgere in ultionem oportuit, & sui Creatoris inimicos justi furoris impetu universos opprimere! Ego si adfuissem crudeli spectaculo, scilicet acquievissem ùt Petrus, præcisâ auriculâ unius sicarii? irruissem in medium agmen carnificum, eripuissem te mihi, ô JEsu mi, obstantem quemvis necassem, *armatus Amore.* *Syn.* Omnino justa est ira: nam si meritò execramur Cainum, quòd innocentem fratrem in opprobrium humanæ naturæ occiderit: si tyrannos infanticidas Pharaonem & Herodem nemo non inter monstra numerat ipsis barbaris prodigiosa: si clamor scelerum ex Sodomis ad nubes ascendit, & ipsum adeò cœlum atroci horrore quassavit: si denique sapiens DEus, quem nullus in dijudicanda criminum gravitate error potest pervertere, si DEus, inquam, nihil à sua clementia alienum putavit, quin & *dolore cordis intrinsecus* ad ò tangi potuit, ut *pœnituerit* feciſſe hominem, diluvióque universali genus totum deleverit: quis patienter audiat narrari sibi, occisum esse ab hominibus DEI Filium? quis homo, nisi humanitatem exuerit, ad tam nefandi facinoris commemorationem non exhorrescat, non palleat, non tremat, non & indignatione frendeat, & sancta vindictæ cupiditate adversùs

Auctores

Auctores exardeſcat? . . *DEI Filius, occiſus, ab hominibus*, quot verba, tot fulmina ſunt, quibus pium pectus feritur, ſcinditur, conteritur... DEI Filius, idémque DEus æqualis Patri, nullius indigus, ſeipſo felix, Rex Regum, Dominus Univerſi, deſcendit de cœlo, cum hominibus converſatur: quid fit? .. palam profitetur ſe eſſe, qui erat: oſtendit, in ſe impleri Prophetarum oracula: demonſtrat, ſe eſſe, quem DEus Patriarchis promiſerit: adhibet teſtes ſanctitate conſpicuos, Simeonem ſenem, Annam Prophetiſſam, Joannem Baptiſtam: adjicit prodigia magnitudine Divina, multitudine infinita: ubique pertranſit benefaciendo & ſanando omnes: imperio verbi cedunt morbi, obtemperant elementa, fugatur mors, dœmones obſequuntur: accedit ſumma vitæ innocentia, exempla ſublimiſſimarum virtutum quotidie ſplendent, charitas erga DEum eſt immenſa, erga proximum admirabilis micat: doctrinam denique Divinam eſſe fatentur ipſi, dicunt ſtupentes: *Nunquam ſic locutus eſt homo*! quid expectas? *Euſ.* Scilicet, niſi cœci fuiſſent ſpontè, debebant agnoſcere, hunc hominem eſſe cœleſtem, debebant adorare, ſubjicere ſe cum plauſu, & gratulatione debebant, atque Regem Regum ſacramentô ſolemni profiteri. *Syn.* Agnoverunt, adorârunt, ſubjecerunt ſe, profeſſi ſunt Regem, cum ramis palmarum in triumpho duxerunt, acclamârunt: *Hoſanna Filio David*! totus mundus poſt ipſum abiit. Sed quid deinde? poſt triduum occiderunt. *Euſ.* Inferi! quæ eſt hæc inexpectata converſio: occiderunt? *Syn.* Vides corpus exanime? Clauſi ſunt oculi, quibus tot peccatores reſpexit: ſilet lingua, quæ tot oracula prædicavit: elanguerunt brachia tot prodigiorum inſtrumenta: ſtupent pedes toties pro animarum bono defatigati: occiderunt! *Euſ. Occiderunt*, ô pondus verbi, quo mihi pectus in abyſſum doloris premitur. *Syn.* Moderare queſtum, donec ego tibi cædis modum, cauſam, inſtru-

menta commemorem: tum laxa frænum lacrymis, ſuſpira, plange! beatus es, ſi tabeſcas mœrore. *Euſ.* Nihil eſt opus, ut narres hiſtoriæ ſeriem: *modus* fuit ſine modo, *cauſa* nulla, *inſtrumenta* ſine numero! ita me oculi convincunt, quibus triſtiſſima totius Tragœdiæ cataſtrophe in iſto theatro proſtat. * Video conſultantes impios, quomodo JEſum morti traderent, ſcilicet, ne quid temere agerent. *Syn.* Principium ſceleris. *Euſ.* Video triginta argenteis emere ſanguinem, cujus infinitum eſt pretium. *Syn.* Simoniæ exordium. *Euſ.* Video irrumpentes in hortum cum armis & facibus, velut ſi adversùm latronem educerent agmen. *Syn.* Parum eſt. *Euſ.* Video ligatum funibus, tractum per plateas, percuſſum alapâ, damnatum à Sacerdotibus, ab Herode illuſum, à populo maledictum, nudari, cædi virgis, lacerari flagris, vivum excoriari. *Syn.* Tolerabile ſupplicium eſt. *Euſ.* Video, novo tormenti genere inter ſarcaſmos & ſannas acutiſſimis ſpinis perforari caput, & à fæce ſcurrarum, Dominum Angelorum pro joculari Rege per ludibrium adorari! *Syn.* Ferenda crudelitas. *Euſ.* Video miſerabile ſpectaculum factum ſine miſeratione, vociferatione inſana poſtulatum ad crucem, & à ſævo Judice traditum voluntati lictorum: Potuítne immane flagitium in altius faſtigium creſcere? *Syn.* Crevit in montem. *Euſ.* Enimverò crevit! video in monte affixum cruci: conſummatum eſt! moritur! *Syn.* Conſummatum eſt ſupplicium, ita eſt: ſed nondum conſummatum eſt ſcelus. *Euſ.* Quid ampliùs potuit furor? *Syn.* Non vides perfoſſum lanceâ demortui latus? dubitabant, num obiiſſet, cor, vitæ caſtellum everti debuit, ut ſecuri de morte eſſent. Quin ecce! jam furor adeò in amentiam abiit, ut cuſtodiri ſepulchrum juberent, ne poſſet reſurgere. *Euſ.* Atque hæc omnia vox una complectitur: *Occiderunt!* amor, dolor, horror, odium,

* Myſteria Paſſionis toto theatro diviſa exhibentur.

odium, ira discerpunt animum hæc cogitantem: *DEI Filium occiderunt!* & *homines* occiderunt! *Syn.* Homines. *Eus.* Non credo: lupi, tigres, leones ex Lybia irruerunt in JEsum meum! *Syn.* Falleris: oves erant. *Eus.* Dæmones credam potiùs induisse figuram hominum. *Syn.* Pia cogitatio! *Eus.* Certè Barbari, Scythæ, aut Geloni fuerunt! *Syn.* A Iuis occisus est. *Eus.* Ebrii saltem, aut amentes, & rationis usu dejecti facinus peregerunt? *Syn.* Sobrii, prudentes, destinatô consiliô, cum deliberatione maturrima. *Eus.* O scelus! ô labes humani generis! ô portentum audaciæ! ô stupendam Numinis patientiam! videre tam atrox flagitium, nec stringere ultorem gladium, nec irasci, nec commovere se saltem! ô gentem ingratam! ô dignam, cui maledicat Dominus maledictione pessima!

§. IV.

Exercitium voluntatis.

Syn. HYpocrita, quousque irascéris Judæis? *Eus.* Tu mihi convitium dicere? quid feci? *Syn.* Etiam interrogas? Occisus est DEI Filius: tu fecisti! *Eus.* Prô! grave tonitruum! tremuere viscera ad vocem terribilem. Tu me Deicidam?.. O DEus, sit mihi testis cœlum, *ego amo te!* en vitam, en sanguinem, en totum me habes devotum tibi! ô si detur mori pro te, quàm felix sum! resurgite Trajani, Nerones, Diocletiani! expedite tormenta! animate lictores, succendite bullientes ollas, immittite fævas bestias: occurram gaudens! mori pro Christo juvat, qui propter me dignatus est mori. *Syn.* Plaude cœlum! Heroëm habes primis Martyribus parem!.. temerarie! tu fortibus verbis DEum posse falli existimas? tu provocare tyrannos audes? tu jactare animi robur? tu gloriari cum Apostolo, & clamare: *Quis me separabit à charitate Christi? Eus.* Quidni? sentio enim cale-

re pectus, & æstu sacro ardere cor in magna desideria. O utinam mori liceat, mori pro DEO JEsu meo! *Syn.* Vah! vanitas! tu hæc desideria vocas? verba sunt. Sine, explorem pectus... prô, ùt friget infausto gelu! *Eus.* Intelligo artificium. Fingis, te mihi non credere, ut urgeas, & alas pium incendium. Ure ampliùs, Domine, ampliùs igne amoris tui! eat in cineres cor tibi ex asse sacrum! Ah! si rumperet costas pectus, & laxaret amori spatium! *Amo*! ô vox violenta! Synesi juva, quia amore langueo. *Syn.* Sceleratum mendacium! assurge in iram anime, & execrabilem hypocrisin hujus Pharisæi persequere. Nihil ego fingo, infelix, tu fingis. Lingua dicit: *Amo DEum*, aliud vita loquitur, aliud testantur facta. Tuum, si nescis, impie, tuum scelus hæc luget Mater! tuo crimine exanimis in hoc gremio JEsus jacet! repeto: *Tu es Deicida! Eus.* Tantum tu *seriò* scelus objicis mihi? *Syn.* Tanti tu *seriò* sceleris te negas reum? *Eus.* Te ego appello afflicta Mater: *innocens sum à sanguine Justi hujus. Syn.* Effrons audacia! Atqui ego te vidi nuper in angulo agere, quod loqui pudet: quid vultum avertis? negas? *Eus.* Confiteor! nempe infirma caro est, & gravis tentatio fuit. *Syn.* Atqui tu ultrò te ingerebas occasioni, & impudentibus jocis provocabas libidinem: negas? silentium istud confessio est. Insuper quoties sic exarsisti *irâ*, ut blasphemis vocibus cœlum impeteres? quoties sic tabuisti *invidiâ*, ut de sternendo æmulo diu noctúque cogitares, fraudibúsque, & calumniis, detractione, mendaciis, atque aliis artificiis furorem occultans agere molitus es, quod egit Cain? quoties sic flagrâsti *odiô*, ut vindictæ insana cupido in rabiem duelli processerit? negas? *Eus.* Homo sum, quem indoles naturâ ferventior utique interdum in tales excessus propellit, invitum propè. *Syn.* Invitum, ais? quid? igitur invitus etiam sic opes prodigis, ut per inutiles expensas cum ipso patrimonio consumas omne salarium, nihil

uxori,

uxori, nihil liberis, nihil reservans ijs, quibus omnia debes? invitus acceptas munera, & perdis conscientiam, ut marsupio servias? invitus mutuas pro enormi fœnore? invitus officii tui curas negligis sine cura malorum, quorum infelix Mater est hæc acedia? invitus contractus vitias? causas protrahis? parcis noxiis? innocentes opprimis? indignos promoves? *Eus.* Ex usu vivo. *Syn.* Semper habes, quod dicas. Quid dices autem, si interrogo, per quot sacrilegia Sacramenta profanaveris? si protraho ex scriniis tuis pestilentes libros in perniciem morum, aut sanctæ Religionis ruinam conscriptos? si scandala numero, quibus animas tantô pretiô emptas verbô & exemplo rapuisti ex brachiis morientis DEI, ut diabolo traderes? si quæro, qua industria functus officio fueris, quàm sedulò satisfeceris obligationibus tuis, quàm conformiter statui vixeris, cui bono impenderis pretium temporis, vires corporis, dotes animi, denique quid totâ vitâ feceris dignum cœlô, quid dices? *Eus.* Peccator sum. *Syn.* Peccator utique: neque unius tantùm peccati gravis ream animam habes, scio; negas? *Eus.* Quid negem scienti? confiteor, *confiteor meam culpam!* sed bonum habemus Dominum, qui me sic dilexit, ut mori pro me voluerit: non projicet me à facie sua! *Syn.* Hem frigus! *confiteor meam culpam*, hic totus est dolor? quò repentè evanuit ira adversùm Judæos concepta! nunc efferve! irascere! tumultuare adversùm te! nam Judæi quidem semel Deicidii se reos fecerunt, tu toties, quoties peccâsti mortaliter. *Eus.* Duram sententiam loqueris. Nam qua veritate tu quodvis peccatum appellas Deicidium? *Syn.* Apostolus appellat: Apostolus docet, quòd, quisquis graviter peccat, rursum sibimet crucifigat Filium DEI. Fidem negas, & hæreticus es, si istud negas. *Eus.* Apostolus fortè metaphoricè loquitur, aut hyperbole utitur: nam ego certè, cùm occisus est Christus, nondum natus eram: nunc verò, postquam resurrexit à mor-

tuis, *jam non* moritur, mors illi ultrà non dominabitur: qua ratione ergò, si pecco, occidam? num lanceam attollo? num clavos transadigo? num effero manum, ut percutiam saltem! absit! horresco sacrilegum scelus vel ad memoriam. *Syn.* Insignis defensio! jam igitur Caiphas, jam Pharisæi, jam Pilatus, jam populus Hierosolymæ totus rei non sunt de morte Christi: nec enim ullus ex his aut lanceam extulit, aut clavos adegit, aut manum extendit, ut percuteret saltem. *Eus.* Illi per linguam satìs sunt rei: poposcerunt ad necem, accusârunt, damnârunt: ego nihil horum. *Syn.* Ex ore tuo te judico. Potest igitur esse reus Deicidii, etiam qui non applicat manum. *Eus.* Fateor: nam vidi cum latronibus damnari ad rotam illum etiam, qui aperuit januam, qui egit vigilias, qui suppeditavit instrumenta, ut fieret cædes. *Syn.* Quasi diceres, reum *homicidii* esse, quisquis per quamcunque malitiam homicidii causa est. Quòdsi igitur dicam ego, te esse causam *Deicidii*, & per malitiam quidem? age adhuc obstrepes, & negabis, te esse Deicidam? *Eus.* Si causa sum, reus sum: nullam recuso pœnam. *Syn.* Gaudeo, te tranquillum videre: nunc capax es intelligendæ veritatis ad salubrem peccati horrorem excitandum præ aliis perpendendæ. Age, sedeamus: patienter me audi. *Eus.* Trepido præ horrore, ne me convincas sceleris cum Judæis communis. *Syn.* Sic habe: Philosophorum axioma hoc est: *Quidquid est causa causæ, est etiam causa causati.* Sic serpens est causa mortis, quia afflat venenum, quod causat mortem: cadaver est causa pestis, quia producit fœtorem, qui causat pestem: ventus est causa imbris, quia congregat nubes, quæ fundunt imbrem. Et ut propiùs veniamus ad rem, dic, age, quæ fuit causa diluvii, quod mersit orbem? si proximam quæris, est DEus, qui cataractas cœli aperuit: si remotam, quam alio nomine *moralem* in scholis etiam appellamus, non invenies aliam, præter execrabilem

malitiam

malitiam hominum. *Euſ.* Heu! ſentio, paulatim me ſtringi. *Syn.* Utinam acerbè ſentias! attentus eſto. Ecce duplex diluvium eſt, primum aquæ, alterum ſanguinis. Primi diluvii rei ſunt omnes, propter quos merſus eſt orbis: nunquid eſt ita? *Euſ.* Certum eſt. *Syn.* Reus eſſes etiam tu, ſi *propter te* quoque DEus hoc malum intuliſſet hominibus. *Euſ.* Utique reus eſſem. *Syn.* Bene habet: teneo te. Ecce enim *propter te* quoque, & *propter tuam malitiam* diluvio Divini Sanguinis merſus eſt orbis, occiſus eſt DEI Filius: credis? *Euſ.* Ah! quò me adigis? *Syn.* Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, Apoſtolo teſte: credis, inquam? *Euſ.* Credo... ſed adhuc evado: nunc enim reſponde tu mihi. Si pro omnibus Chriſtus eſt mortuus, utique mortuum etiam pro innocentibus dices? *Syn.* Utique. *Euſ.* Ergò ſi quid valet argumentatio tua, innocentes etiam erunt Deicidii rei. *Syn.* Fateor, ſunt rei, ſed per alienam, non per ſuam malitiam. *Euſ.* Nihil agis, nam ſi hoc dicis, ſolum Adamum eſſe Deicidam, eſt conſequens: nam hoc memini me audîſſe, ſi Adam non peccâſſet, etiamſi peccâſſent alii, Chriſtus non veniſſet. *Syn.* Fruſtra te torques, & aggravas imprudens culpam, non minuis. Non ſolùm pro peccato originali, quod vocamus, ſatisfecit Chriſtus, ſed etiam pro actualibus mortuus eſt: hoc fides docet. *Euſ.* Scio, & aliàs deſperandum eſſet de ſalute omnibus, qui poſt baptismum graviter peccant: agnoſco beneficium. *Syn.* Agnoſce Deicidium. Deicida Adamus eſt, ſed non ſolus: ſocios habet, quotquot poſt ipſum graviter peccârunt. Irruat Pater primus in Principem, & ferro transfigat pectus: ſi ſequitur filius, & alterum infligit vulnus æquè grave, æquè mortiferum, num ideò minùs *parricida* erit, quia aut primus, aut ſolus non fuit? *Deicida* Adamus eſt, cur? affecit injuriâ DEum tam gravî, ut pro illa ſatisfieri condignè non potuerit, niſi funderetur ſanguis Divinus, eò quòd ſatisfactionem minorem ac-

ceptare

ceptare DEus noluerit. Quid? peccatum grave, quõd tu committis, an minor eſt injuria DEI? Pone, quòd Adam non peccaverit, pone, quòd alius hominum nemo peccaverit, præter te, ecce pro hac injuria à te illata DEO æquè parum, ac pro peccato Adami ſatisfieri DEO condignè poſſet, niſi à Perſona Divina. I nunc, & Adamo inſulta!.. Quòd DEI Filius Fidejuſſoris Perſonam liberè *ſuſceperit*, gratia fuit: quòd *ad hoc genus* ſatisfactionis tam acerbæ *ſe obligaverit*, amor fuit: quòd reipſa promiſsîs ſtare, obligationem implere, pati, mori *debuerit*, hoc Adami, hoc tuum, hoc tui ſimilium ſcelus fuit. *Vulneratus eſt*, quid vis ampliùs? *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra*, occiſus eſt ab Adamo, à Judæis, à te, ab omni peccatore. Eja! adhuc es *innocens à ſanguine Juſti hujus?* Collige in pugnum, quæ dixi, & reſponde: *Qui ponit cauſam Deicidii, eſt reus Deicidii*, patet ex terminis: *Qui ponit peccatum grave, ponit cauſam Deicidii*, conſtat ex fide: quid concludis? *Euſ.* Me miſerum! quid obluctor? fateri cogor: *ergò Deicida ſum!* nam quòd peccatum grave ſæpe commiſerim, conſcientia teſtis eſt mihi, omni exceptione major. Et tu hoc audis Sol, nec retrò refugis converſo curru? *Deicida ſum!* tam horridum ſcelus *in omni peccato* eſt, & ego quaſi per luſum cum riſu peccavi! liqueſce cor, & in lacrymas difflue! meretur lacrymas DEI Filius occiſus (obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer!) DEI Filius *occiſus à me*! *Syn.* Video, affluit gratia Redemptoris: movet ſe horror aliquis, & dolor ſurgit. Indulge paulùm, paulùm inquam, nam volo, ut poſt modicum intervallum tergas madentes oculos, atque uberiores lacrymas gravioribus cauſis ſerves.

CHO-

CHORUS.

Pœna animæ Christum iterum crucifigentis. *

Anima. Conscientia. Chorus.

Anima. O Tormentum! ô dolor! ..
Et unde tantum mereor?
Quid feci tam horridis dignum suppliciis!

Aria.

Cœlum crudele! quousque in me
Vólupe erit sævire?
Ergò exuta sim veniæ spe?
Neque licebit perire?
Quæ est proportio (vindica te!)
Inter peccati *momentum*,
Et, in quod bilanx præcipitat se,
Inter *æternum* tormentum?

Chorus.

Non est proportio! pœnam in nos
Fallax statera decrevit:

Anima. Culpam, quæ olim infecerat nos,
Pridem hic ignis delevit.

Chorus. Desine, jubet Justitiæ lex,
Desine flamma sævire!

Anima. Bono ex Rege Tyrannus fit Rex,
Modum si nesciat iræ.

Conscien. Silentium! blasphemæ linguæ! silentium!
Digna factîs recipitis,

* Exhibentur in igneo mari natantes animæ, quibus libra impendet ex nubibus, pondus peccati oculis repræsentans.

Imò ſcelera ſunt *majora* ſuppliciis.

Chorus. Quid fecimus? una fornicatio,
Una rapina, unum perjurium
Æternum mereatur incendium?

Conſcien. Silentium!...
Quanquam cur non confitemini
Verum flagitium?
Cur ſiletis Deicidium?...
Deicidium, Deicidium
Æternum meretur ſupplicium.

Aria.

* Ad libram Sanctuarij
Peccatum Deicidij
Rebelles animæ
Appendite!
Videtis, quanto pondere
Prematur lanx à ſcelere!..
Scelus *graviſſimum*
Eſt Deicidium.

2.

Sit *brevis* horæ morula,
Non levis eſt malitia
Se DEI Sanguine
Polluere!
Momentum tanti ſceleris
Æternis vos ſupplicjis
Ut juſtè luitis,
Sic non eluitis.

Anima. Accuſatrix mendaciſſima!
Quæ fingis flagitia?
Aut, quando volui DEum occidere?

Conſcien.

* Pœna & culpa ad libram examinantur,

Conſcien. Impudenter contemnere DEI imperium,
Quid erat, niſi tollere ſupremum Dominium?
Negligenter abjicere DEI gratiam,
Nec æſtimare amicitiam,
Quid erat, niſi auferre *Summi Boni*
Nomen, & gloriam?
Filii DEI Exempla, doctrinam, & merita
Studioſè velle ſibi eſſe inutilia,
Quid erat aliud, quàm Chriſtum
Sibi rurſum crucifigere?
Et cùm peccabatis, nonne cupiebatis,
Ut impunia vobis eſſent flagitia?
Hoc eſt, ut DEus punire vos aut non poſſet,
Aut non vellet:
Hoc eſt, ut aut eſſet impotens, aut injuſtus,
Et adeò *DEus eſſe deſineret:*
Ergo DEum offendere,
Quid erat aliud, quàm DEum occidere?
Equidem *facultas* ſceleri defuit,
Sed *voluntas* non defuit.

Anima. Heu me! nunquam ſic expendi
Gravitatem malitiæ!

Conſcien. Admonui: & non audîſti me!
Nunc oculis pro auribus utere.
Ecce ante faciem tuam tibi ſtatuo te,
Et peccatum tuum erit æternùm *contra te,*
Ut contra gravitatem ſupplicij
Deſinas conqueri.

Anima. Heu! veteres miſerias
tum Chor. Novis tormentis cumulas!

Aria.

Fuge! fuge imago funeſta!
Oculos crucias!
Video horridas
Patrati
Heu! leviter nimis peccati
Video inſanias!
Audio injurias!...
Quid fremis infeſta?
Fuge! fuge imago funeſta!

2.

Heu! heu! quæ turbæ ſunt mentis!
Igneæ lacrymæ
Viſum exurite!
Videre,
Videre eſt grave! non flere!
Video, & crucior!
Crucior, & *mereor!* ah *mereor!*
Hæc vox eſt furentis
Heu! heu! *acerba vox* mentis.

Conſcien. Flete! gemite! eiulate! non movetis:
In aſpectu *Peccati veſtri*,
In conſideratione commiſſi *Deicidij*
Oculos æternùm figetis, & tabeſcetis.

Aria.

Hæc pœna eſt peccantium,
Et non *conſiderantium*,
Quid demum ſit, *peccare*:
Non dicitis: *quid facimus?*
Dicetis: *Ah! quid fecimus?*
Et fructus eſt, *plorare.*

Sed

Sed debito si *lacrymæ*
Non fusæ sint in tempore,
In oleum mutantur,
Quo flammæ rogi stygij
Ad cumulum supplicij
Æternùm sustentantur.

PUNCTUM II.

Homo iterum Deicida

Propter frustratum effectum Mortis Christi.

§. I.

Exercitium Memoriæ.

Eusebius. SYnesi: medullam ossium stupor, & horror siccant. Ergò verè Deicida sum, & nescivi! certè non cogitavi, non intellexi: putavi, per tropum dici. Verè *Deicida sum!* ergò cur vivo? cur me genuerunt parentes? utinam periissem trium mensium infans! aut idem postremus vitæ fuisset dies, qui primus fuit! aut saltem ô si mortuus fuissem pridie, quàm primum peccatum commisi! *Syn.* Et adde aliud votum: *Utinam peccâssem graviter semel tantùm? Eus.* Ah sile! tristis est anima mea usque ad mortem! *Syn.* Morere, morere præ dolore: non potes feliciùs mori. Silere me jubes? loqui jube, & inflammare dolorem: hoc verè pœnitentis est votum. *Eus.* Ita est, corrigo me. Loquere! clama, ne cesses! annuntia mihi scelera mea, donec rumpatur hæc cautes, & doloris vehementiâ in frusta dissiliat. *Syn.* Loquar igitur. *Semel* ergò fuisti Deicida, fateris tandem. *Eus.* Convictus sum, *quia causam necis posui*: & satis est utique,

fuisse semel! satis est! *Syn.* Tibi non fuit satis. Fuisti *iterum* Deicida *propter frustratum effectum Mortis Christi*, toties, quoties peccâsti mortaliter. *Eus.* Synesi, si hoc evinces, tabescere me faciet zelus meus adversum me: felice metamorphosi mutabor in vocem totus, totus lamentum ero. *Syn.* O verba digna cedro, quæ nunquam moritur. Vide, ut stes promissis, nec scripseris votum in arena, quam quilibet ventus confundit. *Eus.* Sum firmus: argue. *Syn.* Sensim ago. Sedeamus.

§. II.

Exercitium Intellectûs.

Synesius. Occisum esse DEI Filium *à te*, intelligis: quæro: an scias, esse occisum etiam *propter te?* *Eus.* Scio omnino, & scio, quòd *illud* fuerit furoris facinus, *hoc* amoris. *Syn.* Jugulâsti te hoc responsô. *Eus.* Quid ita? *Syn.* Amoris, ais, fuisse facinus, ut occisus sit Christus *propter te?* *Eus.* Utique amoris summi, scilicet ut ego vitam habeam, & *abundantiùs* habeam. *Syn.* Ingratus, blasphemus, hæreticus es, si neges. Sed jam responde: si amor fecit, ut Christus *occisus sit* propter te, non fateberis, eundem amorem feciisse, ut voluerit *vivere* propter te? *Eus.* Nullum est dubium: propter nos homines, & *propter nostram salutem* descendit de cœlo, & incarnatus est! *Syn.* Laus DEO! nunc intelliges sententiam Pauli, & contremisces. *Eus.* Quid infers enim? *Syn.* Nondum infero. Interrogo iterum: quid est *occidere* aliquem? *Eus.* Occidere est vitam adimere, quis hoc nescit? *Syn.* Omnino: & quid est *vitam* adimere? *Eus.* *Nimirum adimere potentiam* ponendi quamcunque etiam tenuem actionem vitalem. *Syn.* Optimè. Nunc audiatur Apostolus: *Rursum crucifigentes sibimet ipsis Filium DEI!* nullum te verbum prætereat. Peccator igitur crucifigit Christum *semel*, quia *causam ponit*, propter quam crucifixus est à lictoribus: crucifigit *iterum*, quia

quia *tollit effectus*, propter quos crucifigi voluit, non quòd *omnibus* tollat, propter quos crucifixus est Christus, sed quòd *sibimet ipsi*. *Eus.* quasi per nebulam lux micat aliqua. *Syn.* Mox eluctabitur. Qui peccat, *sibimet* occidit Christum, hoc assero. *Eus.* Hoc expone: nam, ùt suprà monui ex eodem Apostolo: Christus jam non moritur. *Syn.* Ita est: *sibi* non moritur Christus: *probis* etiam mori non potest: sed *peccatori* moritur, & hoc *rursum* non in *causa* solùm, sed etiam *in effectu*, & hoc *toties*, quoties graviter peccas. *Eus.* Suspendis anxium, quo modo intelligas. *Syn.* Sensu plano, obvio, certo. Occidere est vitam adimere, est auferre potentiam ponendi aliquam actionem vitalem. Jam dic: Quæ est vita Christi, qua vivit *tibi?* quæ sunt ejus operationes vitales *respectu tui?* Tres lego: pertransibat, prædicabat, sanabat. *Pertransibat*, & trahebat exemplô, *prædicabat*, & movebat verbô, *sanabat*, & vitam dabat mortuis sua morte: quid negas? *Eus.* Omnia palpo manibus. *Syn.* Quid jam agit, qui peccat? Nunquid *sibimet* adimit effectum & fructum omnem, quem producit *in aliis* Christus *per sua exempla?* nunquid *sibimet* tollit virtutem omnem, quam *in aliis* Christus exerit *per doctrinam*? nunquid *sibimet* aufert salutem, quam *in aliis* Christus efficit *sua morte*? nunquid ergò *sibimet* miser *occidit* Christum *rursus*, & omnem *potentiam* operandi, hoc est, *omnem vitam* adimit? quid dicis? *Eus.* Non assentior. Nam, quoties videmus peccatores redire ad cor, pœnitentiam agere, salutem consequi: utique per Christi gratiam? per exempla? per doctrinam? per mortem? ergò etiam peccatoribus vivit Christus: atque adeò, quod sequitur, qui peccat, non ideò *sibi* occidit Christum. *Syn.* Imò occidit *sibi* verè, quantum in se est. Nam, quòd *in aliquibus* DEus resuscitet Christum, miseratio est: *apud plures* non resurgit: hinc pauci electi. Certè eo, quo peccas, momento, dignum te *pœnâ æterna* facis; &, quid est, se dignum pœnâ æternâ facere, quàm *sibimet*, quantum in se est, inutilem reddere Christi doctrinam, exempla, mortem?

mortem? quid enim hæc omnia prodeſſe poſſent; ſi, quod plurimis contigit, contigiſſet tibi, & poſt commiſſum crimen fuiſſes à morte abreptus impœnitens? .. Quanquam quid ego te urgeo? ipſe loquere. Commiſſô peccatô gravi, & culpæ mortalis conſcius tibi, num audes adhuc dicere: *Vivit in me Chriſtus*? quid taces? gemere debes: *Eheu! mortuus eſt in me Chriſtus! ego occidi illum mihi! ego reſuſcitare non poſſum: mortuus erit æternùm mihi, niſi ſe ipſe per infinitam miſerationem reſuſcitet mihi!* ...

§. III.

Exercitium Voluntatis.

Euſeb. O Superi! quæ eſt hæc terribilis veritas! ergò ego te crucifixi *cum Judæis*, JESU mi!.. certè æquè ac illi, *cauſa necis* tibi fui!.. Ergò ego *rurſum* occidi te *poſt Judæos*, quoties graviter peccavi! *rurſum*, quoties obſcænas cogitationes animô volvi volens, ac turpiter me oblectans! *rurſum*, quoties verba ptotuli, quibûs audientem pellexi in crimen! *rurſum*, quoties in tenebras me abdidi, ut ab oculis humanis procul laſcivirem audentiùs! *rurſum*, quoties ſacrilego pudore victus confiteri erubui, quod non puduit facere! *rurſum*, quoties ſacram Menſam acceſſi conviva indignus, & novus Judas! Sic ego tibi vitam ademi! ſic te mihi feci inutilem! ademi vitam in me *exemplis tuis*: præibas ad crucem, ego inimicus ſum crucis: libertas, ſomnus, otium, Venus, Bacchus, Mammon iſti ſunt Dii mei!.. Ademi vitam *præceptis tuis*: prædicabas declinandum à malo, faciendum bonum: ego laudavi, qui malum faciunt, deriſi, qui faciunt bonum; quin ſæpe auſus ſum gloriari, & exultare in rebus peſſimis! ... Ademi vitam tormentis, & *morti tuæ*: vulneratus es, ut ego ſanarer, mortuus es, ut ego viverem: ego rupi vulnera, mortem volens lubens accerſivi, ne me tibi deberem! ... Et adhuc vivo? nondum me ſtyx abſorbuit, nondum ſe armârunt

elementa

elementa in ultionem adversùm me! nondum Angeli saltem ardentes Zelô Læsæ Divinæ Majestatis vindicandæ vibrant gladium? Adhuc vivo, postquam toties *in me* mortuus est DEI Filius, occisus *à me* petulanter, occisus *propter me* sine fructu! *Syn.* Vivis, & vivis, ut iterum vivat in te Christus, ut resurgat in te. Misericordia Domini est, quæ te servavit: Misericordia Dominæ, quæ pro te oravit, ut non sis consumptus: & nisi Dominus custodisset te, dudum in inferno habitâsset anima tua, ureretur, ejularet, spes nulla Resurrectionis foret vel Christi in te, vel tui in Christo. Projice te ad hanc Iconem: ora, ut resuscitare seipsum velit! promitte, nunquam te rursum occisurum. *Eus.* Ah! Servator mi! ignosce mihi! non enim scivi, quid facerem! *Syn.* Quid loqueris? Abscede hinc! oculis vides monumentum furoris tui, & excusas? hem proterviam impudentem! non sciviſti, scelerate, quid faceres? scilicet hac primùm hora doctus es, per omne peccatum grave Deicidium fieri? quid? hæc tibi nova doctrina est, & hactenus non audita? quid? nunquam legisti? nunquam percepisti ex cathedris? nunquam didicisti in scholis? nunquam à puerulis adeò sciviſti recitari in templis? soli tibi ubique peregrinatæ sunt aures, ut ignoraveris, quod omnes sciunt? Soli tibi novus est Textus Apostoli: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium DEI!* novus est, qui bonis omnibus in veterem parœmiam abiit? Sine, ut hoc JEsus Patri pro lictoribus dicat: *Non sciunt, quid faciunt*: Illi enim si agnoviſſent Dominum gloriæ, utique non crucifixiſſent. At tu, si dicis: *nescivi!* mentiris Spiritui sancto, qui per Apostolum locutus est tibi. *Eus.* Parce afflicto addere afflictionem. Scivi, fateor: at certè non sic expendi. Bibebam velut aquam iniquitatem, & pro nihilo reputavi peccatum. *Syn.* Hoc est, quod queror. Quoties ad peccandum vel caro pellicit, vel invitat exemplum, vel spes lucri trahit, vel metus damni impellit, assentiris sine mora, sequeris, nihil reluctans, pergis velut bos ductus ad vi-

ctimam, & quasi agnus lasciviens, cui intellectus non est. *Non expendisti!* quare non? nempe ne horror sceleris usum fœdæ voluptatis vetaret? Ut peccare posses audaciùs, occlusisti utramque aurem meis clamoribus: avertisti animum à pia cogitatione: conscientiæ, Angelo bono, DEO tuo datâ operâ vertisti tergum, & dissimulâsti te audire reprehendentium vocem. O malitiam inexcusabilem! abscede *Deicida!* aut num tu cruentas, atque sanguine occisi Filii stillantes manus ad Matrem tolles? *Eus.* Desperare me jubes? *Syn.* Non desperare: horrere, erubescere, tremere jubeo! occidisti DEum!.. Quanquam utinam occidisset te tantùm impius, ô JEsu mi, utinam tantùm crucifixisset! plus fecit! & se excusat! *Eus.* Heu! satis est, plus nimiô satis! quid ultrà potui? *Syn.* Nimis parum dixit Apostolus: plus fecisti! *Eus.* Occidis me! quid potui? *Syn.* Peccâsti: hoc est, affeciisti DEum injuriâ, contempsisti præceptum, dixisti: *non serviam!* hoc multò atrocius factum est, quàm quod Lictores fecerunt. Crucifigi voluit DEI Filius, *ut finem acciperet peccatum*: credisne, remedium fuisse majus malo, quod volebat sublatum? Si prudens medicus fuit, non adhibuit medicinam morbô pejorem. Crede, cùm eras in procinctu ad patrandum peccatum, & quoties posthac eris, obvium tibi crede DEI Filium ire, qualis depingi solet cum fasciculo armorum Passionis suæ: hunc amplectitur, hunc stringit, hunc offert tibi, & se cum illo, ut excrucies se, ut rursum affigas cruci, ut occidas, hortatur, urget, modò à peccato abstineas: plùs enim peccatum odit, quàm omnia tormenta, quippe quæ ipse appetiit, ut peccatum destrueret. Nunc satis est: abscede! attonuit me horror sacer: ipse ultrà non possum loqui. *Eus.* Non abibo: aut hìc, aut nullibi spes gratiæ est mihi super: ecce in pace amaritudo mea amarissima! sine me hìc dolore emori. *Syn.* Abscede, aut ego abeo! locus, in quo stas, terra sancta est, abscede! *Eus.* A Matre abstrahis? *Syn.* Hìc *sta à longè*: dejice oculos indignos cœlô! percute

cute pectus malè conscium sibi! dic: *DEus, propitius esto mihi peccatori. Eus.* DEus propitius esto mihi peccatori. *Syn.* Hoc situ, hoc animo expecta, donec vocari te sentias ad gratiam à Matre gratiæ, cui tu devotum te esse dicis, etiam postquam per repetita Deicidia afflictissimam rejecisti toties in amarissimum mare dolorum. Vah! devotio! hæc piæ Virgini causa lacrymarum est, hæc materia querelarum: vide, audi!.. *Vox ab Imagine cum cantu ad dolorem & luctum:*

Satìs est, Populе meus, satìs est, desine scelerum! Quousque persequéris Dilectum meum!

Me salutas verbis byssinis Patronam, & Dominam: contra Filium verò insurgis manu ferrea.

Ecce, quantæ sunt plagæ, quibûs plagatus est in domo Matris suæ! ideò magna est velut mare contritio mea!

Redde mihi, Populе meus, redde Filium meum: redde mihi unicum, quem diligo, JEsum meum!

Citò procide, & plange super mortuum meum, ut resurgat tibi celeriter in salutem tuam!

Non sum Patrona scelerum: Amo te, sed plùs amo Filium meum!

Cognosce tempus visitationis tuæ: neque oculus tuus nequam fit, quia ego bona sum.

Veniens veniet dies iræ à Domino, & non tardabit hora vindictæ ejus.

Repentè excitabitur tanquam dormiens Dominus, & tanquam potens crapulatus à vino furoris sui.

Satìs est, Populе meus, satìs est, desine scelerum! desine persequi Dilectum meum!

Syn. Eusebi, quid sentis?.. nihil loqueris mihi? audîstin' dulcissimam vocem, qua loquitur tibi Virgo hæc, hæc *Mater amoris* erga te, *Mater doloris* propter te? eja! quid sentis? *Eus.* Sentio scindi cor à mœrore. Ubi sum? *Syn.* In theatro

amoris, & doloris ſtamus. Spectaculum factus es DEO, Angelis, & hominibus: expectant cataſtrophen. *Euſ.* Imò factus eſt DEus ſpectaculum mihi. Video clarè, quod nunquam vidi. *Syn.* Gratia eſt per Deiparam exorata Sodali. *Euſ.* Sentio, quem nunquam ſenſi, motum animi ſuaviſſimè amarum, & amariſſimè ſuavem. *Syn.* Donum ingens à Matre venit. *Euſ.* Video *peccatum meum* contra me! eheu! peccatum meum eſt *JEſus occiſus in ſinu Mariæ.* O JEſu! ô Maria! hactenus hoc ego ſpectaculum tanquam ſcelus Judæorum aſpexi: hodie video *ſcelus meum!* ita, ita, ſcelus meum eſt *JEſus occiſus in ſinu Mariæ!* Video, quod nullus videat oculus, quin ſanguinem fleat, nulla auris audiat ſine pavore, nulla mens cogitet, quin ſtupore exareat. Erumpe in ſingultum pectus, quo tremat orbis, & ab Oriente usque ad Occidentem concuſſus horrore immugiat. Eheu! *Paſſus eſt!* abſorbet vocem luctus! *paſſus eſt!* ô verbum atrox! immane! horridum! *paſſus eſt!*.. *Syn.* Abſolve: *Quis?* *Euſ.* Filius DEI vivi! *credo!* & ex dolore deficio! *Syn. Pro quo* eſt paſſus? *Euſ.* Pro me! hinc erigor! *ſpero!* *Syn. Quid* paſſus eſt? *Euſ.* Funes, catenas, alapas, ſputa, cachinnos, contumelias, flagella, ſpinas, tormenta omnia, crucem, mortem! *Syn. Cur?* *Euſ.* Ex amore! ex amore! ſtupe cœlum! rumpatur orcus invidiâ! *Ex amore* Filius DEI paſſus eſt mortem. *Syn.* Et *à quo?* *Euſ.* Heu! à me! ſepelite hoc ſcelus cautes, & involvite hoc monſtrum tenebræ!... imò irradia Sol, videat hanc belluam orbis! fulminet cœlum! abſorbeat tartarus!.. Ibo, ibo, clamabo per urbes & oppida, per ſilvas & agros, per montes & valles: *Ego ſum Deicida?* irritabo adversùm me beſtias, elementa, orbem terrarum! corrue ſuper me! occide! perde! *Ego ſum Deicida!* ô ſcelus! ô dolor! ô animi tormentum grave! Ah Syneſi! doleo, & quantùm doleam, non poſſum dicere. *Syn.* Io bene! ſi poſſes dicere, doleres parum. Jam ſatis eſt: accede! *Euſ.* Deicida ſum! *Syn.* Fuiſti. Accede, attende, & vide, in quem

trans-

transfixeris: ora veniam. *Euſ.* Madentes Divino Sanguine tollam ad cœlum manus? *Syn.* Ipſe exorat veniam Sanguis, quo madent manus. Accede! *Euſ.* Aſpectum horreo DEI *à me* occiſi crudeliter, *propter me* occiſi ſine fructu. *Syn.* Reſurget occiſus JEſus. *Euſ.* Reſurget? quomodo? quando? *Syn.* Per amorem. Accede! *ama!*

§. IV.

Colloquium.

Euſebius. AH! tantùm amo, quantùm odi! amo te, DEus mi, neque *ut me ſalves*, te amo, neque *quia*, qui te non amant, amandantur ad ignes æternos. Tu, tu, JEſu mi, me totum expanſis brachiis amplexus in cruce es! clavîs perfoſſas manus & pedes, lanceà transfixum pectus, caput ſpinîs coronatum ad ignominiam, corpus omne verberibus lividum, vulneribus cruentum intueor: Animam video oppreſſam angoribus, & ultimos dolores per omnes meatus exſudantem. Superi! qualis Imago!.. ſcilicet mori pro me volebas, ac pro me peccatore, pro tuo carnifice: ego te occidi!.. Et tu *paſſus es!*.. rurſum occidi: rurſum *es paſſus!* centies occidi: centies *paſſus es! O patientia!* O patiens DEus! ter patiens DEus! *patiens* à me, *patiens* pro me, *patiens* mecum, mecum, cum latrone ſuo, cum Deicida!.. O patiens DEus! ſic amabas!.. ſic amas!.. & ego frigidus vivam!.. Exarde cor! amabo te, JEſu mi! terret infernus, ſed quia locus eſt, ubi non potes amari! allicit cœlum, ſed quia locus eſt, ubi ſecurè amabo, *ſicut tu* me amâſti. Sic, ſic nunc amo te, ſic amabo! Rex meus es, ego ſubditus tuus! Dominus es, ego ſervus! DEus es, ego opus tuum! *opus, quod amas!* Hoc ſatis eſt, ut velim amare. Peribo, ſcio, niſi te amem: hoc tamen ſciat cœlum! audiat orcus! nolo amare, ut vivam: vivere tantùm cupio, ut amem eum, qui ſolus amabilis eſt.

§. V.

Reflexio.

Synesius. BOna verba, mi bone, bona verba non probant amorem bonum! *Euseb.* Quid exigis igitur? *Syn.* Odium exigo: odium exigo: odiô probatur amor. *Eus.* Cujus odiô? *Syn.* Odiô peccati. *Eus.* Quantum sit? *Syn.* Quantum meretur *Malum summum.* Recordare, quæ vidisti hactenus, & vides hodie: sic inflammabis animum in odium serium, universale, efficax, heroicum, implacabile. * Recordare, quid exciderit *Jeroboami* familiam. *Eus.* Peccatum excidit fons infectus venenô omnis mali. *Syn.* I nunc, & dic: *dari posse peccatum utile:* semper damnum est lucro majus. Recordare etiam, cui hanc turpitudinem *Nabuchodonosor* debeat. *Eus.* Peccatum talem fecit, ut esset execrabilis DEO, sibi, & suis. *Syn.* I nunc, & in licentia scelerum pone *punctum honoris tui.* Recordare deinde, unde misera *Sauli* vita, & miserior mors acciderit. *Eus.* Ex peccato accidit: peccatum fecit, ut desertum à DEO, ac sibi relictum indomitæ passiones perpetuâ lanienâ discerperent. *Syn.* I nunc, & à peccato *delicias spera.* Recordare præterea, quid *gemina morte* infelicem *Ochoziam* perdiderit. *Eus.* Peccatum perdidit, cujus ope periculum *unius mortis* discuti posse credidit. *Syn.* I nunc, & judica, quæ fingi possit *necessitas*, qua cogaris peccare. Postremò in te regredere: quid *Deicidam* te fecit? *Eus.* Heu! quid potest dici atrociùs? peccatum fecit! *Syn.* I nunc, & pecta *per risum!* *Eus.* Imò odiô posthac acerbissimô malum persequar, quo non est majus, persequar *in me*, & *meis*, persequar in omni loco, tempore, occasione. *Syn.* Hoc *dicis* hodie: cras aliud facies. *Eus.* Prohibe hoc malum, DEus! aut, si vides, futurum cras, quod iste dicit, obsecro: *Jube me mori hodie!*

* Exhibentur Argumenta omnium Meditationum.

O. A. M. D. G.

INI-

INITIUM SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI

Psalm. 110.

ARGUMENTUM QUINQUE MEDITATIONUM, ANNI M. DCC. XLV.

MEDITATIO I.

Primum Timoris Argumentum MORS.

ARGUMENTUM.

SEriæ Conversionis negotium,, sicut olim in Conversione S. Augustini velut in Idea universum simul conspeximus, & deinde per partes incepimus accuratiùs contemplari: ita hoc anno promovemus *ad tertium gradum*, totum denique Meditationum laborem excitando *timori Domini* addicentes. Postquam enim peccator beneficio *Devotionis Marianæ* abhinc *quinquennio* explicatæ lumen gratiæ impetravit, quo illustratus *Intellectus* ad salubrem, quem ante triennium (nam

(nam inde tribus annis propter belli turbas Theatrum vacavit) intendebamus, horrorem perspexit, *Peccatum* verissimè *Summum Malum* esse: nihil est vel ordini rationis, vel solidæ Asceseos principiis conformius, quàm ut ab intellectu *in voluntatem* labore converso, urgeamus *fugam* mali, quod præ omni alio malo fugiendum esse cognovimus. Ad hunc autem finem, dicite, quod aliud medium aut propiùs aut feliciùs quàm *timor Domini* serviet? Certè Regius Psalmista, cùm illum *Initium Sapientiæ* vocat, hoc sensu vocat, quòd reperire peccatorem sit nullum, qui *sapere* incipiat citiùs, quàm *timere*. Ergo ad timorem comparate animos, DD. Sodales, *ad timorem*, qui nos liberet ab omni *timendo*, sicut sperare nos jubet Spiritus sancti oraculum: *Timenti Dominum, bene erit in extremis.* Eccl. 1.

Timoris argumenta *ex hominis novissimis* promo, quibus consideratio *de Æternitate* addetur. Meditabimur autem summi momenti veritates tum *in Historiis*, tum *per Dialogos*, quoniam ista Methodus opportunior ad scopum interdum judicabatur: Et erit primæ Meditationis

Materia, Mors: *Statutum est hominibus semel mori.* Hebr. 9.

Puncta duo: 1. Homo moribundus.
2. Homo mortuus.

Fructus. Timor DEI, vitæ ac mortis Arbitri.

Propositum. Fuga *vitæ peccaminosæ*, qualis est eorum, qui & facilè peccant, & diu in peccato persistunt.

Chorus Mortis improvisæ periculum exhibet in Parabola. *Luc. 12.*

PERSONÆ.

Synesius, sive Intellectus.
Eusebius, sive Voluntas.
Emissarius Mortis.

PRO-

PROLOGUS.

Fides Rationem excitat, ut post intellectum grave Malum peccati, jam ad ejus fugam ex Meditatione Novissimorum seriò se animet, sanctóque DEI timore intimè configi omnibus desideriis desideret.

Fides. Ratio.

Ratio. ENimverò adhuc bene memini, *
Quæ à te, Fides, abhinc quadriennio didici.
Certum est, erravi,
Quoties ex peccato *bonum aliquod* mihi speravi.
Certum est, non dari in peccato *bonum utile*,
Non *honestum*, non *delectabile:*
Imò certum est, omne peccatum malum esse *pessimum*,
Malum *morte majus*, verúmque *Deicidium.*
Hoc didici, hoc capio, & ad horrorem intelligo.

Fides. Bene habet: ergò *cessâsti desipere*.....
Jam, ut *incipias sapere*,
Ecce! ad hoc Palatium constituo te.

Ratio. Superi! Quæ Dignitas!
Quis splendor est magnificentiæ?

Fides. Hinc Dominæ, quæ incolit, nobilitátem intellige.

Ratio. Programma lego: Io! Incola est SAPIENTIA!
O RATIONI optabilis! ô dudum concupita,
Et diu sollicitè desiderata notitia!

* Exhibetur Palatium Sapientiæ septem columnis insistens. *Prov. 9.*

ARIA.

1.

Salvete tecta aurea
Et feliciſſima
Patete votis atria
O citò patete!
Sum Soror Domûs Dominæ:
Jungendi me cupidine
Cor ardet: ah! patete!

2.

Ah! Soror, Soror aperi
Sorori ſupplici!
Aut, ſi non vis Sorori,
Aperi amori!
Soror amat: amor clamat:
Aperi!
Per moram cogis mori!

Fides. Pia placent deſideria: ſed feſtina lentè,
In interiora Sapientiæ adyta aditus non datur repentè:
Recordare, quòd olim *ſub arbore ſcientiæ*
Contemptâ Sapientiâ, te junxeris *ſtultitiæ:*
Hanc Soror injuriam blandè vult exprobrare,
Propterea in veſtibulo jubet te expectare. *

Ratio. Heu me! quale video ſpectaculum!
Sic me excipit Soror, & hìc jubet morari?

Fides. Et noviſſima meditari,
Unde diſcas timere Dominum,
Quod eſt SAPIENTIÆ INITIUM.

ARIA.

* In atrio ſe exhibent quatuor noviſſima.

A R I A.

1.

Hìc ſta!
Hìc, quantum poſſit DEUS,
Quàm nihil Homo Reus,
Attentè pondera:
Intelliges, quàm utilis
Ex his in te *principiis*
Formetur *Logica.*

2.

Hìc ſta!
In forma, cautè, clarè
Hìc diſces diſputare,
Et cum victoria:
Nam certiores aliæ
Non dantur *bona* Regulæ
De conſequentia.

Ratio. Confiteor: meritò hæc patior,
Poſtquam præ Sapientia
Tamdiu in amoribus fuit ſtultitia.
Fides. Moram patere: Timor fugabit ſtultitiam,
Et introducet te ad Sapientiam.
Timor ſanat oculum,
Fallacia auferens perſpicilia:
Timor purgat cerebrum,
Et mala tollit præjudicia:
Timor vim coërcet affectuum,
Quæ impediunt animum,
Ne percipiat optima Sapientiæ axiomatà,
Ideò tam varia ſtultorum ſunt genera,
Et vivunt alii *quaſi ſemper victuri*,

Alii *quasi toti morituri,*
Alii *quasi de sua salute multò certissimi,*
Alii *quasi studiosè vellent damnari.*
Tu, antequam liceat ad Sororem intrare,
Timoris operâ,
Ab omni hac fæce te debes purgare.

Ratio. Ecce me! doce Fides, quid oporteat facere.

Fides. Dixi: meditando novissima, timorem excita:
A morte incipe. Materiam porrigo:
Age, IN HAC CALVARIA te considera.
Memento, quia pulvis es, & in pulverem reverteris!

Ratio. Horreo! . . . . tamen obedio.

A R I A.

1.

Dic larva, cujus es?
Apollinis, an Marsyæ?
Hecates, an Helenæ?
Cæsaris, an Tityri?
Artali, an Æschyli?
Ah! taces! *mea es!*
Hìc meas cerno Spes:
O vanitas!

2.

Sic eris, quisquis es!
Commune est hoc speculum,
Cunctorum forma vultuum:
Qui fecit te, sic faciet:
Huc fastum omnem rediget
Sic eris, quisquis es!
Et heu! eris citiùs,
Quàm tu existimes!
O veritas!

MEDI-

MEDITATIONIS I
De Morte
PUNCTUM I.
Homo Moribundus.

§. I.
Præparatio animorum.

Euſebius. TRiſte argumentum eſt. *Syneſius.* Quale tempus dictavit dicatum pœnitentiæ, & ſuggeſſerunt cineres nuper inſperſi capitibus. *Euſ.* Aſſentior, quanquam natura horreat. *Syn.* Horreat: non eſt ſapiens horror, cui cedendum ſit. Si per oblivionem mortis effugere liceret mortem, enimverò non urgerem, ut velles meditari de morte: ſed cùm mors æquali ſemper paſſu ambulet, & immemores æquè ac memores ſui repentè corripiat: Sapientis eſt, prævidere telum, ut mitiùs feriat. Quid? quòd cum voluptate videamus in picturis monſtra belluarum, quas fugimus: & credas, à meditatione mortis omnem abeſſe dulcedinem? Nihil angere: feci, quod Medici ſolent: amaras pilulas aurô involvi, & triſtem veritatem ſaccharo amœnæ conſiderationis condivi. Paratum ad noſtrum ſcopum cubile vides. (*) *Euſ.* Superi! non oculos cruciet apparatus tam illætabilis? *Syn.* Etiam aures cruciantur! *Chorus. Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris! Euſ.* O cantus durus! *Syn.* Appoſitus ad affectum. *Chorus idem repetit tono altiore. Euſ.* Lamentum horrore plenum! *Syn.* Et ſancto metu. *Chorus iterum tonô altiſſimô.*

(*) Aula mortualis exhibetur.

Euſ. Gràve præludium ponis! *Syn.* Materiam programma exhibet, quod cubili affixum legis: *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* *Euſ.* Verba ſingula proprium pondus habent. *Syn.* Puncta Materiæ duo ſunt: HOMO MORIBUNDUS, punctum primum, HOMO MORTUUS punctum ſecundum erit, quod expendemus. *Euſ.* Corticem teneo. *Syn.* Nucleus eſt timor Dei, vitæ & mortis Arbitri. *Euſ.* Accingor operi. Magne DEus, in cujus conſpectu ſto! à te STATUTUM EST decreto indiſpenſabili, ſtatutum HOMINIBUS ſine exceptione omnibus, ſtatutum SEMEL, nec ſæpius, ſtatutum MORI, & de tempore tranſire ad æternitatem! ſtatutum bene! juſtè! ſanctè! da gratiam, obſecro, ut de hoc ſtatuto, & de hora extrema meditanti hæc hora ſit felix! Exhibeat *memoria* horridi decreti vim: concludat *intellectus* conſilium ſapiens: exardeat *voluntas* in executionem maturam! moriar ante mortem, ne malè moriar! ah! malum peſſimum, mala mors! A mala morte per tuam mortem libera me, Domine! Et tu, ô Maria! Patrona morientium (*accinit Chorus*)

Ultima in mortis hora
Filium pro nobis ora!
Mortem bonam impetra
Virgo, Mater, Domina!

§. II.

Exercitium memoriæ.

Syneſius. JAm te erige, & aſpectum in ſpectaculo Joannis fige: (*) *Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen ei mors,* Apocal. 6. Equus pallidus imago morbi eſt, qui mortem advehit. Quos enim non repentina vis, aut caſus tollit, illis mors velut à longè adequitat in morbo levi primùm, ſed

(*) Exhibitio.

sed qui sensim ingràvescit, donec cursu repentè præcipitato, tanquam illisis jacenti calcibus elidat animam, id, quod illis præcipuè contingit, qui vel cùm ægri sunt, de pœnitentia non anguntur. Morbus enim, quem non timebant, celeriter multis fatalis fit, quia calcar, & *stimulus mortis peccatum est*, 1. Cor. 15. Hinc illæ Domini minæ: *Qua hora non putatis, Filius hominis veniet*, Luc. 12. Et illa amantis nos admonitio: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam*, Matth. 25. Non ad sanos magìs pertinent propter repentinæ mortis pericula, quàm ad ægros præcipuè, quippe qui subitis mutationibus maximè obnoxii sunt. *Eus.* Vis igitur, ut damnem eorum audaciam, qui pœnitentiam differunt in extremæ diei horam? *Syn.* Hoc ago: propterea considerandus est tibi HOMO MORIBUNDUS, sive qui *lenta morte* moritur. *Eus.* Mortem *repentinam* plerique metuunt: *lentam* inter gratias numerant, non alia de causa utique, quàm quòd sic morienti tempus suppetat disponendi domui suæ, & animæ providendi: num alius est sensus tibi? *Syn.* Non est alius. Poterat Divina Nemesis deprehensum, ùt ajunt, in flagranti peccatorem sine mora damnare, quis ambigat? Igitur si gladiô suspensô hominem tortoribus morbis tradit, scilicet eo fine, ut tanquam in equuleo extensus ad salubrem criminum confessionem adigatur tormentîs, quibûs redimat æternos ignes, utique gratiam facit, insignem, ingentem gratiam: verùm quotusquisque ex ægris tantâ gratiâ, utì oportet, utitur? Occupat hominem insolitus languor, spernitur: succedit dolor capitis, nausea stomachi, ardor viscerum: non timetur. Crescit ex mora malum: vocatur Medicus, de remedio consultatur. Pharmacîs nihil proficientibus, deficiunt vires, flaccescunt sensus, caro concidit, gelascit sanguis, arescit vitalis humor, difficilis anhelitus meat: & adhuc nemo denuntiat periculum: nulla fit mentio pœnitentiæ. Tunc denique, cùm quadrupedante sonitu accelerat mors, & proximè equus pallidus ad fores hinniens pulsat

januam,

januam, exoritur tumultus intus, inclamatur Sacerdos, festinat ille, reperit vix spirantem, absolvit sub conditione: sic moritur miser! *Superi! quàm repentè! quis putâsset?* ingeminant circumstantes, & *requiescat in pace*! ajunt: abeunt. Age, quid prosit talibus *gratia lentæ mortis? Eus.* Profectò ego sic mori nollem. *Syn.* Igitur velle debes, ut, cùm cœperis ægrotare, de periculo admonearis liberè, atque celeriter: admonitus verò sine mora seriò negotium salutis cures. Ut velis constanter, duo argumenta efficient. Attende mihi sanus, ut scias, quid faciendum sit ægro. Audies, stultissimè agere, quisquis, cùm graviùs æger est, procrastinat pœnitentiam. Hæc enim HOMINIS MORIBUNDI procrastinatio corpori *sæpe noxia*, animæ *semper summè periculosa* est. *Eus.* Graviter perorabis: audio, considemus.

§. III.

Exercitium Intellectûs.

Synesius. *Monent me de confessione: ergò moriendum est!* Hæc est ineptissima multorum ægrorum, dicam, an insanorum argumentatio: sapientiùs sic interam: *Nihil audire vis de pœnitentia, ergò morieris*! testem sententiæ magnum Basilium habeo, cujus hæc assertio est: *Morbi sæpe peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, nisi ut vitam in melius commutemus*, quod cùm per pœnitentiam fiat, patet, stultum esse timorem, quo quis aversatur confessionem, ne moriatur, quando DEus hoc solo fine sæpiùs immittit morbum, ut confessionem à te obtineat: *Nihil aliud agitur.* Est petulans juvenis, qui *pullum onagri se liberum natum putat*, Job. 11. vagatur sine fræno per omnem licentiam, & exultat in rebus pessimis, abiens in regionem longinquam, atque omnem substantiam prodigens vivendo luxuriosè: Est vir nobilis, qui *ambulat in mirabilibus super se*, Psal. 130. & in ipsum cœlum ponit os suum, thus & victimas; & li-

& libamina, & aliquid ſupra hominem inſtar idoli affectans: Eſt Judex, *qui nec DEum, nec homines reveretur*, Luc. 18. ſibi rex ſuus, & ſua lex, acceptor perſonarum, prædo, latro, ſanguiſuga: quid fit? *Euſ.* Scilicet Miſerator DEus tradit hominem in manus Medici, ut modeſtiam doceatur: ſæpe hoc vidi. *Syn.* Sic eſt: ſed Medicus, quanquam agat omnia, nihil agit. Non agnoſcitur morbi ſpecies, non occurrit conſilium aptum, nullus labor effectum habet: ab ipſis pharmacis malum alitur, nempe quia pœnitentiam DEus poſtulat: *nihil aliud agitur.* Maſſa febrilis, & materia peccans peccatum eſt, quod tamdiu gravat animam: nulli pulveres, nullæ potiones, nullæ apothecæ proſunt: imò nec preces adeò, nec eleemoſynæ, nec Sacrificia, nec promiſſa quævis ac vota: virus peccati evomendum eſt in aures Sacerdotis: *nihil aliud agitur.* Atque hanc Baſilii doctrinam ipſa veritas exemplis firmavit. Recordare, quod legimus Luc. 17. de viris leproſis: nonne priusquam mundavit eos, juſſit *ire, & oſtendere ſe Sacerdotibus*, ut doceret, ſanitatis principium ab Exercitio pœnitentiæ ſperandum eſſe? & Luc. 5. cùm paralyticum ſanare vellet, nunquid, antequam extendit manum, dixit: *Homo, remittuntur tibi peccata!* nimirum ut prudens Medicus malum à radicibus tolleret? Contrà infelix Aſa, cùm ex dolore pedum vehementiſſimo decumberet, mori debuit: cauſam Scriptura tradit 2. Paral. 16. quia *nec in infirmitate ſua quæſivit Dominum, ſed magis in Medicorum arte confiſus eſt.* Nota ſententiæ emphaſin: *nec in infirmitate ſua quæſivit Dominum*, ut intelligamus, hoc fine infirmitatibus premi nos, ut adigamur ad converſionem: *nihil aliud agitur!* flagellat filium Pater, ut ſupplicem habeat: hoc agitur, & ceſſat flagellatio, cùm deprecatio incipit. Quid? non demonſtravi abundè ſatis, quàm ſæpe noxia corpori procraſtinatio pœnitentiæ ſit in ægroto? *Euſ.* Convictus ſum, & damno ſtultitiam communem hominum, quibus in cura corporis ultima cura pœnitentiæ eſt, *Syn.* Meritò damnas,

nas, quam præter fidem, quod oſtendi, etiam Ratio damnat: ſolatium enim, quod affert animæ pœnitentia, etiam redundat in corpus, ut dolores faciliùs, propè dixiſſem, jucundè feras. Ah! Euſebi, *qui medicè vivit, miſerè vivit*! Quàm grave eſt faſtidium noctium, quas inſomnes agimus! quàm amara nauſea à medicinis! quàm triſtis neceſſitas perpetuò decumbendi! quàm multiplex afflictio ab ipſo morbo: ut ſileam innumeras moleſtias, quæ ſæpe accedunt ab inſcitia medentium, à ſegnitie inſervientium, à duritie amicorum, ab importunis officiis inviſentium, ab uxore, à liberis, à famulis: atque hæc tam atrocia, támque multiplicia mala homo obnoxius peccato gravi, haud ſecus, ac ſi jam damnatus ad inferos inter frementes diabolos gemeret, patitur ſine fructu, ſine merito, ſine ſolatio, quia ſine pœnitentia: age! num incrementum capere miſeria poteſt? *Euſ.* Miror, manifeſtam adeò veritatem à ſanis non cogitari! *Syn.* Luent ægri, erítque dilatæ pœnitentiæ triſtis effectus melancholia, tenebræ, curæ, impatientia, puſillanimitas, furor, deſperatio. *Euſ.* Horrorem movent vel ipſa nomina tot furiarum. *Syn.* Concludes facilè, has inter turbas animi quàm malè diſpoſitum corpus ſit, ut medicamenta vim exerant malo pellendo parem. Itaque ego illorum imprudentiam execror, qui arti ſuæ omnia tribuentes, id unum ſollicitè cavent, ne ex periculi denuntiatione conterritus æger virtuti medicæ ſuccorum, ac pilularum obſtaculum ponat, quaſi *ſolus timor* turbaret humores, & non triſtitia, non horror, non tædium, non ira, non reliquæ peſtes animi, quas latens peccatum parit. Sapientiùs *ægri vitæ*, & *ſuæ famæ* conſulit, qui periculô non diſſimulatô, hortatur ad pœnitentiam: Pœnitentia benedictionem impetrat conatibus Medici, & per animi ſolatia ad felicem remediorum uſum diſponit corpus ægroti. *Euſ.* Ego verò ipſos ægros arguo adeò ſæpe delicatos, ut citra deliquium nomen mortis audire non poſſint. *Syn.* Eſt modus in rebus, & inter-

tereſt, quis, quandò, quibus verbis periculum denuntiet. *Euſ.* Verùm ne multis cæremoniis opus ſit, ô quàm ſibi bene conſulerent ægri, ſi facerent, quod glorioſiſſimæ memoriæ Chriſtianiſſimus Heros (*) fecit, cujus generoſam mortem nuperrimè obitam usque hodie amarè plangimus. Moneant ipſi Medicos, ne quid diſſimulent: quærant ex domeſticis: profiteantur palam, vitæ ac mortis Domino libenter inclinare ſe caput, nec invitos diſcedere à theatro hujus vitæ, atque perſonam ponere, cùm juſſerit Choragus Deus. Ita diſpoſitis nemo occultabit veritatem: & audietur ſine gravi motu Propheta modeſtè inclamans: *Diſpone domui tuæ, quia morieris*, Iſ. 38. *Syn.* Optimè ſentis: & ſentient ægri tecum, ſi expenderint ſani, quàm malè ſanus ſit timor, quo multi ſe angunt, quaſi maturantibus pœnitentiam celerior mors immineat. Ah! non pœnitentia, ſed peccatum, peccatum *ſtimulus mortis* eſt: peccatum tollite, & reviviſcet fortaſſe HOMO MORIBUNDUS, certô certiùs moriturus, ſi diutiùs procraſtinetis! igitur quàm chara vobis vita, tam chara ſit ægris celeris pœnitentia. *Euſ.* Ferventer exclamas, Syneſi. Sed erunt, qui reclament, per experimenta conſtare, etiam maturè confeſſis mortem non parcere: quid reſpondebis? *Syn.* Jam reſponſum eſt: *Statutum eſt hominibus ſemel mori!* ab hoc ſtatuto, qui maturè pœnitentiam agunt, num dixi, exceptos eſſe? ſæpe *differri* executionem ſtatuti, quando pœnitentia ab ægro non differtur, hoc dixi: hoc Fides, & Ratio probant: & ſequitur, quòd falſa ſit perſuaſio exiſtimantium, mortem ex confeſſionis feſtinatione accerſiri: vera opinio, procraſtinationem etiam non rarò *nocere corporibus.* Sed ferenda ſtultitia foret, ſi his limitibus contineretur: effunditur velut rapidus torrens in extremam temeritatem, quæ ipſam animam in ſummum diſcrimen abripit. Aſſurge jam animo, Euſebi, & mecum obſtupeſce ſceleratam audaciam, iraſcere, fle!

(*) Auguſtiſſimus Imperator CAROLUS VII.

De hominibus ago, quibus si pœnitentiam suadeas, dùm sani sunt, respondent: *Confitebor, dum ægrotabo:* si urgeas postea ægrotantes, dicunt: *Faciam, si convaluero. Eus.* Et quid erit illudere DEO, si hoc non est? *Syn.* Illudant! Dominus quoque irridebit eos, & subsannabit, cùm evenerit, quod prædixit: *In peccato vestro moriemini!* Jo. 8. Tu, quæ dicam, percipe diligenter. *Eus.* Attentum habes. *Syn.* Sensim detegam periculi abyssum, cui temerè appropinquant lenti pœnitentes. Lenta mors est gratia, quam peccator DIVINÆ PATIENTIÆ debet. *Eus.* Intellexi. *Syn.* Hac gratia uti negligit, qui gravi morbo correptus adhuc procrastinat pœnitentiam, donec conclamatum de vita sit: meretúrne, ut sanitatem recuperet? *Eus.* De cujus abusu neque, cùm erepta est, doluit? *Syn.* At dignum scilicet gratiâ bonæ mortis se fecit? *Eus.* Qui sub ipsis Patris castigantis verberibus de petenda venia non cogitavit? *Syn.* Quid inferam? *Eus.* Obvia illatio est: *in peccato suo morietur!* O grave malum: *mors cum peccato!* mors solitaria finis malorum est, imò bonorum æternorum principium: optemus! amemus hanc mortem! sed *mors in peccato* finis est omnis boni, initium omnis mali! ô malum atrox! immane! horridum! & tanti mali *periculum proximum* ultrò lentus pœnitens subit! *Syn.* Subit: nam in pœnam audaciæ solet DEus mortem lentam mutare subitò in repentinam. *Eus.* Synesi, quid dicas, num attendisti? mors repentina à vi, vel casu venit: nobis de illis sermo est, quos morbus perimit. *Syn.* Ego repentinam appello, *per quam repentè homo ineptus redditur ad pœnitentiam:* atque hoc genus mortis quàm frequens est, tam ajo, propriam pœnam esse procrastinantium. Explico veritatem horrore plenam: adverte animum. Primùm: gratia pœnitentiæ finalis non consistit in impulsu voluntatis, sæpe in pia desideria erumpentis: *Moriatur anima mea morte justorum!* Num. 23. sed ex innumeris circumstantiis per Divinæ Providentiæ legem componitur,

nitur, & quidem ex talibus circumstantiis, quæ ut adsint, vel absint, non est liberi arbitrii, efficere, sed solius Misericordiæ DEI: si vel una desit, periit spes bonæ mortis. *Eus.* Mysterium loqueris: enumera tales. *Syn.* Continuò audies. Jam duobus verbis omnes complector, si dico, esse alias, à quibus pendet, *ut velis*, & alias, à quibus habeas, *ut possis* agere pœnitentiam, cujus proinde *omissio* in vitæ termino sæpe *nova culpa* erit, semper *justa pœna*. *Eus.* O cælum! quem non exterreat hæc doctrina! *Syn.* Pergamus. Sunt, qui vel fidem de vita futura abjecerunt, vel in scelerum consuetudine sic obduruerunt, ut omni spe veniæ se ultro exuerint: atque hæc monstra hominum miratur nemo, si nulla pœnitentiæ *voluntate* concepta, execrabilem animam inter horridas blasphemias desperabundi ejiciant. Sed de his non loquor, quoniam portenta sunt, non exempla: de aliis loquor, qui annoso odio erga proximum inflammati, vindictæ desideria in ipso æternitatis vestibulo adhuc alunt: de aliis, qui postquam per injustè parta, & illata imbecillioribus damna gravissima, opes ac fortunas sibi, suísque posteris cumulârunt, etiam quando deserenda sunt omnia, imperare sibi non possunt, ut restitutionem imperent, sine qua salus sperari nequit: de aliis, qui turpi vitio per annos illigati, postquam tempus, opes, vires, talenta, sanitatem, famam, conscientiam immolârunt obscœnæ cupiditati, inferre sibi vim heroicam, per quam probrosa vincula rumpenda sunt, nunquam didicerunt: de aliis, quos quam nunquam puduit peccare, tam semper puduit confiteri: de talibus interrogo te, quid speres? an putes, ita dispositos esse, ut, quod totâ vitâ noluerunt, *repentè velint* morientes? *Eus.* Capio momentum gravissimæ difficultatis: & has, credo, intellexisti circumstantias, à quibus pœnitentiæ *voluntas* impeditur. *Syn.* Has utique, qui montes horrendi sunt, quos nisi *sub initium morbi* æger superaverit, *morti proximus* expaveſcet ad conspectum, ejulabit ad conatum, desperabit in labore. *Eus.* Totis

artubus contremisco *ad periculum* miserorum! Ligati sunt non ferro alieno, sed sua ferrea voluntate, cui flectendæ, præter miraculum, alia vis nulla sufficiet. *Syn.* Plus dicam: prodigiosam etiam si DEus offerret gratiam, nisi æger utatur *statim*, demum non *voluntas* quidem, sed *facultas* deerit, qua possit uti. Equidem funesti casus, violenta cædes, repentina apoplexia rariùs sternunt hominem, ideóque utì plus tumultûs, ita plus terroris secum habent, cùm narrantur: sed nunquid aliæ multæ causæ sunt, quæ minùs feriunt, & æquè nocent? Quid est in febri calida phrenesi communius? ægri perpetuò delirantes nonne quotidie occurrunt? Lethargus quàm vulgare est malum? quid? quòd vel sola insomnia, sola virium debilitas, soli dolores morbo acuto proprii sufficiant sæpe, ut rationis usus salutaris homini adimatur? *Eus.* Cessa, obsecro! periculum moribundi hominis tam luculentè exhibes, ut animus præ horrore deficiat. *Syn.* Atqui nondum dixi omnia. Pone, rationis usum nunquam ægro deesse: nunquid lentum pœnitentem ipsa periculi *ignorantia* perdet, & *spes vana* vitæ longioris, quam falsa Medici conjectura, stulta famulantis reverentia, cœcus uxoris amor per crudelem dissimulationem nutrivit? Quid dico? Pone in tempore de periculo moneri ægrum: conturbatur, ingemit, saluti metuit: exsuscitatur fides, terret oberrans oculis irati Numinis imago atrox: implorantur circumstantes: *Miseremini mei, saltem vos amici, miseremini animæ periclitantis!* miserentur, festinant, vocatur Sacerdos: at ille non est domi! aut si est, venit tardiùs, quàm ut possit esse utilis moribundo! aut si adest tempestivè, fortè non est is, qui juvare abeuntem animam sciat: excitare ad pœnitentiam deberet, absterrebit potiùs, impediet, perturbabit! Cur? quia hæc est justa Divinæ ultionis animadversio, ut, qui pœnitentiam agere *noluerunt*, cùm possent, *non possint*, cùm vellent!

§. IV.

§. IV.

Exercitium voluntatis.

Euſebius! O Altitudo! ô abyſſus judiciorum DEI! quis eſt ſenſus hominis nihil ſibi à vobis metuentis? *lenta mors* quàm magnum bonum eſt, ſi bene uti noverimus! *moram facit ſponſus!* dormiant, per me licet, dormiant per hanc moram virgines prudentes, quæ ſibi proſpexerunt de oleo, & paratæ erant: at quæ non paratæ erant, debebant utique uti morâ, & ſe parare! dormire *non paratas* usque in mediam noctem, donec clamor factus eſt: *Ecce ſponſus venit!* fatuitas fuit indigna venia: ab hac fatuitate libera me Domine! Syneſi, adhuc hodie tibi obſequor, & quoniam neminem etiam nullius gravis noxæ ſibi conſcium oportet ex hac vita diſcedere *ſine pœnitentia*, conteſtor palam, & adjuro per animam meam omnes, qui aſſiſtent ægrotanti, ne quis vana ſpe vitæ lactet decumbentem, néve extimeſcat denuntiare periculnm! *Syn.* Corpori & animæ meliùs conſuletur. *Euſ.* Idem beneficium ego aliis præſtabo: prohibeat benignum cœlum, ne quis per meam adulationem deceptus, ſine Sacramentis moriatur! *Syn.* Charitas poſtulat: & væ negligenti officium charitatis in tanti momenti re! *Euſ.* O Chriſte, quales Chriſtiani ſumus! pudet, admonitione opus eſſe, imò multis hortatibus, ut, qui deberemus vitam omnem vivere uni tibi, ſaltem in amplexu tuo velimus mori! ah! ſcelus eſt, quòd *ſani* converſionem cordis ad te differamus de die in diem: & quòd MORIBUNDI adhuc tricemur, adhuc refugiamus, adhuc de pœnitentia monentibus reſpondeamus languidi corvi: cras! cras! hanc ſtultitiam, hanc temeritatem qui videt, & non obſtupeſcit, lignum eſt: qui obſtupeſcit, nec execratur, Syneſi, quo nomine hominem compellabo? inſanum dicam? *Syn.* Utinam inſaniret! inſania ſcelus excuſaret. *Euſ.* Infidelem? *Syn.*

Etiam

Etiam damnat Ratio. *Euſ.* Barbarum? *Syn.* Neminem in tam gravem petulantiam barbaries abripit, ſed effrænis conſuetudo, belluina libido, diabolica obſtinatio. *Euſ.* Sic eſt: hæ voces explicant immanem impudentiam hominis de vita graviter periclitantis, & tamen deliberantis, hodiéne, an cras animum convertere ad DEum debeat! *Syn.* Deliberantis, ais? dic decernentis: *Cras confitebor, hodie non!* *Euſ.* Aures, aures meæ, non obſurduiſtis ad tam abſurdam ſententiam! ô ſcelerata deliberatio! ſceleratius decretum! ſceleratiſſima procraſtinatio! Heu! aderit (ſiquidem gratia mortis lentæ futura eſt mihi) aderit aliquando dies, quo me opprimet morbus cum mortis periculo. Illa dies ſi me reperiet fortaſſe reum peccati gravis, egóne pœnitentiæ conſilium rejiciam in diem aliam? abſit tam gravis protervia! atque ut abſit longiùs, fixum eſt animo hoc propoſitum: *etiam cùm ſanus ſum, nunquam vel per noctem unam dormiam, conſcius peccati lethalis mihi:* Sic me JEſus adjuvet, & hæc ſancta, quam ſtringo, crux! *Syn.* Places, Euſebi: ex conſideratione HOMINIS MORIBUNDI didiciſti *bene mori:* ſurge jam: eundum extra cubile eſt, & conſiderandus HOMO MORTUUS, ut fructus ſit major, & diſcas etiam *bene vivere.* *Euſ.* Docilem diſcipulum habes: quo ducis, ſequor.

CHORUS

Oſtenditur ex *Luc. cap.* 12. Mortis improviſæ periculum.

Genius Mundi. Viator. Mors.

Viator. DImitte me: ſatis eſt! tandem ex diverticulo
(Jam enim adveſperaſcit) *
Redeundum eſt in viam curriculò.

Imò,

* Exhibetur ſilva cum diverſorio.

Gen. M. Imò, cras ibis: hodie juvat quieſcere,
Et ex aſpero nimis itinere vires reficere.
Viator. Fateor, feſſus ſum, & totus langueo.
Nihilominùs neceſſe eſt pergere:
Nam tu hoc ſcito: hæc mea peregrinatio
Eſt veluti navigatio, quæ fit adversô fluviô;
Non progredi, eſt regredi.

ARIA.

Ex viribus totis tumentem
Nitendum eſt contra torrentem:
Non vacat vacare,
Vix ceſſo ſudare,
In mare jam abripit me,
In mare, quod heu! ingenti
Furore exaſperant venti:
Væ levi phaſelo
A fluctuum bello,
Cui *mora* objiciet te!

Gen. M. Quidquid ſit de hac tua Philoſophia,
Nox unica non te adeò removebit à patria,
Ut non poſt vires redditas
Facilè moram compenſes currendo alacriùs
Per tuæ ſalutis ſemitas.
Ecce ſtravi lectulum, quieſce paululùm!
Viator. Fortiter urges: ſed eheu!
Quis mihi promiſit craſtinum?
Perditus ſum, ſi me occupet mors,
Priusquam venero ad viæ meæ terminum.
Gen. M. Quid audio, num vigilans ſomnias?
Quid de morte in flore ætatis cogitas? *

* Auditur vox cuculi.

At en! opportunè infert ſe Cuculus:
Attende: Divina eſt avis: augurium capimus.
Eja! ſexies jam tibi accinuit!
Et pergit.... jam duodecim numero!....
Jam omnino viginti!....

Viator. Ceſſavit! avolavit!

Gen. M. Vive felix: gratulor! nam viginti integri
Vitæ anni ſunt reliqui.

Viator. Si ita eſt, ſecurè hìc licet quieſcere.
Quin totos decem & octo annos
Poſſum impunè à via divertere,
Et in deliciis agere.

Gen. M. Haud dubiè, quia duo anni ultimi
Abundè ſufficient, ut in viam redeas,
Et iter reliquum rite conficias.

Viator. Perſuaſiſti. Abi moleſta penula!
Veni placide Morphee,
Feſſum dulci quiete corpuſculum refice.

Gen. M. Et vos læto carmine ſuavia ſomnia
Provocate aviculæ.

A R I A.

1.

Dormi! dormi!
Nam licet dormire.
De animæ curis,
De rebus futuris
Metum & anxiam
Mentis triſtitiam
Jube in ultimam
Thulen abire.

2. Dor-

2.

Dormi! dormi!
Nam dormis ſecurè.
Ex Cuculi ore
Et ſæculi more
Multas poſt hyemes
De te ſi cogites,
Ages ſalutis res
Satis maturè.

Gen. M. Sed, cur aviculæ ſilent ſubitò?
Heu! bubonem audio.....
Carmen ferale! omen fatale!
Homo infeliciſſime!
Cuculus decepit te: ego fugio!.....

Mors. Silentium! funeſtum jubeor dare ſpectaculum,
Et *ſicut fur de nocte*, Apoc. 16.
Ingredi iſtud cubiculum.
Hic, homo temerarie, invenio te!
Sic, REUS PECCATI, audes ſine cura dormire?
Periiſti! nec enim evigilabis, niſi in inferis.
Quid muſſitas? ſomnias, miſer, ſomnias.

DUETTO.

Viator in ſomnis.

Anima,
O felix anima!
Frumentô turget horreum:
Quid curas cœli bona?
Spes hæc eſt ſomniantium:
Tu ama terræ dona!

Mors.

Anima,
Infelix anima!
Quem dormis ſomnum peſſimum;
Quàm multi dormiverunt!
Quas jactas opes ſegetum:
Poſt horam *cujus erunt?*

Viat. Sunt meà, mea horrea! *Mors.* Quàm diu? &, quid poſtea?
Quieſce anima? Dic! dic: quid poſtea?
Fruere! Loquere!

2.

Viator. Poſtea!... poſtea!...
Poſt luſtra nempe plurima
Maturè Futura curabo,
Peccata piabo,
Cœlúmque placabo,
Et recta ad aſtra volabo!
Mors. O ſpes ſtultiſſima!
Viator. Quieſce anima!
Fruere!
Mors. Finis eſt: morere! *

Mors. Habet! ad inferos abiit!....
Ibi ſpem ſtultiſſimam, quæ ipſum damnâvit,
Æternùm damnabit.

A R I A.

1.

Stupenda ſanè res
Poſt tot Divina Monita,
Poſt tot exempla tragica,
Adhuc, cùm blanditur,
Libenter auditur

* Mors telo tranfigit dormientem.

Et pronam fidem reperit
Deceptrix vitæ ſpes!
Sic eſtis homines!
Stupenda res!

2.

Sic ergò nôſtis me?
Neſcitis, quòd non moneam?
Quòd improviſa veniam?
Multos caſu ſterno:
Multis vim decerno:
Sub morbi levis ſpecie
Plerisque tego me:
Non vobis veſtra ſors?
Non nota mors?

PUNCTUM II.

Homo mortuus.

§. I.

Exercitium memoriæ.

Euſebius. SYneſi, ſic mori eſt miſerè mori: dediſti ſpectaculum, quod me terruit. *Syn.* Evangelium dedit: & tu vidiſti, quàm fallaces ſint ſpes humanæ de vita longa. *Euſ.* Vidi: herì in agro ſuo exultabat homo dives de pingui meſſe, & annos plurimos ſpondens ſibi, dicebat animæ ſuæ: *Habes multa bona! requieſce! comede! bibe! epulare!* hodie funus eſt, & quæ paravit, cujus erunt? ô mutatio! *Syn.* Imò, ubi ipſe erit? *Euſ.* Facilior eſt iſta quæſtio: nempe corpus inferetur ſepulchro: anima abiit *in domum æternitatis ſuæ*, Eccl. 12.

ibi erit. *Syn.* Sic est: & juvat huic veritati te immorari. HOMO MORIBUNDUS excitavit vigilantiam, ne procrastines pœnitentiam, cùm imminet mortis periculum: HOMO MORTUUS docebit sapientiam, ne talis vivas, qualis non velles mori. Propterea huc adduxi in istud nemus, ubi plura spectabis funera Evangelico similia *Eus.* Horrida silva est! *Syn.* Imago mundi. *Eus.* Quid vis, ut faciam? *Syn.* Perambula tacitus: serviet instar libri, in quo multa leges, quæ prosunt: sed neque, cui sapienter colloquéris, deerit, donec redeam. *Eus.* Vis, ut eremum incolam? *Syn.* Ad horam: unde te occupes, oculi dabunt, vel sine Synesio. Circumspice! *Eus.* Nescio, quis repentè terror palpitans pectus obruat! ubi sum? & quid sibi vult hoc Synesii consilium? tristis solitudo sollicitum reddit. (*) Quid lego? *Annô supra millesimum septingentesimum vigesimô hàc transiens Isidorus de Liliis nobilis Venetus in latrones incidit, & unà cum famulo impiè trucidatus fuit: requiescat in pace!* dolenda mors! hìc alium lego: *Cùm audaciùs, quàm prudentiùs vadum torrentis pertentat, aquarum vorticibus abreptus interiit: requiescat in pace!* sæpe infelix temeritas est. Hunc novi! meus hic est Adalbertus amicorum amicissimus! Ah! memini: furentis equi tergo excussus, & per vepres, ac saxa diu raptatus hìc expiravit: *Requiescat in pace!* acerba mors fuit. Et plura video monumenta similium casuum: hìc aliquem socius, cùm venarentur, aberrante glande pro fera stravit! hìc alium vulnere exasperatus aper percussit, & mortuus est! Superi! quot subitæ mortis genera se mihi exhibent! quot annos vitæ non quivis horum promiserit sibi: & ecce! in ictu oculi finis fuit!... succurrite Cœlites, quis hìc occurrit?

§. II.

(*) Ubique se exhibent monumenta funerum.

§. II.

Exercitium Intellectûs.

Emiſſarius mortis. CUr fugis homo? bonus, an malus es? *bonus* mori non metuit, *malus* meretur. *Euſeb.* O DEus! latro occupat! quò me abſcondam? *Emiſſ.* Siſte fugam, ſtolide: fugiendo non effugies mortem. *Euſ.* Moriendum, ais? horrenda denuntiatio! *Emiſſ.* Ignave! num ignoras, quòd ſis mortalis? an novum ego nuntium fero, & minas novas? *Statutum eſſe hominibus ſemel mori*, neſcîſti hactenus? *Euſ.* Scivi, ſed inducias, obſecro, inducias, ut animum comparem ad momentum, ex quo pendet æternitas. *Emiſſ.* Video te hominem *dubiæ ſortis* eſſe: novum ſcelus! nam qua protervia inducias ſperat contumax ſervus, quem præmonuit Dominus, & paratum eſſe juſſit: venturum ſe, qua hora non putaret? non graviſſimis verbis præcepit tibi, ut vigilares *præcinctis lumbis, cum ardente lucerna in manu*? ſic obedis? ſed lauda modò, homo incurie, lauda miſericordiam, & patientiam Numinis: *Nondum venit hora tua!* miſſus ſum, ut docerem, non ut occiderem: (*) en! ſchola ſe aperit: ingredere! *Euſ.* Heu! deficit animus in tam triſti ſpectaculo! *Emiſſ.* Non eſt periculum in hoc deliquio: fœtente balſamo ex hac calvaria revocabo ſpiritum fugientem..... vim habet pharmacum: jam redit color vultui, & membris vigor: plaudite! factus ſum Medicus ex latrone. Jam vales: ſurge, & propiùs hanc Bibliothecam inſpice. *Euſ.* Firmatus eſt animus ex horrore: docilem diſcipulum habes: quid velis, impera. *Emiſſ.* Lege! *Euſ.* Vacuas frontes omnes calvariæ exhibent. *Emiſſ.* Audi! *Euſ.* Muti Doctores ſunt. *Emiſſ.* Volve! *Euſ.* Oſſa confuſa creverunt in acervum, in quo nullus eſt ordo. *Emiſſ.* Et hæc confuſio, hoc ſilentium, hæc

(*) Exhibet ſe Cæmeterium.

hæc calvities nisi te doceant, quid sit HOMO MORTUUS, homo es duri capitis, & nullius cerebri. Ecce! sic sævit mors! eruit oculos, aures abscindit, truncat nares, linguam extrahit, corpus excoriat, & ab ipsis carnibus usque ad ossa denudat! *non legis* in calvis frontibus, quod scripsit Ecclesiastes c. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas!* .... Ecce! sic mors triumphat! *Siluit terra in conspectu ejus,* 1. Mach. 11. *& omnis iniquitas oppilavit os suum,* Psal. 106. obmutuit jactantia sanguinis, excussi sunt dentes garrulitati adulantium, & qui spiritu oris sui commovebant orbem terrarum, tacent: in exiguum scrobem omnis pompa, omnis Majestas concidit! *non audis* in hoc silentio, quod Isaias clamat c. 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri!*.... Ecce! sic regnat mors, commiscet ima summis, & Sceptra ligonibus æquat: omnes omnibus rebus exspoliat: una est funerei Imperii regula: *Omnes æquales sunto! non discis* in hac confusione, quod Psalmista monet, Psal. 61. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere!*.... Age, quid sentis de hac doctrina? *Eus. O mors, bonum est judicium tuum!* Eccl. 41. corrigis *errores omnes,* quibus nostrum pervertitur. *Emiss.* Video te doctrinæ capacem esse, atque celeriter penetrâsse in adyta veritatis, quam plerique alii inaccessibilem putant. *Eus.* Ah! accederent ad hanc scholam omnes, celeriter omnes proficerent. *Emiss.* Examen probabit te. Dic: nunquid hactenus, quidquid contradiceret fides, & Evangelium, putâsti, magnam esse tuæ felicitatis partem positam in affluentia opum? nunquid jacebas in mœrore, cùm pauca, gratulabaris tibi, cùm multa supperterent? nunquid, quos divites, eos beatos, quos pauperes, eosdem esse miseros existimabas? *Eus.* Erratum est! & hæc *falsa opinio* excitavit tot impias cupiditates, implevit cor avaritiæ sordibus, obduravit aures ad clamores creditorum, docuit artes emungendi subjectos, irritavit animum ad fraudes, ad perfidiam, ad violentias, ad perjuria, ad usuras, ad injurias: erra-

tum

tum est! aurum, quod mihi cumulo, mors mihi auferet, & alii rapient: stultitia est, magni æstimare, quod perit. *Emiss.* Hic sapiens sensus est: ex hoc moderaberis *concupiscentiam oculorum, & habens alimenta, atque quibus tegaris, his contentus eris,* 1. Tim. 6. Sed perge: non huc usque grandes tituli, pompa vestium, servorum turba in amoribus fuit? non *ingrediebaris pompaticè,* Amos 6. & clientum catervâ circumdatus dicebas *te esse aliquem magnum,* Act. 8. in eo ponens punctum honoris tui, quòd minores te despiceres, premeres, conculcares? majoribus autem invideres, detraheres, insidiareris? *Eus.* Erratum est: de fastigio, in quod me ambitio extulit, mors præcipitat, & *calcabit super me quasi Rex, interitus,* Job. 18. stultitia est, ambire, quod perit. *Emiss.* Optima sententia: sic coërcebis *superbiam vitæ* intra limites., quos Dominus fixit, Luc. 22. *Qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.* Verùm insuper de vitæ humanæ voluptatibus quæ tibi existimatio fuit? non in his momentum tuæ beatitudinis statuisti? quid temperantia? quid castitas? quid honestas loquuntur? amor libertatis, & otii, contemptus legum, & legislatoris, cupido latendi, & officii neglectio quid testantur? *Eus.* Erratum est! heu! extrema gaudii repentè luctus occupat: *Vertetur in luctum cythara mea, & organum in vocem flentium,* Job. 30. Stultitia est, amare felicitatem, quæ perit. *Emiss.* Rectè judicas: & hoc judicium comprimet *concupiscentiam carnis:* erit *sub te appetitus ejus, & tu dominaberis illius,* Gen. 4. Hìc ad istos pulveres, ô mare furiosum humani cordis, *hìc confringes tumentes fluctus tuos,* Job. 38. atque ad leges Christianæ modestiæ te compones, hìc, ubi se oculis hominis vivi objicit HOMO MORTUUS. *Eus.* Ah! HOMO MORTUUS, *ubi, quæso, est?* Job. 10. in pugillum pulveris *cadaver* concidit, cui *anima* tot annis servivit, anima spiritus cœlo natus! anima Divinæ naturæ consors! anima capax æternæ felicitatis! hæc anima, postquam corpus deseruit, *ubi, quæso, est?*

Emiſſ. Abiit *in domum æternitatis ſuæ.* *Euſ.* Ah! redeat una ſaltem ex illis, quæ has calvarias animârunt, redeat, & narret mihi, quæ ſit vitæ ratio inter Manes: quid ament, quid oderint, de quo gaudeant, vel triſtentur, quid optent, aut horreant: unde ex præteritis ſolatium, unde luctum capiant, quid deteſtentur, quid probent. *Emiſſ.* Quanquam qui de rebus vitæ futuræ loquenti Moyſi, & Prophetis non credunt, *neque ſi aliquis ex mortuis reſurrexerit, credent,* Luc. 16. tamen ſatisfiet voto, quod facis. Eja! *oſſa arida audite vocem Domini! Hæc dicit Dominus: Ego intromittam in vos ſpiritum, & vivetis!* *Euſ.* Superi! *factus eſt ſonitus, & ecce commotio!* *Emiſſ.* Jam *acceſſerunt oſſa ad oſſa unumquodque ad juncturam ſuam,* Ezech. 37. Surgit, qui erat mortuus; veni, & vide, & audi! (*Sceleton animatum lamentatur* ex lib. Sap. c. 5.)

Heu! erravimus à via veritatis!... laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis: & ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus!...

Heu! Quid nobis profuit ſuperbia, & divitiarum jactantia quid contulit nobis? ... tranſierunt omnia illa tanquam umbra: nos autem in malignitate noſtra conſumpti ſumus!...

Heu! Nos inſenſati, vitam Sanctorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore!... Ecce, jam computati ſunt inter filios DEI!...

Heu! erravimus! erravimus!.... Juſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis!....

Emiſſ. Sufficit: recide in pulveres infelix Sceleton, donec noviſſima tuba revocet damnatum ſpiritum, & inutiles gemitus jubeat continuare æternùm.

§. III.

§. III.

Exercitium voluntatis.

Euſebius. O Triſtis cantilena! in lapidem obrigui præ horrore! *Emiſſ.* Recipe Spiritum, & doctrinam, quam tradidit HOMO MORTUUS, ad praxin applica: Aridus terror, & ſteriles lacrymæ nihil proſunt. *Euſ.* Contemnere præſentia *hominis mortui* cadaver docuit: æſtimare futura *ab anima damnata* didici. Mutandum eſt *judicium* mihi, mutandi *affectus* omnes: ERRAVI! Inſenſate! attigit ſupremum apicem ſtultitia tua: potuiſti præſentia æternis præferre! *amore* boni temporanei, *timore* mali momentanei abreptus, & conturbatus potuiſti peccare graviter, hoc eſt, potuiſti ſciens, volens conjicere te in periculum malæ mortis: potuiſti exponere te horrendo diſcrimini, ne amitteres bona æterna, & æterna mala tibi accerſeres! ô inſaniſſima inſania! quis enim mercator adeò deſipit, ut non urgente periculo ſua malit omnia in mare projicere, quàm ſe, quanquam tabulam videret à longè, in qua, ſi aſſequi poſſet, ſpes eſſet enatandi in littus? Parce DEus Optime, Maxime, parce amentiæ hominis te, ac bona tua adeò modicè æſtimantis! Tuæ patientiæ, ô bonitas infinita, tuæ patientiæ debeo, quòd nondum æternùm ſim miſer. O ſancti Cœlites! pavet animus ad horrendam memoriam illius noctis, in qua auſus ſum reus peccati gravis ſine cura dormire! ſed quid de nocte dico? audite hoc beſtiæ, & ſilvæ, & rupes! audite, & obſtupeſcite temeritatem, qua nulla ſtultior cogitari poteſt. Non unam ſolùm noctem, ſed hebdomadas, ſed menſes, ſed annos, bene conſcius mihi de crimine læſæ Divinæ Majeſtatis, incurius vixi, & minùs anxius, quàm ſi ligneum quendam Jovem armatum picto fulmine offendiſſem! vixi, riſi, jocatus ſum, luſi, ſaltavi, quaſi meâ nihil intereſſet, amicum te mihi, ô DEus mi, an inimicum haberem!

berem! Eheu! hiabat interea sub meis pedibus vorago stygia: crepitabat audaciæ vindex rogus: expediti carnifices stabant, expectantes tuæ justitiæ nutum, quo præcipitandi me licentiam dares: ego verò supra abyssum igneam tanquam ex filo suspensus, sustinente me Misericordia tua, pendebam incurius! Prô! si dimisisses! si repentina morte abreptus essem! si correptus morbo incidissem in amentiam! si demum quocunque casu obiissem sine pœnitentia, aut sine vera: ubi essem? *Emiss.* Nempe in inferno habitares infelix! ibi urgereris, ejulares, blasphemares adnumeratus miserrimis illis creaturis, quæ DEum suum æternùm amare non poterunt, & quas DEus æternùm amare non volet. Huc, huc te *oblivio mortis* projecisset. *Eus.* Memoriâ memor ero: remedium suggere. *Emiss.* Suadeo, ut quotidie ad lectum, tanquam ad lethum eas. *Eus.* Praxin doce. *Emiss.* Exerce statim. Ecce! hoc sepulchrum est, quod fodi tibi. *Eus.* Scrobs quinque pedum! hem! anima mea, in has angustias redigentur ampla desideria, & magnæ spes, quæ inflant te! *Emiss.* Sepulchri titulus scribetur in isto lapide: sed scriptura reliqua delebitur citò: solæ legentur diu hæ tristes voculæ: JACET! VIXIT! FUIT! *Eus.* O vanitas! *Emiss.* Jam huc descende!.... decumbe!... in habitum morientis compone te!... claude oculos!... dic: *Requiem æternam dona mihi, Domine, & lux perpetua luceat mihi!* ... Sic jam decerne vivere, sicut vixisse optabis, cùm hìc jacebis.

§. IV.

Colloquium.

Eusebius in tumulo. REquiem dona Domine, requiem *inquieto cordi*, & tot bellis obnoxio, quot affectibus indomitis! memoria mortis domet!... Requiem æternam dona *animæ!* huc aspirat. Vale munde, deceptor munde! cum omnibus pompis vale! non me decipies ultrà: fallacia perspicilia, per quæ intue-

tuebar te, & tua, memoria mortis fregit. Valete inanes tituli, vanæ opes, deliciæ diurnæ! æstimare æternas memoria mortis docuit. *Finis venit, venit finis, jam nunc finis super me!* vale caro mea! abibis in putredinem quidem: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes!* pulvis es, & in his sepulchri tenebris *in pulverem reverteris!* sed acquiesce Divino statuto; veniet dies, cùm redibis in diem novam, & lux perpetua lucebit tibi.

§. V.

Reflexio.

Synesius. HAbeo, quod volebam: jam tempus est, ut revocem Eusebium meum *ab Extasi*, in quam abripui. Eusebi! *Eus.* Domine, in manus tuas commendo spiritum meum, ah! spiritum, non victurum posthac secundùm carnem, sed sicut decet vivere morituram! *Syn.* Et resurrecturum. Eusebi! *Eus.* Notam vocem audio. Cur me turbas Synesi? nunquam ah! nunquam credidi, tam suave esse, meditari de morte. *Syn.* Gaudeo. At nunc quod meditatio docuit, oportet exequi. *Veni foràs* mortue, & sic vive, sicut viveres, si verè mortuus, à morte resurrexisses. Veni! reddo te tibi, & cubili tuo.* *Eus.* Tuus sum: quam scribis vitæ novæ regulam? *Syn.* Mortem lentam æquè, ùt repentinam time: sic vives sapienter. Cave, adulatores audias spe vitæ longæ te decipientes: isti, quos vides, sint Doctores tui *in rebus dubiis*, isti consiliarii *in angustiis*, isti duces *in periculis*. *Eus.* Audio. *O mors, bonum est judicium tuum!* sic vivam posthac, utì tu suaseris. *Syn.* Sic, ut nunquam dormire audeas reus lethalis criminis. *Eus.* Sic, ut omni hora paratus sim mori. *Syn.* Ita, sic, ut non sit opus inducias petere. *Eus.* Sic demum, ut mori juvenis non timeam, senex gaudeam.

* Mutatur Theatrum.

MEDITATIO II.

Alterum Timoris Argumentum

JUDICIUM.

ARGUMENTUM.

MOrtem sequitur JUDICIUM alterum timoris argumentum, quia quàm *certus processus*, tam *incerta sententia* est, cùm damnentur non rarò etiam, qui nihil mali conscii sibi esse videntur, qualis fuit *servus ille piger*, qui acceptum ab Hero *talentum defoderat*, propterea, quod *Matth. 25.* legimus, ejectus *in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium.* Judicet hinc quisque de se, quàm metuenda sint peccata *commissionis*, quando Judex DEus sententiâ tam terribili *omissiones* condemnat. Hic Meditationis hujus scopus est.

Materia, Judicium post mortem.

Puncta duo: 1. Servi pigri citatio.
2. Condemnatio.

Fructus. Timor DEI Judicis.

Propositum. Fuga VITÆ OTIOSÆ, quippe multis peccatis obnoxiæ, propter horrorem molestiæ in executione officii, & usu talentorum.

Chorus. Exhibet nimiæ securitatis periculum, & remedium, ex contemplatione Domini *scrutaturi Jerusalem in lucernis*, Sap. 1.

PER-

PERSONÆ.

Syneſius, ſive Intellectus.
Euſebius, ſive voluntas.
Dominus Evangelicus.
Hortulanus.
Servus piger.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad præſentem.

Fides. Ratio.

Ratio. QUid agis Ratio? nam ſingulari ſtudio
Intentam precibus, præter morem, invenio.
Fides. Nempe, ô Fides,
Terribile nuper dediſti ſpectaculum,
Divitem Evangelicum de futuris nihil anxium,
Et mox repentè mortuum.
Ideò mali ſimilis terrore exanimis
Clamo ad Dominum:
Per mortem tuam, Domine,
A repentina morte libera me!

ARIA.

1.

Mori, Mori vox eſt dura,
Ad quam tota ſe natura
Concutit horrore:
Tamen Nutui Divino
Pronum lubens cor inclino:
Uno pro favore

Sup-

Supplex adſum, Factor meus;
Oro, ne me ſine, DEus,
Abripi repente:
Jube mori lentè!

2.

Lenta mors eſt bona mors:
Nec, niſi ſtultus, perit
Telô quem prævisô ſors
Irata tandem ferit.
Rigido ſed temere
Audax coram Judice
Siſtis te repentè:
Præſtat ire lentè.

Fides. Non diſplicet oratio. Attamen ſi DEus te audiat,
Si lentô morbô conficiat,
Dic, quæ tibi decreta eſt ad mortem præparatio:
Ratio. Matura, ſeria,
Quam utique excipiet Mors dulcis, & placida.
Fides. Laudo: ſed ſunt, qui poſt mortem facilem
Experiuntur difficillimum Judicem.
Ratio. Si verè pœnitens compareo ad Judicium,
Cur mihi Judicem non ſperem propitium?
Fides. Hæc tua eſt fiducia: Sanctorum fuit alia:
Reſpice! Inſpice!

TRIO.

Job. David. Paulus.

Quid faciam?
Job. Trepidus omnia
Vereor opera, *Job. 9.*
David. Tua quò Domine,
Ibo à facie! *Pſ. 130.*
Paulus. O terribilia
DEI Judicia! *Rom. 11.*

Job.

Job.	*David.*	*Paulus.*
Non aliter, ac *tumidi*	*In cœlum si ascendero,*	*Nil mali sibi conscius*
Minaces *fluctus* pelagi	*Si mare transvolavero,*	In se quiescit animus:
Si decumano impete	*Si mergo me in tartara,*	Et tremo tamen pavidus,
Viderem in me ruere:	Ubique horribilia	*Ne fortè fiam reprobus:*
Sic palleo, sic rigeo,	Se ingerunt spectacula:	Nam Domine, quàm alia
O Deus mi, si cogito	Quò fugiam, ut fugiam	Sunt hominum, & alia
Tua Judicia!	Tua Judicia!	Tua Judicia!
Omnes tres.	Misericordia!	Misericordia!

Ratio. Heu novo me terres terrore!
Columnæ cœli contremiscunt,
Et cedri Libani concutiuntur horrore judicii!
Intelligo: tristissimi exhibitione spectaculi
Voluisti docere,
Quâm anxiam ego curam debeam
Non solùm de bona morte,
Sed etiam de bona vita habere,
Quin tamen vel sic DEum Judicem cessem timere.

Fides. Tangis punctum,
In quo hodierna se versat Meditatio.
Disce, quâm dubium
Tuæ sit conscientiæ testimonium,
Nisi diu antè examinaveris sollicitè
AD DEI JUDICIUM.
Huc, huc applica tuæ vitæ dictamina:
Hinc, hinc rejice, vel approba.

ARIA.

1.

Est duplex conscientia,
Est recta, est erronea:
Certo itinere
Ad portum utraque
Se putat navigare:
Sed ista stellam ducem
Ad littus sequitur:
Hæc fatuam ad lucem
Latentibus
In cautibus
Allisa mergitur:
Hoc punctum meditare.

2.

Qui navem prudens eligit,
Non quærit, utrùm *picta* sit:
Firmam desiderat:
Acum examinat:
Conformat cursum Polo:
Tum premit elementum
Et remos expedit:
In vela vocat ventum:
Vi verberum
Vim fluctuum
Securus subigit:
Sic agi à te volo.

ME-

MEDITATIONIS II
De Judicio
PUNCTUM I
Servi pigri Citatio.

§. I.

Præparatio animorum. *

Synesius. HÆc hodiernæ Meditationis est area. *Eusebius.* Materiæ terribili locum tam jucundum designas? *Syn.* Opportunus est scopo. Hortus *Ecclesiam Christi* refert: Hortulanus *gratiam fidei*, varii fructus *varia bona opera*, quæ fides, *si vivit*, profert: Arbor hæc sterilis *servi pigri* imago est: cætera plana sunt. Tu animum ex novo argumento *ad novum timorem* dispone. Ingeminandi sunt ictus ictibus, ut clavus profundè figatur. *Eus.* Promptum ad jussa habes. Salúbres motus excitavit timor Dei, *vitæ ac mortis arbitri*: Timor DEI *Judicis* ciebit similes. Eja, irrue sancte Timor! occupa memoriam, intellectum, & voluntatem! posside cor! ossa concute! medullas penetra confige! *confige Domine timore tuo carnes meas*, Psal. 118. ne *per temerariam securitatem* provocem iram tuam, iram, quæ agnum mihi in sævum leonem mutet! *Syn.* Preces auditas spera. Jam mentem parabolæ de talentis sic applica, velut si videres oculis, & personarum actionibus interesses. *Eus.* Facio. ** *Syn.* En! prodit piger.

* Exhibetur hortus. ** Recedunt, & considerant à longè.

§. II.

Exercitium Memoriæ.

Servus piger. LÆta est Horti facies, dives vinea: probabis tuam Domino, cùm redierit, industriam satis. *Hortulanus.* Imò probata est. Quid enim potui horto, *quid debui facere vineæ meæ, & non feci ei?* Is. 5. tamen! *Piger.* Ingemis? *Hort.* Non meam vicem doleo, sed sortem Herilis Filii, qui *formam servi* induens, labore assiduo hanc exercuit terram mecum, hoc uno fine, ut Regi Regum Patri suo delicias faceret. *Piger.* Vera memoras. Vidi adolescentem Regium *in laboribus à juventute sua*, Ps. 87. vidi intentum culturæ loci *in sudore vultûs*, Gen. 3. portantem *pondus diei, & æstum*, Matth. 20. sine gemitu, sine tædio, invictâ solertiâ: vidi: atque sæpe miratus sum, sceptro natum, ultrò, nullâque adigente necessitate ita sterilibus se addixisse laboribus, velut, si aliunde, ex quo viveret, non haberet. *Hort.* Dicis, quod res est. Sciebat, ita placere Patri, ut obedientiæ exemplô Filius præiret servis, & continuò servum induit. Inde alius ei *cibus* non fuit, quâm *facere voluntatem Patris*, Jo. 4. hoc uno alitur. *Eusebius.* Exemplum nobile! *Synesius.* Optandum, ut omnes traheret! *Hort.* Tamen, tanta dignatio non fuit perfectè felix. Ibi ad gelidum Boream est arbor posita, quæ pro hortensibus silvestria poma tulit tam acerba, ut *dentes comedentium obstupescant*, Ez. 18. *Syn.* Talis est genius hominum non humanorum, qui nesciunt compati infirmitati errantium, austeri omnibus, præterquam sibi. *Hort.* Illic ad Austrum aliam reperi; cujus radicem ipsam venenatus serpens admordit: unde fructus, quos tulit, quàm *pulchri sunt oculis, aspectúque delectabiles*, Gen. 3. tam certam degustantibus mortem inferunt. *Syn.* Hi mores sunt adulantium, & speciosa axiomata jactantium, quibus incautæ animæ inescantur ad

mortem.

mortem. *Hort.* Præterea paſſim in palmites incidi avulſos à vite ſua, & areſcentes. *Syn.* Scilicet homines aberrantes à Fide Chriſti cum contumacia. *Hort.* His talibus metuo iram Domini. Vides, cur ingemuerim. *Piger.* Intelligo, & tecum execror ingrata ligna. Sed latent hæc mala tamen, & abſconduntur: una proſtat oculis ficulnea hæc exucca, nuda, ſterilis ad reliqui horti dedecus. *Syn.* En imago inutilis ſervi. *Piger.* Cur parcis aſciæ? *Succide illam! ut quid enim terram occupat?* Luc. 13. *Hort.* Heriliter loqueris: nam annus abhinc abiit, quo idem præcepit Herus. Exciſa infelix arbor arſiſſes jam annô integrô voracis flammæ æternum pabulum, niſi ego impetrâſſem inducias. *Domine*, dicebam ego, *dimitte illam & hoc anno, usquedum fodiam circa illam, & mittam ſtercora: & ſiquidem fecerit fructum*, bene habet: parces ei! *ſin autem, in futuram ſuccides eam.* Audivit preces Dominus, ſupplicium diſtulit: & ego laborem novum impendi ligno cum diligentia ſingulari. Sed! *Piger.* Operæ pretium, vis dicere, tuli nullum. Rideo! aut, non ſtulto labore conſumi te putem, ô bone, qui ex arido trunco ſpem frugis habes? repeto: *Excidatur, & in ignem mittatur!* Matth. 3. alium non habet uſum. *Euſ.* Ex ore ſuo judicabitur homo cæcus: hoc mente præcipio, *Hort.* Severus es Judex tu. Non expendiſti, opinor, quam, & contra quem, ſententiam tam acerbam dicas. *Ignis inextinguibilis* Matth. 1. Marc. 9. Luc. 3. Si neſcis, decretus eſt miſeræ, ignis, in quem ſi aliquando inciderit damnata arbor, *ibi erit*, Eccl. 11. æternùm erit. *Piger.* Scio, neque tamen animum muto. *Excidatur!* aut cui igitur bono arbor naſcitur? utique, vel ad frugem, vel ad ignem? Ergò, quæ non fert frugem, æquum eſt, ut ignem ferat. *Syn.* Nunquid ad hominem eſt hæc argumentatio? *Piger.* Integras ſilvas comburi vides propterea, quòd ligna habeant, quæ ad alium non

prosunt finem: cur te misereat unius arboris? *Hort.* Nempe hæc manus sevit ingratiam in solo pingui: hæc jubente Herili Filio tenellam rigavit, & aluit! hæc silvescentem sæpiùs putavit, ac coluit: frustrata tam diuturni laboris spes, mirarís, quòd me affligat? *Piger.* Irascere potius, unóque ictu frustratos tuos, frustratos Herilis Filii labores vindica. *Hort. Jam securis ad radicem posita est,* Matth. 3. ùt primùm jusserit rediens Dominus, (quanquam cum gravi gemitu) feriam. *Piger.* Utinam hodie redeat, & inspiciat Rationes conservorum: intelligeret, non in horto solùm, sed etiam in familia esse, quod reprehendat. *Eus.* Zelô zelatur homo honorem Domini. *Syn.* Zelo pigris proprio, quo in aliis tolerant nihil, in se omnia. *Hort.* Quod crimen accendit bilem in iram sanctam? *Piger.* Quòd sint, qui longiore Heri mora abutuntur ad licentiam scelerum. Amice, quàm tua suspiria nil prosunt plantis, tam nihil emendat servos nequam dissimulatio Domini tam diuturna. Ense recidit putridum membrum prudens Medicus, ne per commiserentis indulgentiam totum corpus inficiatur. *Hort.* Quò raperis temerarie? scilicet sapientiæ Domini tu scribas regulam? *Piger.* Fateor: *pacem peccatorum videns,* Ps. 72. vix teneo linguam, quin erumpat in murmur. *Hort. Non est pax impiis,* Is. 48. nesciunt diem & horam, qua rediturus est Herus: tam tremenda incertitudo omnem licentiam frænat. *Piger.* Omnem licentiam firmat. *Moram facit Dominus,* Matth. 24. inquiunt in corde suo, & ex hac spe Villicus dissipavit bona Domini intentus fraudibus, quibus lucratur Heri subditos, amicos efficiens sibi de *Mammona iniquitatis,* Luc. 16. OECONOMUS, mentiar, nisi *decies mille talentorum debitum* Heri nomine contraxit, Matth. 18. inde tot villæ sunt, inde splendor ædium, inde opulentia vestium in uxore, in liberis, in famulitio. Ipse PRÆPOSITUS NOSTRÆ DOMUI, qui Heri nomen,

nomen, cujus vices agit, debebat familiæ amabile reddere, servísque cæteris, ut officio fungantur, invigilare: incurius omnium *manducat, & bibit cum ebriosis*, Matth. 24. optimum quemque *ex conservis percutit*, ac malè habet: soli parasiti & ludiones in pretio sunt. *Hort.* Multa de aliis quereris, frater. *Syn.* Pigrorum hic est character. *Hort.* Meliùs fortè respiceres te, an, cùm venerit Dominus, inventurus sit vigilantem. (a) *Piger.* Rationes meæ semper compositæ sunt. Unicum talentum dedit Herus. *Syn.* Et nempe unicum officium. *Piger.* Quantum accepi, tantum teddam quacunque hora: quæ mihi sit causa metûs? Trepident, qui duo & quinque talenta commiserunt nummulariis cum periculo, ne una cum censibus, quod passim solet contingere, etiam Summæ capitalis jacturam faciant. Ego meum involvi sudario, & *terræ infodi*; Matth. 25. unde restitutio in promptu erit. Veniat, veniat Dominus: occurram gaudens! ah! utinam hodie veniat! (b)

§. III.

Exercitium Intellectûs.

Eusebius. AUt stulti, aut Sancti hæc exclamatio est. *Syn.* Imò de Sanctis vix quisquam sine timore gravi de judicio cogitavit. *Eus.* Igitur tu temeritatis & stultitiæ condemnas securitatem pigri hominis? *Syn.* Dubitas? *Eus.* Atqui conscientia non condemnat: nam malè conscius sibi non utique Judicii accelerationem optaret. *Syn.* Conscientia non condemnat: quæ conscientia? est enim alia vera conscientia, quæ *solidæ rationi* innititur, alia erronea, quæ *in apparente* fulcitur: & *erronea* rursum alia *per culpam* est talis, alia *per pœnam*, atque neutra excusat peccantem, sed sola *tertia*, cujus

(a) Abit. (b) Abit.

cujus error vitari nullâ diligentiâ potest. Quid dices modò? unde præsidium suæ socordiæ servus piger accersat? *à ratione?* atqui ipse arborem inutilem ad ignem, & in arbore se ore suo damnavit: *ab errore?* verùm quàm facilè contingit, ut amplectamur errorem, tam rarus est error, qui à culpa nos eximat. Audi hanc doctrinam attentè, Eusebi, ne te quoque pernicioſa securitas in exitium rapiat. *Eus.* Aurem utramque habes, quoniam argumentum tractas momenti gravissimi, & quod præcipua Judicii divini materia erit. *Syn.* Rem dicis. Nam quæ sententia expectanda sit illis, qui CONTRA CONSCIENTIAM agunt, dubitari non potest: apertè impii, quid mussitabunt, si condemnentur? Sed qui operatus est JUXTA CONSCIENTIAM, qui dicere potest: *putavi! nescivi! non cogitavi!* de tali hæsitamus, unde reus inferni sit: & talium tamen cùm plenus sit *locus tormentorum*, inter alias causas Iudicii universalis hanc pono, ut circa istos publicè justificetur DEUS in sermonibus suis, & vincat, cùm judicaverit. *Eus.* Consentio tibi: & fortè major sistetur tribunali supremo numerus Reorum *per ignorantiam*, & errorem, quàm *per malitiam.* Sed tu memento, ut me per ordinem doceas. Dicebas: *facilè* formari dictamen erroneum, sed *non facilè* excusare: utrumque proba. *Syn.* Brevis & clarus ero: sic habe: *Lex DEI est regula agendorum:* admittis? *Eus.* Sana ratio cogit. *Servi sumus:* ergò quod Dominus prohibet, vetitum, quod permittit, licitum dici debet. *Syn.* Optimè. Adde alterum principium: *Regulæ hujus applicatio & interpretatio fit à conscientia:* dubitas? *Eus.* Minimè. Nam *conscientiæ nomine* aliud nihil intelligimus, quàm *judicium intellectûs, quo legem DEI universalem applicamus, & interpretamur pro actu singulari*, atque e. g. ex præcepto: *Non furtum facies*, colligimus, prohiberi usuram, & contractum, in quo lucramur *ex solo mutui titulo*, obnoxium esse

esse gravi crimini: plana doctrina est. *Syn.* Pono tertium postulatum. Interpretatio, & applicatio Divinæ Legis, sive, quod idem est, *dictamen conscientiæ* efficitur *proximè* ab intellectu, sed ita, ut *directivè*, quod ajunt, influat aut *Fides*, aut *Ratio*, aut *Passio*: hæ enim causæ determinant intellectum, ut hoc potiùs, quàm aliud judicet, exhibendo nempe præmissas, ex quibus ille formet conclusionem. *Eus.* Neque hìc habeo, quod opponam, experientia convincente. *Syn.* Sequitur: dictamen, quod ex Fide & prudente Ratione nascitur, legitimum partum esse, quem DEus reprobare non possit, etsi error irrepsisset. *Eus.* Æquitas hunc sensum requirit: neque enim fieri potest, ut Divinæ Sapientiæ sapiens operatio displiceat. *Syn.* Supereſt, ut de dictamine, quod PASSIO dictat, agamus. Quæro, num putes, rara esse hujus generis dictamina? *Eus.* Quò adigis? video plerosque hominum in plerisque actionibus Passioni obsequi potiùs, quàm Rationi, & Fidei. *Syn.* Jam teneo te: evidens enim conclusio est: *Quàm facilè homines Passionibus cedunt, tam facilè erronea gignuntur dictamina*: partus enim sequitur ventrem, & cœca affectio lumen veritatis non amat: neque quidquam faciliùs accidit, quàm ut subitò credas esse licitum, quod tibi licere cupis. Atque ex hoc venenato fonte fluxit errorum torrens, qui tot monstrosis opinionibus orbem terrarum inundavit. Non exeamus extra fines parabolæ, quam meditamur. Piger, quem vidimus tantô zelô vitia conservorum incusare, cur de suo otio angitur nihil? *Eus.* Intelligo: nempe de aliis ex ratione & fide judicat, de se *ex affectu*. *Syn.* Ita est: *horror laboris* hoc dictamen peperit: *nihil malifacio!* *Eus.* Dictamen stolidum, quippe quo etiam se truncus hic tueri contra incendium posset, si loqueretur. *Syn.* Et crede mihi, servi cæteri similes sententias spuent, si audiantur. Quære ex villico, quare debitoribus Heri partem debiti invito Domino dimiserit? dicet: *coëgit necessitas*, ut ha-

beam amicos, qui recipiant me, si Dominus auferat villicationem! ecce *dictamen timoris*, ne fodere necesse sit, aut mendicare. Quære ab Oeconomo, cur tantum pecuniæ ex cassa Heri abstulerit, sciens, nunquam solvendo se parem fore? dicet: *etiam alii faciunt!* ecce *dictamen cupiditatis*. Quære ex tertio, cur in perpetuis epulis, ludis, luxu, & licentia vitam agat, nihil anxius de gemitibus creditorum, & egentium, in quorum oppressionem tanta profusio pecuniarum redundat? respondebit: *Sic modò vivitur! nolo esse singularis! Ratio statûs exigit!* ecce *dictamen libidinis*, superbiæ, vanitatis. Denique *cupiditas*, & *timor*, Eusebi, duo cardines sunt, in quibus, quoties voles, observabis omnem machinam verti, à qua erronea dictamina efficiuntur: atque ita non *affectus* ordinantur ad conscientiæ legem, sed *conscientia* conformatur affectibus. *Eus.* Misera perturbatio, de qua, nisi fallor, illud est Psalmistæ suspirium: *Omnes declinaverunt, corrupti sunt, & abominabiles facti sunt*, Psalm. 13. sed quod tam facilè formatur dictamen, an non facilem etiam criminum excusationem suppeditat Reo ad Divinum tribunal citato? *Syn.* Minimè gentium. *Cauteriatas* 1. Tim. 4. conscientias tales Apostolus vocat, & scilicet stigmate damnationis tanquam cauterio jam nunc perustas, quoniam per ejusmodi dictamina aufertur omnis horror peccati: atque, quod sequitur, peccatur sine modo, sine fræno, sine spe correctionis, quia peccatum conscientia non solùm tranquillè tolerat, sed excusat, neque solùm excusat, sed defendit: parùm dixi: in ipso Deicidio cum Judæis exultat. *Eus.* Atqui *bona fide*, inquiunt, egi, quod egi: *bona fides* à peccato absolvit. *Syn.* Bellè, bellè: si homini reddenda sit ratio, fortè locum excusatio haberet: verùm DEus, qui medullas pervidet, non ita decipitur humanis fraudulentiis, ut satisfieri quæstionibus per verborum elegantiam, & phaleras possit. Ea nunc vivimus tempora, ut in negotio salutis rarissimè consistere simul queant *gravis error*, & *bona fides*. *Ars*

dubi-

dubitandi, quid liceat, aut non liceat, vix alteri, præter barbaros, deest: *facultas inquirendi* ubique est obvia: si *resolutio* nulla fit, qua statuis actionem suspendere, donec de honestate sis certus: aut si temere resolveris agere, quod placet libertati, non à fide vel ratione, sed à *Passione* datô, acceptatóque consiliô, qua fronte diceris *bona fide* errâsse? non errorem esse voluntarium, esse crassum, esse affectatum, Synteresis, quæ est lumen cordi à natura insusum, deteget ad pudorem? *Eus.* Habeo, quod opponam. Scelus, quo scelestius nullum orbis vidit, moriens Dei Filius *ab ignorantia* excusavit: *dimitte illis* (Sic Patri supplicabat) *dimitte: non enim sciunt, quid faciunt*, Luc. 23. quid ad tantum exemplum respondes? *Syn.* Quid in hoc exemplo præsidii pro culpabili ignorantia vides? *dimitte!* clamabat JEsus: quid? culpam an pœnam dimitti postulavit? utrúmvis dicas, intelligis, inignorantia, cui veniam orat, *crimen supponi* suppliciô dignum: atque ita excusationem petitam esse non à *defensione*, tanquam innocenter errâssent, sed *ab extenuatione*, quòd peccaverint minùs, quàm si Dei Filium citra ullam dubitationem certissimè cognitum crucifixissent. Imò ipse Christus pro majore nimirum & minore cognitionis claritate unquid scelus Pilati conferens cum scelere sacerdotum apertè dixit: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*, Jo. 29. quasi diceret: *non tu nihil, sed alter plùs peccavit.* Habes igitur, unde gratuleris tibi de grandi commodo, quod ignorantia præstat: Poteris Judici Deo dicere: *Domine, ego quidem peccator sum, non tamen omnium maximus: dantur, qui majus peccatum habent.* *Eus.* Triste solatium erit. *Syn.* Quanquam nec istud erit, saltem in eo, qui per ignorantiam, quam *affectatam* vocamus, peccat. Attende mihi: audies, quod prosit notâsse sedulò. In omni peccato duo sunt, apparens bonum, & verum malum. *Apparens bonum* voco honorem, voco lucrum, voco voluptatem, quam ex peccato speras: *verum malum*

appello offensam Dei, Iram omnipotentis, jacturam Divinæ gratiæ, periculum interitûs sempiterni. Adverte jam, quid agat peccans. Malum *cognitum ùt malum*, amplecti voluntas non potest: Igitur quid fit? uterque oculus aversus ab intuitu *veri mali*, studiosè figitur *in apparente bono*: ita cæco impetu ruimus in abyssum. Age: an ista cæcitas miserationem meretur? quid videtur? Siles?

§. IV.

Exercitium voluntatis.

Eusebius. ATtonitus me stupor habet: fulsit repente de cœlo lux ab hoc discursu, ut videam, quod nunquam vidi, grande malum *securitatis*. Cum Rege pœnitente clamare juvat: *Ignorantias meas ne memineris, Domine!* Ps. 24. ah! si ignorantia à peccato absolveret, aliter utique orâsset David, & *memoriam* sibi, non *oblivionem* ejus postulàsset. Quò abiisti, serve piger! habeo, quæ tibi loquar! adesto! adesto miser! in exitium, nisi celeriter redis, ruis cæce! redi! audies à me malum grave, quod immminet incurio sui! O si cognovisses in hac arbore imaginem tui, cogitâsses utique, ut faceres *fructus dignos pœnitentiæ*, Luc. 3. *Syn.* Frustra clamas. Tranquillus est homo: fugit eos, qui pacem animi alloquio turbarent suo! *Eus.* O tristis pax! ô infelix tranquillitas! Pax sit *hominibus bonæ voluntatis*! sed non sit pax impiis, ah! non sit pax hominibus *malæ voluntatis*! summum malum est pax *in peccato, & cum peccato*! *Syn.* Assentior: neque quidquam timendum est pejùs, quàm mala conscientia, ac simul tranquilla: nam *causæ* tam funestæ quietis sunt perversio cordis, mentis excæcatio, & subtractio gratiæ. *Perversum cor amat*, quod olim *oderat*, atque sensim in usu scelerum sic abjecit naturæ pudorem, ut dici ei possit: *Frons meretricis facta*

est

est tibi: noluisti erubescere, Jer. 3. nempe de præteritis: addamus: noluisti cogitare de statu animæ præsenti: noluisti timere de incerta sententia Judicii *futuri*, ne scilicet in prosecutione licentiæ aliqua perturbatio se moveret: & quid hoc est aliud, quàm destinata voluntate, certóque proposito hærere in scelere? *Eus.* Putas igitur, *desperâsse* hujusmodi de salute, aut cum spe, etiam *desiderium* cœli abjecisse? *Syn.* Rarò aliquis tantùm insanit: Sed plerique contumacem voluntatem stulta præsumptione fulciunt, *à sola fide*, aut certè *à facili pœnitentia* cœlum spondentes sibi. *Eus.* Horrenda *cæcitas*, cui illuminandæ non sufficiunt tot radii, quot sunt exempla Sanctorum *cum metu & tremore* operantium salutem suam, quot scripturæ testimonia arctam esse in cœlum viam perpetuò docentis, quot minæ ipsius Domini toties hortantis ad vigilantiam, ad pœnitentiam, ad bona opera. *Syn.* Quid facias! tandem cæcitas, quæ diu culpa fuit, quòd suprà monui, *pœna fit.* Cùm *silet Deus*, ô Eusebi! cùm nullis ampliùs conscientiæ terroribus pacem impii turbat, cùm connivere videtur, & dormire, crede mihi, non dormit: proximè abest homo ab implenda mensura scelerum. Interea jam *gladius, gladius exacutus est, & limatus*, Ez. 9. repentè excitabitur Dominus, *tanquam potens crapulatus à vino*, Ps. 78. & in ira furoris sui percutiet incurium *propter temeritatem* 2. Reg. 6. ut in ferali pace plaudens sibi, ac *tenens tympanum, & cytharam, & gaudens ad sonitum organi, & ducens in bonis dies suos, in puncto ad inferna descendat*, Job. 21.. *Eus.* Cessa: tabescit animus ab horrore, pacem peccatorum videns! ab hac horrenda pace libera me Domine! O funestum spectaculum peccator *quietus*, peccator *pacatus*, peccator *videns!* Eheu! desertus à Medico miser, & proximus morti es! *curavimus Babylonem*, dixit, *& non est sanata: derelinquamus eam*! Jer. 5. moriatur ex lethargo, quem amavit!

* Repentè sistuntur fontes sacri.

Syn. Dixit: * nam ecce repentè arefcit fons Divini Sanguinis! *Euf.* Superi! video triſte omen! aſcia inutili trunco imminet, quem rivi ſalutis rigare ceſſant. *Hortulanus.* Ita! Aſcia inutili trunco imminet. *Piger.* Juſta ſententia eſt: ſine, ut ego exequar. *Euf.* * Stolide! & tu necdum intelligis, cujus imago hæc arbor ſit? *Hort.* Serve piger! non hunc à te laborem Dominus poſtulavit: *negotiari* juſſus es, & lucrum ex tuo talento ferre: feres? *Piger.* Tu hanc curam relinque mihi: ſcio, quòd Herus ſit *homo durus, qui metit, ubi non ſeminavit, & congregat, ubi non ſparſit:* propterea *timens abii, & abſcondi talentum ejus in terra:* cùm venerit, *habebit, quod ſuum eſt,* Matth. 25. *Syn.* Bellum dictamen ſanè. *Hort. Ex ore tuo judicaberis, ſerve nequam! ſciebas, quòd metat herus, ubi non ſeminat, & congreget, ubi non ſpargit, debebas ergò committere pecuniam ejus nummulariis, ut veniens reciperet, quod ſuum eſt, cum uſura. Piger.* Quid ad te? te conſultore nihil eſt opus mihi: ſufficio ſolus. *Hort.* Conſultorem non audiſti, accuſatorem habebis. Vides hanc clepſydram? exiguum arenæ ſupereſt: cùm defluxerit, ſiſtéris judicio. *Piger.* Tu citas? *Hort.* Ex imperio Heri. *Piger.* Nihil metuo. *Hort.* Præjudicium de ſententia ab hujus ligni excidio cape. *Piger.* Obtundis aures inani ſtrepitu: *nihil mali feci,* nihil metuo. *Hort.* Abi! in tuum interitum abis. Tu (*ad mortem adſtantem cum aſcia loquitur*) accinge te operi: *excidatur inutilis arbor, & in ignem mittatur!* Matt. 3. Adeſte ſpectaculo, quotquot ſancti timoris ſerius amor habet. *Syn.* Adſimus, *Euf.* Serius amor ſancti timoris jubet.

CHO-

* à longè.

CHORUS

Noxiæ ſecuritatis periculum, & remedium oſtenditur in conſideratione Domini, *Scrutantis Jeruſalem in lucernis*, Sap. 1.

Anima. Gratia illuminans. Gratia excitans.

Anima. IO! hinc ferit oculos ſplendor argenteus!
Lumen admoveo!... Io! eſt, eſt meus denarius.
Beata ſum! εὑρηκα! εὑρηκα!
Eja amicæ! vicinæ! concurrite,
Et congratulamini felici animæ!
Grat. ill. Quam vocem lætantis audio?
Anima. Non me capio præ gaudio.
Grat. ex. Quæ cauſa eſt tam feſtivi clamoris?
Anima. Drachma eſt immenſi valoris.
Perdidi: reperi: Jo! congratulamini!
Grat. ill. Cum gaudente gaudeo.
Dic verò: *cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio?* Matt. 22.
Anima. EſtPrincipis, eſt mei Principis,
Quem toto corde diligo!

ARIA.

1.

O drachma, drachma chara,
Quàm ſine te amara,
Quàm triſtis fuit vita!
Tu ſymbolum es gratiæ,
Qua foveor à Principe:

Er

* Exhibetur parabola de drachma, *Luc.* 15.

Et heu me!
Amisi te!
O Jactura infinita!
Sed jo! rursum reperi:
Congratulamini!

2.

Ut institor lugeret,
Abreptam si videret
A rabie undarum
Submergi navem laceram,
Fortunæ omnis tabulam,
Et omnes res,
Et omnes spes,
Et quidquid habet charum:
Sic ego mærens gemui,
Sic flens infremui!

Grat. ill. Gratulor! Sed cui tanti est *drachma*
Signata imagine Principis,
Quomodo æquô animô sustines jacturam *talenti*
Quod emptum est tibi pretio Divini sanguinis?
Grat. ex. Imò quinque talenta sunt: Sanguinis nobilitas,
Opum abundantia, corporis sanitas,
Sagacitas ingenii, & donum sanctæ Fidei.
Hæc quinque talenta
Conciliandæ, & augendæ apud Deum gratiæ
Tam opportuna instrumenta
Dic: ubi expendisti?
Grat. ill. Imò dic: ubi perdidisti?
Grat. ex. Aut forsitan jacturam ne quidem sensisti?

DUETTO.

O vilis, vecors, fatua
Infelix anima!

Pro

Pro drachmulæ ſplendore
Humano pro favore
Turbaris erga plurima
Et es ſollicita! Luc. 10.
Ut apud DEum nobilis
Et meliore loco ſis,
Nec angeris,
Nec appetis:
O ſtolida ſocordia,
Nec digna venia!

Anima. Quæ eſtis vos, ut hæc in faciem?
De internis præter DEum, Judicem revereor neminem.

Grat. ill. Nos Dei ſumus nuntiæ, miſſæ,
Ut de jactura gratiæ admoneamus te.

Anima. De jactura gratiæ?
Igitur de quo me arguitis crimine?

Grat. ex. Neſcis? ... eccur ergò non feſtinas everrere
Cubile conſcientiæ?
Ubi ſunt, quas tibi Deus accendit, lucernæ plurimæ,
Ad quarum lumen
Angulos omnes poſſes excutere.

Grat. ill. Scilicet extinxiſti, aut ſub modio poſuiſti,
Ne debeas te videre, & horrere.

Grat. ex Sed fruſtra es: veniet dies,
Qua, quod omittis pro te,
Faciet Dominus contra te.

Grat. ill. Tu, anima improvida, tu es *Hieroſolyma*,
Quam in ſuis malè quieſcentem tenebris *
Repentè *in lucernis DEus ſcrutabitur*, Soph. 1.

Grat. ex. Et ô Superi! quale lumen,
Quàm novum, quàm grande,
Quàm terribile dabitur!

* Exhibitio Solymæ illuminatæ.

Duetto.

Tunc actæ vitæ viæ,
Ut media in die
Ad judicis se nutum
Momentô sub obtutum
Conjicient, ut crucient
Paventem animum
Horrore scelerum.

Inscriptiones ad singulas plateas.
1. Protervus puer.
2. Prodigus adolescens.
3. Lascivus Juvenis.
4 Vir inconstans.
5. Languidus senex.

2.

Clamabis: heu! heu me!
Quàm malè ambulavi!
Hanc viam puer cupivi,
Hanc adolescens ivi:
Has ædes vir intravi,
Has Juvenis amavi,
Hic senex habitavi!
O heu! heu! heu me!
Quàm malè ambulavi!

3.

Sed gemitus tam seri
Vix erunt tunc sinceri:
Nunc verte fundamenta,
Nunc erue talenta
Ah! talium in ædium
Insana fabrica
Non bene posita.

Anima. O boni Cœlites! ô piæ gratiæ!
Igitur hac mihi me sistitis in imagine?
Hic talenta perdidi!.... & sic!....
Heu me! si iniquitates observaveris, Domine!
Dicite, ô bonæ, quid consulitis?
Quid oportet me facere? *Grat.*

Grat. ex. Misericors & miserator Dominus
Sortes tuas in tuis posuit manibus.
Anima. De profundis clamo ad te Domine: *Miserere!*
Grat. ill. Miserebitur, nihil dubita,
Miserebitur Dominus,
Si feceris, quod monet Apostolus, *1. Cor. 11.*
Nota bene consilium: *si temetipsam dijudicaveris,*
Non utique judicaberis!
Anima. Siccine? ... & quæ à me feretur in causa propria,
Putas, quòd approbanda sit à DEo sententia?
Grat. ex. Habes verbum Domini: clementiam æstima.
Anima. Ergò docete me contra me processum instruere.
Grat. ex. Accusa te!
Anima. Mea culpa? mea maxima culpa!
Grat. ex. Sententiam pronuntia!
Anima. Rea sum mortis perpetuæ!
Grat. ex. Exequere!
Anima. Quò urges me?
Grat. ill. Quotidie tibi morere!
Pro morte *perpetua*, quam merebaris,
Si mortem *quotidianam* ultrò susci pias,
Vitam æternam lucraris.
Anima. Et *quid est mori quotidie?*
Grat. ill. Est vim naturæ facere,
Et congenitam ad bonum aciem vincendo occidere.

A R I A.

Eja! irascere! surge in te,
Subtrahe carni, quod amat:
Deus offensus: *peccâsti in me,*
Vindica! vindica! clamat.

Nulla est ira nobilior hac,
Qua quis irascitur sibi:
Ira est sancta: quod suaserit, fac:
Suadet, quod proderit tibi.

2.

Vivis, & vivis, ut hostia sis:
Morere, macta de DEO!
Si, ùt vis, vixeris, *moreris bis*:
Certum est malum, quod fleo.
Mors tibi prima horrori ne sit.
Nisi sequatur secunda:
Detrahe larvam, quæ terret, ùt fit:
Erit mors illa jucunda.

Anima. Heu! durus est sermo!
Et quem sine horrore non audio.
Mori, vim facere, vincere, occidere,
Verba sunt plena formidine.

Grat.ex. Verba metuis, res est facilis: explico me.
Tantum saltem quotidie laborem tibi impera
Pro recuperanda, & conservanda DEI gratia,
Quantum suscepisti pro drachma perdita:
Sic facis, quantum sufficit, ut moriatur acedia.

Anima. Hem! tantillum exigis, & nihil ampliùs?
O quàm verè bonus est Dominus!

Grat.ex. Optimus, nisi cùm venerit ad Judicium.

Anima. Ideò prævenio. Et ecce hac hora, sine mora,
Quod suasisti, de me sumo supplicium.

Grat.ill. Sapis, si bonum consilium
In tempore capis.

Grat.ex. Et quis adeò desipit,
Ut *à Domino* malit judicari,
Quàm *à se* damnari?

ARIA.

A R I A.

O facilis conditio,
Cùm Judex dicit Reo:
Teipſum judica!
Si judicas, non judico:
Nec pœnas dabis DEO
Peccatrix anima!
Tua damnatio
Eſt tua abſolutio:
O facilis conditio!

2.

Væ animæ audaci,
Quæ ore contumaci
Dixerit: *à Judice*
Malo judicari,
Quàm judicare me:
Væ tali animæ!

PUNCTUM II.

Servi pigri condemnatio.

§. I.

Exercitium Memoriæ.

* *Syneſius.* HOc habet infelix arbor: noluit ſervire Heri Clementiæ, jam ſervire Juſtitiæ debet. *Euſebius.* Vidi cum horrore: conciſa eſt, di poſita in pyræ formam: ignem ſcilicet maledictum lignum alet, quem adverſùs rebelles ſervos Domini accendet furor. *Syn.*

* Exciſa arbor in rogum diſpoſita cremando pigro exhibetur.

Dic, adversûs inutiles etiam. Propterea huc ad forum Poli adduxi te. *Eus.* Ut processum nempe contra servum pigrum videam, & sententiam audiam? *Syn.* Videbis, & contremisces: audies, & tinnient ambæ aures tuæ, quoniam ex condemnatione Pigri intelliges, quid metuendum sit servo nequam: concludes, quibus suppliciis plectendus sit gratiarum *abusus*, quando solus *non usus* reus judicatur gehennæ ignis: fateberis, pluribus infernis dignos esse, qui plura talenta defodiunt, cùm, qui abscondit *unicum*, segnitiem luere pœnâ æternâ debeat. *Eus.* Heu! tantum malum *in acedia* sit, quæ inter peccata cætera fere nomen minimi habet! *in acedia*, cujus horror etiam inter probos exiguus viget! *in acedia*, ex qua vix de centenis unus grave salutis periculum formidat sibi? *Syn.* Studiosè in hoc potiùs argumento, quam in alio, hodie versari te volui: studiosè non iniqui villici, non debitoris decem millium talentorum, non servi ebriosi, ac percussoris, sed pigri, & inutilis judicium exhibeo, ut discas timere nimiam *securitatem*, neque *cuilibet paci* conscientiæ fidas. Quod malacia maris imperito nauclero, hoc fallax conscientiæ tranquillitas animæ incuriæ præsagit, tempestatem, procellas, naufragium. *Eus.* Igitur jactari me semper, & agitari mœstis timoribus tanquam totidem ventis optas? *Syn.* Prudens timor non jactat in cautes navem, sed plenis currentem velis instar faventis Zephyri celeriùs in portum invehit. *Beatus homo, qui semper est pavidus*, Prov. 28. nimirum, quia securitas negligentiam, timor vigilantiam parit. Igitur collige animum in attentionem. Morieris, Eusebi! in ipso animæ exitu de corpore Radium cogita, qui instar fulguris coruscans in ictu oculi acta vitæ universæ, merita tua, & Judicis sententiam per processum summarium ante oculos ponet: atque hoc est, quod *Judicium particulare* vocamus: & hoc, quod in imagine adumbratum nunc intueberis. Urge te, ut servi pigri, cujus vitam & mores

imitari

imitari fortaſſe non horruiſti, miſerabile exitium perhorreſcas. Habebis, unde erudiaris *ab accuſatore* primùm, deinde *ab accuſatione*: nam accuſabit *gratia*, time gratiam! & accuſabit *de omiſſionibus*, time omiſſiones! Dixi argumentum, cui applicanda eſt mens. Et ecce! forum ſe aperit: fige oculos! aures intende! Primi poſt mortem momenti hæc eſt imago. *Euſ.* Attentus ſum.

§. II.

Exercitium Intellectûs.

Dominus. GRavia mala memoras de mea domo. *Servus piger.* Pauca dixi: ſed neque, ſi multa dicerem, ſatìs dicerem, quàm indignis omnino modis paſſim diſſipentur talenta tua, quæ in quosdam profudiſti, Domine, liberaliter nimis. Quibus integra viget *valetudo corporis*, abutuntur ad libidinem: luxurioſè vivendo prodigunt, coronantes ſe roſis, & in omnem ſcelerum licentiam ſine fræno effuſi. Cœcos feciſſes: nunquam defixis in objecto periculoſo, aut imagine obſcœna petulanter oculis, beneficio fuiſſent abuſi ad ſcelus: muti ſi eſſent, nunquam blaſphemis vocibus cælum ferociter impetiviſſent: ſi ægri decumberent, ſupplices haberes tibi, videres pœnitentes, modeſtos, confitentes, non eſſe æquum, mortales paria Deo ſentire: nunc ſani vix de te cogitant, niſi cùm ſacroſanctum nomen ad confirmanda mendacia ſua, & fallaces contractus ſacrilega temeritate profanant. Hunc uſum habet robur membrorum, & integritas virium. *Abundantia opum*, quæ aliud talentum eſt, cui bono ſervit? ad faſtum, ad luxum, ad crepundia: rarò idem dives, & innocens reperitur. In uſu *poteſtatis*, & eminentiæ non diſſimilis abuſus imperat: quilibet bono ſuo imperare ſe credit, non bono publico. *Ingenii* etiam, & doctrinæ præſidium paſſim adhibetur in Juſtitiæ, & charitatis ruinam, efficiendam per fraudes, conſummandam per vim. Denique

ſancta

sancta Fides quàm gravem ubique labem est passa! sæpe famulati hypocrisi debet, sæpe sciolorum risui prostat, & cachinnis procacibus, à plerisque mutatur, & mutilatur, uti Ratio temporis videtur exposcere. *Dom.* Sic bona mea in pretio sunt vilissimis homulis? *Piger.* Ego Here, gratias ago tibi, quòd unum solum talentum meæ curæ commiseris. Væ mihi! si dives, si doctus, si potens essem: metuo, ne his, aut similibus donis similiter, ùt alii solent, in tuam injuriam fuissem abusus. Unum unicum talentum *sanctæ Fidei* tradidisti: hoc servavi fideliter, & integrum restituo: jota unum, aut unus apex non perivit ex illa. *Dom.* Reddis, quod meum est: jam *lucrum* quoque ex meo numera. *Piger.* Lucrum sperabas, Here? Austerus es, nisi me laudas etiam & præmias pro cura, qua talentum tuum abscondi, ne mihi fures raperent. *Dom.* Atqui negotiari debebas, ut reciperem cum usura: hoc præceperam tibi: non meministi? *Piger.* Heu! negotiari! non poteram sanè sine summæ capitalis periculo. *Dom.* Conservi tui, alter, qui duo, & alius, qui quinque talenta acceperant, negotiati sunt, & iste quinque, ille superlucratus est duo: potuerunt hi, cur tu non poteras? *Piger.* Domine! Domine, cessa, obsecro, me urgere: non dissipavi bona tua: integrum talentum recipis. *Dom.* Lucrum volo: præcepi: reus es inobedientiæ: quid excusas? *Piger.* Præceptum erat, quod mihi observare nullo modo possibile fuit. *Dom.* Non jam audisti! alii potuerunt, cur tu non poteras? aliud est *difficulter posse*, aliud, *omnino non posse*: igitur *difficultatem* fugisti, *impossibilitatem* prætendis: reus es mortis! *Piger.* O cælum! *quid enim mali feci?* servum *fidelem* damnas? *Dom.* Damno servum malum, quia pigrum, quia inutilem. *Nihil mali feci!* stolide, ùt quid igitur terram occupasti? vitam otiosam potuisti innocentem putare? *Piger.* Nequaquam Here, vitæ otium sectatus sum: sed fui *in laboribus plurimis, in plagis supra modum*, 2. Cor 11. *Dom.* Nempe pro pane lucrando, pro aucupanda gloria, pro mercede ab homini-

hominibus, pro bono familiæ, pro te: sed *nónne & Ethnici hoc faciunt?* Matth. 5. Quo signo, quo facinore te ab aliis distinguens Christianum fuisse probas? *Piger.* Credidi utique in DEum verum, & in Filium ejus JEsum Christum! *Dom.* Hæc fides est donum meum: quòd non abjeceris, proba! *Piger.* Professio probat, quam huc integram attuli, atque manu mea, & jurejurandò firmatam. *Dom.* Manu, ais? ostende igitur fidem tuam *ex operibus*: opera, opera *lucrum* sunt, quod expectabam ex hoc talento: opera, ut ostendas, & *vitam ex fide* volo. *Piger.* Vita ex fide, quid est, ô Domine! *Dom.* Vah! nescis, homo inanis, quòd *fides sine operibus mortua sit*? Jac. 2. An vixeris honestè *ad speciem tantùm*, quod est *Politicè* vivere? an in solis quibusdam *externis cæremoniis & devotiunculis* substantiam solidæ virtutis posueris, quod est *Judaicè* vivere? an mores composueris ad regulas *stolidæ superstitionis*, quod est *Ethnicè* vivere? an ad leges naturalis prudentiæ *boni hominis*, & *boni civis* laudem affectâsse, satis habueris, quod est *Philosophicè* vivere? an probus *videri* magìs, quam *esse* laboraveris, quod est *Pharisaicè* vivere? an verò ex fidei dictamine, *ad principia supernaturalia* actiones tuas formaveris, hoc quæro, cùm quæro, an *vitam ex fide* vixeris: & *amen dico tibi, nisi abundaverit justitia tua plus*, quàm Ethnicorum, plus quàm Judæorum, plus quàm Politicorum, plus quàm Philosophorum, *non intrabis in regnum cælorum*, Matth. 5. Quid? non tu ex impetu potiùs, ex opinione, ex usu, quàm *ex fide* vixisti? eamus per singulas ætates: responde. *Cùm* eras *adolescens*, Symbolum fidei impressisti *memoriæ*, ore recitâsti, scio: sed mente, & *intellectu* vix obiter studuisti percipere, contentus tenere nucem, nihílque sollicitus, quomodo corticem frangeres, ut nucleum degustares. *Factus vir* intellectu quidem veritates æternas intimiùs perspicere poteras, sed neglexisti: imò erubuisti sæpius profiteri, quis esses: & de memoria excluisti, ne ruminando excitata, quæ

in grano sinapis latet, vis ciendi salutares lacrymas molestiam tuo languori facesseret: ex fide sic defossa quid boni tuæ vitæ accederet? videamus! *Piger.* Domine! *Dom.* Sile modò: nam *arguam te*, & tanquam in speculo *statuam de ante faciem tuam*, Ps. 49. *Piger.* Ah! ne in furore tuo! *Dom.* Tace, inquam! PUER, cùm docebaris timere me Dominum vitæ ac mortis, ubique præsentem, atque vigilantem, debebas hac doctrina imbutus reverentiam exhibere mihi, & oculos meos magis, quàm hominum revereri: sic ego *lucrum* ex talento tulissem amorem devotionis, modestiam in angulis, reverentiam in templis: nunc quid de usu fidei petulantiæ loquuntur, quibus innocentiam ætatis pessum dedisti? *Piger.* Heu! delicta juventutis! *Dom.* Non tacebis? *Adolescens* postea didicisti, quòd ego sim Alpha, & Omega, ego Principium, & Finis tuus, ego, à quo omnis pendeat felicitas tua temporis æquè, ac æternitatis: quódque adeò tu in hunc mundum tanquam in magnam civitatem admissus sis non alio fine, quàm ut esses subditus Mundi Domino, servitiúmque, quod vellet, servires. Huic lumini, si paruisses, *lucrum* à talento redundâsset in me alacris obedientia erga Præpositos tibi, amor laboris ad artes utiles statui, cui te destinaveram, æstimatio temporis totius vitæ pretiosissimi: tu verò in nugis perdidisti annos optimos, atque adeò bonarum artium expers, ineptúsque ad seria, evertisti consilium vocationis tuæ: Quid? injuriam facio, si jam ego quoque rideam in interitu tuo? *Piger.* Obsecro! *Dom.* Nondum finivi. JUVENIS intellexisti, quantum debeas mihi: quantum providentiæ liberaliter te alenti, quantum potentiæ ex mille periculis eripienti, quantum Misericordiæ juvenilibus stultitiis patienter conniventi, quantum sanguini, quo te redemeram, quantum Bonitati, quæ beneficiis quotidianis te beabat in terris, & fideli servo æterna gaudia parabat in cœlis: hæc scientia debebat in te incendere amorem, ut cor unum, quod habes, & ego petebam, uni mihi sacrares; non æquum erat, hoc *lucrum* à meo

talento

talento expetere? amâsti? occupationes juventutis tuæ testantur de alacritate in famulatu mundi, & carnis, atque de tædio, & languore in meo: sic amabas? *Piger.* Domine, apud te propitiatio est! *Dom.* Nihil audiò. *Ætas virilis* supersest, in qua maturo utique judicio poteras expendere axiomata fidei, & quid interfit inter Deum & hominem, inter transeuntia, & æterna, inter terrena, & cælestia, tandem discernere. Si fecisses, recepissem ego pecuniam meam cum usura: lucrum fuisset *libertas* in consiliis, *fortitudo*, ac *sedulitas* in agendo, *constantia* in patiendo: hi sunt fructus fidei non defossæ in terra, sed ad censum elocatæ. Tu verò quoties obmutuisti ignave, cùm erat loquendum pro Religione, pro Justitia, pro Charitate? quoties trepidâsti, aut ad speciem aliquid egisse contentus fugisti laborem, quem exigebat honor meus, salus proximi, officii ratio, boni publici causa: fugisti, quia timebas sanitati, quia nulla spes commodi alliciebat, quia fastidia se obiecerunt, & difficultates primo impetu non facilè superabiles? Quoties cùm spem successus destituit, aut adversa ingruerent, abjecisti animum, & respiciens retrò, manum ab aratro retraxisti? Equidem non fuisti *ùt cæteri hominum*, raptor, adulter, injustus, Publicanus: sed nemo propterea innocens est, quòd alii sint nocentiores: nec per hoc, quòd accusaveris conservos tuos, excusavisti te: vixisti ùt arbor, quæ etsi malos fructus non tulerit, tamen nec bonos tulit, quámque tu ipse condemnâsti ad ignem: vixisti ùt candela, quæ ardere non vult, ne consumatur: vixisti vitam inutilem *Christianus* nomine, *servus* tuus, non meus, homo superfluus, qui citiùs de mundo exivit, quàm attenderit, ad quem finem ingressus sit mundum. Nunc loquere! præceperam tibi, quod reliquis: *Negotiamini, dum venio*, Luc. 11. violâsti præceptum, & *offendens in uno, factus es omnium reus*, Jac. 2. ad hoc responde!

§. III.

Exercitium voluntatis.

Piger. HEu! *nunc scio, quòd ita sit, & quòd non justificetur homo compositus Deo: si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei unum pro mille*, Job. 9. *Quid jam miser jam dicturus, quem Patronum rogaturus? Dom.* Serum omne patrocinium est: responsum volo. *Piger.* Miserere Domine! *Dom.* Tempus miserendi præteriit. *Piger.* Creatura sum tua! *Dom.* Nulli honori mihi! *Piger.* Imago tua! *Dom.* Per turpem acediam corrupta! *Piger.* Redemisti me! *Dom. Quæ utilitas in sanguine meo?* Ps. 29. pœnitet, tantô pretiò emisse servum inutilem! *Piger.* Membrum fui Ecclesiæ tuæ! *Dom.* In fide mortua. *Piger.* Vitam honestam vixi! *Dom.* Sed non ex fide. *Piger.* Servivi reipublicæ! *Dom.* Sed non ex fide. *Piger.* Fideliter functus officiis fui ex beneplacito Principis! *Dom.* Sed non ex fide. *Piger.* Pacificè inter cives me habui! *Dom. Et ethnici faciunt. Piger.* Omnibus charus fui! *Dom. Recepisti mercedem tuam!* Matth. 6. *Piger.* Comitas indolis, *Dom.* Nihil prodest. *Piger.* Facilitas & urbanitas morum, *Dom.* Nihil prodest. *Piger.* Ingenii felicitas, & linguæ facundia, *Dom.* Nihil prodest. *Piger.* Fidelitas in promissis, liberalitas in donis, promptitudo in obsequiis fecerunt, ut omnibus in pretio essem! *Dom.* Nihil prodest. Alia sunt hominum, alia DEI judicia: homo videt, quæ parent, formam, opes, vestes, titulos, artes, indolem, mores, dexteritatem, denique parerga hominis: *Dominus autem intuetur cor*, 1. Reg. 17. Cor est *Fides operans*: ergò omitte verba, ostende opera: lucrum ex talento volo, opera ex fide! Siles?... ergò discede! *Piger.* Misericordia! *Dom.* Serò gemis: *Ligatis manibus & pedibus*, quibus non es usus ad vitam ex fide, *ejicieris in tenebras exteriores*, discede à me!

non

non habebis partem mecum, qui noluisti laborare pro me! *Piger.* Misericordia! *Dom.* Discede à me Serve inutilis! in ignem æternum! *Piger.* Heu! perji! *Dom.* Discede in ignem, in tenebras, *ubi erit fletus* de acedia, *& stridor dentium* propter desperationem.

§. IV.

Colloquium.

Eusebius. DOmine, heu! Domine, si Piger damnatur, servus nequam quomodo salvus erit? Synesi, quid mihi fiet? *Syn. Ex fide* est vita tua? *Eus.* Ah! *ex impetu*, uti rapiebat affectio, *ex opinione* sine examine, vera an falsa sit, *ex usu*, ad aliorum exemplum, & morem vixi. *Syn.* Atqui non ex impetu, non ex opinione, non ex usu, & more judicaberis, sed ex fide, *ex fide.* Intelligis jam, quàm multi Christiani *videantur*, quàm pauci *sint?* & quod sequitur, quàm pauci salventur? O! *fides otiosa* neque rarum, neque exiguum peccatum est. *Eus.* Sed rara, & exigua pœnitentia est de fide otiosa. Ego, ô DEUS mi, quid denique totâ vita feci *cælo dignum?* si fidem interrogo, nihil est cælo dignum, nisi quod fit *propter DEum:* opera propter Deum *lucrum* sunt, quod ex talento fidei Deus exigit. Ah! errâsti anima mea, errâsti graviter, si putâsti, quòd *sola fides* sufficiat ad salutem. Confido in pretio sanguinis tui, ô JEsu, quippe sine quo opera mea pretium non haberent: sed quòd de cælo descenderis, ut solus faceres omnia, nos verò ab obligatione laborandi absolveres, non credo, non credo! *servi otiosi* tanti laboris indigna merces, tanti exempli fructus inanis forent: cassæ nuces, telæ aranearum, steriles arbores tuæ victoriæ spolia Patri obtulisses! Absit cogitatio tam absurda! utinam abfuisset & actio! Sed ô Superi! quid feci *cælo dignum!* Quanquam quid angor de hoc? interrogare debeo: quanta feci *inferno digna?* prô! *multiplicatæ*

sunt iniquitates meæ super capillos capitis mei! Ps. 39. DEUS, optime, maxime DEus, propitius esto peccatori dolenti toto corde, deprecanti toto animo! Sit mihi testis cœlum: verè delicta mea paveſco: multa sunt, gravia sunt, turpia sunt! tandem *ante te* erubesco, qui huc usque tantùm ante homines erubui! ô juvet pudor ad salutem, ut, cùm veneris judicare, nolis me condemnare! non peto, ut parcas nunc: pater es! ecce in flagella paratus sum! parce, cùm eris Judex!... Synesi, quid suades, ne incidam in manus DEI viventis?

§. V.

Reflexio.

Synesius. PRojice te in manus DEI morientis! ecce iterum fluit sanguis sacer, qui servo pigro exaruit. * *Eus.* Lætum est omen. O qui latronem exaudisti, mihi quoque spem dedisti! *Syn.* Sed cave, ne spes audacem faciat. *Unus* latronum veniam obtinuit, ne desperes, *solus*, ne præsumas. *Eus.* Non, non audacem facit spes, sed pœnitentem de offenso Domino erga alios tam severo, erga me tam patiente! *Syn.* Igitur non offendes ampliùs? *Eus.* Mori malim. *Syn.* Ergò fugere *acediam* debes, quæ vitiorum mater, & nutrix est. *Eus.* Detestor. *Syn.* Vivere ex fide debes! *Eus.* Ex fide vivam. *Syn.* Ex fide vivere est meros dies Dominicos vivere. Vivere dies mutabilis Lunæ, dies furentis Martis, dies mendacis Mercurii, dies ambitiosi Jovis, dies procacis Veneris, dies ignavi Saturni, est vivere vitam Gentilium: Christianus omnem diem uni Domino sacrat. *Eus.* Pereat dies, quam non sacravi! *Syn.* Nulla peribit posthac, si posthac ex fide vivas. *Eus.* Praxin exhibe. *Syn.* AMBULA CORAM DEO: hoc fides imperat. Vides hunc oculum? ** ex media caligine prospicit, & omnia videt. *Eus.* O aspectus, qui

* Iterum fontes fluunt. ** Exhibetur Oculus Dei radians.

qui intimas medullas penetrat! *Syn.* Oculo fidei hunc oculum ubique te intuentem semper intuere: semper cogita: *DEus me videt, Deus Dominus, & Judex meus!* hæc cogitatio pellet acediam: excitabit vigilantiam: incitabit curam, ne quid committas, quod DEO displicet, ne quid omittas, quod exigit, ne deficias, cùm instat periculum, cùm urget tentatio, cùm animus labat. *Eus. DEus me videt!* utilis, sancta, efficax cogitatio! *Syn.* Væ, quem non movet! tu metue tibi, nam veniet dies, cùm isti amabiles radii in tricuspides ignes, & tela lethifera vertentur adversùm te, si (quod tam multi faciunt) tu quoque, quæ de rigore Judicii fides prædicat, *experiri* malueris, quàm *credere*. *Eus.* Credo, timeo, cavebo.

MEDITATIO III.

Tertium Timoris Argumentum

JACTURA COELI.

ARGUMENTUM.

HAud dubiè MORS & JUDICIUM fortia argumenta sunt, & efficacia ad excitandum in nobis, TIMOREM DOMINI, si quis seriò expendit, sive quòd *vitæ præsentis* omne bonum ex nutu supremi Domini, sive quòd *vitæ futuræ* tota felicitas ex severi Judicis *incerta sententia pendeat* Sed multò potentiùs urgebit affectum hodierna Consideratio, in qua cœlestis beatitudinis excitata cupiditas *timorem jacturæ*, cujus periculum homo pro sui

status

ſtatus, & conditionis circumſtantiis facillimè ſubit, ſic animo figet, ut ſtatuamus, NEGOTIUM SALUTIS ſi non *unicè* curare (quod eſt eorum, quos à ſæculo avulſos ad Religionem DEUS vocavit) ſaltem quibuscunque negotiis aliis antehabere, & Apoſtolo obſequiſic ſcribenti 1. Cor. 3. *Fratres, tempus breve eſt: reliquum eſt, ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi*, quod idem eſt, ac monere, ut, qui deſerere ſæculum *in effectu* non volunt, aut non poſſunt, deſerant IN AFFECTU, quippe qui, niſi ſeriò coerceatur, facilè abſtrahit à cura cæli, & extremo diſcrimini animam objicit. Serviet huic fini hiſtoria, quam S. Auguſtinus l. 8. Confeſſ. c. 9. narrat. Treviris duo ex aula Theodoſii M. primæ nobilitatis viri, & honore militari conſpicui, ab Imperatore aucupio ardearum vacante digreſſi fortè inciderunt in eremum, quam ſolitarii Aſcetæ incolebant, ibíque vitam S. Antonii Eremitæ legerunt cum tanta animi commotione, ut continuò relictis rebus ſuis, & ſpebus omnibus, ſervire DEO SOLI decreverint, exemplum eadem die imitantibus utriusque Sponſis, ſuámque Virginitatem Chriſto Domino conſecrantibus. Erit igitur præſentis Meditationis

Materia, Cura Cœli.

Puncta duo: 1. Curæ æquitas.
2. Curæ modus.

Fructus. Timor DEI REMUNERATORIS, qui non reſpicit perſonam hominum, ſed merita.

Propoſitum. Fuga VITÆ PERICULOSÆ, qualis eorum eſt, qui in ſtatu, vel officio multis peccati illicijs obnoxio verſantur.

Chorus Oſtendit, *ex vitæ melioris Spe*, optabilem probis mortem eſſe.

PER-

PERSONÆ.

Paulus Aſcetæ.
Fromondus.
Nearchus.
Potitianus.
Marinus.
Leander.
Macarius, Pauli Diſcip.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad præſentem.

Fides. Ratio.

Exhibetur cœlum apertum cum ſcala magnifica.

Ratio. HOdie reſpiro ex formidine,
Qua nuper tremuit pectus!..
O lætus, ô magnificus, ô felix aſpectus!

ARIA.

1.

Ah! quis me, quis beabit?
Quis mihi pennas dabit? Pſ. 54.
Volabo,
In aſtra me levabo:
Cœli ſalvete!
Agri, campi, flumina,
Urbes, horti, nemora,
Valete!

2.

Cum opibus, quas *cupio*,
Si comparo, quas *video*,
Rideo:
Omnia sordetis!
Palatia Regalia
Sunt rustica mapalia:
Valete!
Non placetis.

Fides. Audio pia desideria:
Sed nempe desideria,
Quibûs si cœlum emeretur,
Nemo excluderetur.

Ratio. Excludi cur timeam,
Quando bipatentibûs portîs invitor ad gloriam?

Fides. Non semper patebit hæc janua.
Dico tibi: veniet dies *aliqua*,
Qua *multi quærent intrare, & non poterunt*, Luc. 13.
Dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & angustiæ,
Dies calamitatis, & miseriæ,
Dies tenebrarum, & caliginis,
Dies nebulæ, & turbinis,
Dies tubæ, & clangoris super civitates munitas! Soph. 1.
Magnus dies Domini, & terribilis valde! Joël. 2.
Dies, *qua sol obscurabitur, & luna non dabit lumen,*
Et *erit in terris pressura gentium,*
Præ confusione sonitûs maris, & fluctuum, Luc. 21.
Dies, per quem cœli ardentes solventur,
Et elementa ignis ardore tabescent! 2. Petri 3.
Tunc *multi ab Oriente, & Occidente venient,*
Et recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob
In Regno cœlorum,

Filii

Filii autem regni ejicientur
In tenebras exteriores. Matth. 8.
Tunc, cùm intraverit Paterfamilias, & clauserit ostium,
Multi incipient FORIS stare, & pulsare ostium,
Dicentes: Aperi Domine!....
Et respondens dicet illis: Nescio vos, unde sitis: Luc. 13.
Discedite!... Matth. 25.
Et ibunt hi in supplicium æternum,
Justi autem in vitam æternam. Ibidem.

A R I A.

2.

Tunc, infelix, te spectante,
Te in vanum lamentante,
In ipso cœli aditu,
Nutrita à te tamdiu
Emorietur spes:
Et tu, si foris es,
(*O rabies horroris!*)
Æternùm eris *foris.*

2.

Ibi fures, fremes, flebis,
Labra Tibi commordebis:
Et ex vi cruciatuum
De fortunata Cœlitum,
Qua gaudent, requie,
Eviscerabis te,
Æternùm heu! foris
Indignans, *quòd sis foris.*

Ratio. Diei extremæ calamitatem,
Et jacturæ, si cœlo excludar, gravitatem
Utique intelligo, sed mihi non metuo.

Tua enim hæc est nuper facta promissio:
Si temetipsam judicaveris,
Non utique judicaberis, 1. Cor. 11.
Judicavi me, damnavi me, sententiam exequor,
Et *quotidie mihi morior:*
Quid exigis ampliùs, ut sim secura?
Fides. Ut nunquam, nunquam sis *sine cura.*
Laudo, quod facis:
Sed, ne *cum Pharisæo* tibi nimiùm placeas,
Et DEO displiceas, semper cogita,
Quòd non coronentur *principia*,
Sed: *Qui perseveraverit usque in finem,*
Hic salvus erit, Matth. 10.
Jam, quid dicis de te? perseverabis?...
Dic: perseverabis?...
Ratio. Eheu! nescio!
Horrore pilos surrigit hæc cogitatio.
Fides. Bene est: *in hoc hodie te firma timore:* perseverabis,
Si, ne perseveres, nunquam timere cessabis.

DUETTO.

Ratio. O horrida necessitas,
Semper timere, ne reprobus sis!
Fides. O noxia securitas
Vanè censere, quòd salvus jam sis!
Ambæ. Duo sunt in agro:
Fides. Unus assumetur,
Ratio. Alter relinquetur,
Et nescio, quis!
Fides. Si times, jam scis:
Ratio. Ah! timor angit me!
Fides. Et angor salvat te!

ME-

MEDITATIONIS III
De cura cœli
PUNCTUM I.
Æquitas hujus Curæ.

SCENA I.
Paulus. Macarius.

Paulus senior Eremita. Militesne, ais, irruerunt in cellam? qui sunt? quid volunt? *Macarius Eremita juvenis.* Te volunt, mi Pater: & ego missus ab ipsis sum, ut te requirerem. Sed nihil metue: sunt viri altioris Ordinis, & pacifici homines. *Paulus.* Pauperes, mi Macari, non habent, quod à militibus timeant: quid enim auferent nihil habenti? *Macarius.* Ab his, neque si dives essem, timerem aliquid. Ipsi enim divites sunt: splendent aurô, & argentô: corpus purpura, & byssus ornat, crista caput: latus defendit gladius multis adamantibus nitens. *Paul.* Tibi hæc species placet, ùt video. Nunquid tu etiam cuperes miles esse? *Mac.* A puero animus prurit in heroum facinora. Utinam sit ætas major: hodie cum istis militatum abirem. *Paul.* Nôsti me, fili mi: non te teneo. Unum, si quid meus in te meretur amor, unum obsecro: *Sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit*, Eccl. 32. Qua via, ex quo statu Divinæ Providentiæ nutus te velit in cœlum ducere, deliberandum est prudenter, si statutum feliciter velis. Cœlo excidit, fili mi, cœlo excidit, qui statum aut officium eligit, in quo salutis *impedimenta* graviora se ingerunt, quàm ut superandis speres suffectura esse *media*, quæ suppeditantur: & excidere cœlo

infinita jactura est! *Mac.* Ego te pro Patre veneror. Scio, amari me: absit, ut velim, quod improbas tu. Quod dixi, impetus mentis fuit, non decretum. *Paul.* Gaudeo, sincerum videre: quin & impetus animi generosi laudo. Cresce in magnas spes! modò non spes magnas confundas cum vanis, cum inanibus, cum noxiis. Sed age, ubi sunt, quos ais? *Mac.* Duo per eremum deambulant: duo intrârunt cellam, & legunt, ut tempus fallant. *Paul.* Quem librum legunt? *Mac.* Qui casu jacebat in mensula, & vitam magni Antonii habet. *Paul.* Placet: i, duos qui ambulant, huc reduc ad me: ego ad istos ingredior. *Mac.* Requiro, quo ierint. *Paul.* Hem! animum juvenilem! sperabam Sanctum educari à me: jam scilicet miles erit Macarius meus: ô inutilis labor!.. Quanquam quid gemo? juvenilis impetus fuit: non erit miles. Aut, si erit, num ideò frustra laboravi, ut, quæ prosunt ad salutem, docerem? non puto. Disponat de Macario DEus, ùt lubet: si DEO serviat, felix est, & ego obtinui finem curæ, quam habeo. Miles, qui licentiæ non laxat frænum, qui fidem servat Principi, & ex fide, atque propter jurisjurandi religionem labores ac pericula militiæ sustinet, *hoc fine*, ut placeat DEO, cui omnis virtus placet, facilè meritorum gloriâ in oculis Numinis etiam rigidissimum Ascetam superat. Sed nimirum paucos numeramus, qui ejusmodi sunt: sit, ô sit inter paucos Macarius meus, Deus mi, si quidem vis, ut miles sit. Sed eo ad hospites. Absorpti sunt in sacra lectione: juvat auscultare, quid fiat.

SCENA II.

Nearchus. Fromondus.

Nearchus Aulicus. HEm! quid iterum lego? ... *Qua erat animi generositate Antonius, nimis abjectum putabat esse servitium cumulandis vacare divitiis, mentémque ad contemplationem rerum cæle-*

cœleſtium à DEO formatam in pulveres, & lutum deprimere. Amice! quàm fuit Viri ſancti ſenſus diverſus à noſtro! Erat Antonius nobilis, erat dives, ùt nos: putabat tamen animi eſſe parum generoſi ad curam divitiarum abjicere ſe, ac terræ affigere: nos contrà putamus, nihil poſſe contingere turpius noſtræ ſtirpi, & ſanguini, quàm ſi pauperes DEum pauperem ſequeremur. Quis errat? *Fromondus Aulicus.* Quisque in ſuo ſenſu abundat. *Nearch.* Experior. Sed quæro, quis ſenſus ſit vero conformior? age, Fromonde, audiam, quid putes: quis errat, nos, an Antonius? *From.* Quæ ſupra nos, nihil ad nos. *Nearch.* Imò hæc maximè. Cœlum, Amice, eſt ſupra nos: quid? nihil ad nos, ut illuc tendamus? *From.* Et ſpero venire etiam per hanc viam, quam ambulo. Memento, quid legeris paulò antè: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, & da pauperibus*, Matth. 19. Nota: *Si vis perfectus eſſe*, dicebat Dominus, non: *ſi vis ſalvus eſſe.* Itaque facere, quod fecit Antonius, cùm hæc verba audivit legi, conſilium eſt, non præceptum. *Nearch.* Aſſentior: conſilium eſt, non præceptum. Sed hoc interrogo, num turpe ſit nobis hoc conſilium *ſequi?* Antonius putabat, turpe ſibi eſſe, *non ſequi:* ſi nos putamus contrarium, reſponde, quæſo, quis errat? *From.* Video te caleſcere. Quid turbas animum diſputatione inutili? Antonium ad hoc genus vitæ vocavit DEus, nos non vocavit. *Nearch.* Non hoc jam ago: ſed ſi vocaret DEus, num turpe eſſet vocantem audire hoc quæro. *From.* Fruſtra urges: nec enim dubitare fas eſt, quin gratiam DEus homini faciat, ſi ſuadet, qua via ire in cœlum debeat: & obedire conſilio DEI, qui turpe diceret, blasphemaret: Omitte igitur me laceſſere talibus quæſtiunculis. *Nearch.* Metuis fortaſſe, ne audias vocem ſimilem? *From.* Ceſſa! redeundum ad ſocios eſt. *Nearch.* Non poſſum modò. Suaviſſimô vinculô me tenet hic liber ſibi: Legamus plura. *From.* Quid prodeſt? admiranda legemus magis, quàm imitanda. *Nearch.* Hæc vox eſt militis? nihil eſt animo generoſo

roso difficile. Quod alius potuit, hoc ego non possim? eadem est naturæ conditio, idem robur gratiæ: si quid deest, animus deest, & quòd desit, pudet! Pergam legere, ut crescat pudor, & animus cum pudore. *From.* Quis animus? abjicere militiam cogitas? aulam deserere? *Nearch.* Parum absum. *From.* Ridiculus es, qui tam subitò. *Nearch.* Ridiculus? num vides Antonium? audiit: *Vade, vende, sequere me*! & subitò abiit, vendidit, secutus est Christum. Euge! audes ridere? *From.* Convictus erat de sua vocatione. *Nearch.* Convictus & mihi est intellectus: voluntas trepidat. *From.* Intellectus convictus est? qua ratione? *Nearch.* Eâdem, qua victus Antonius. Ad contemplationem rerum cœlestium formata est mens: ut quid igitur terram occupat? nimis abjicio me, nimis me deprimo, si tam nobilem spiritum terrestribus curis involvo. Hæc animo veritas illuxit clarissimè: pergo legere, donec lumen in meridiem crescat. *From.* Æstuas desideriis magnis, ùt illi angoribus solent, qui ignes fatuos pro spectris horrent. Repentè disparebit hæc lux, & cum luce calor. Nearche, sinamus alios perfecta sectari: feramus, ut sancti sint: *Nobis sufficiat præcepta servare*, &, si salvi erimus, contenti simus. *Nearch.* Prô miserum frigus! nam ignis nunquam dicit: *sufficit*! Amice, parce, si paulùm commotior videar: non loqueris digna viro, minùs milite, minimè nobili. *Simus contenti, si salvi erimus*! *sinamus alios perfecta sectari*! ô vox ignava! hei! quid sibi vult plumarus pileus? quid aurum togæ? quid gemma annuli? quid gladii fulgor? sinamus alios sic incedere: nos contenti simus, si pannus rusticus corpus tegat, & defendat à frigore. Nempe non decet nobilem vestitus de plebe: at frigere animo, nudum virtutis esse, in malè sarta veste gratiæ pannosum incedere, & vix plùs tectum, quàm opus est, ut honestè inter Christianos compareas, hoc sufficit, hoc nobilem decet. Superi! quæ est hæc nobilitas nostra? dum in terra sumus, quis nobilium auditur dicce-

cere: ſinamus alios in aula principatum tenere, ſinamus florere gratiâ, promoveri ad honores, affluere opibus, potentiâ creſcere ſinamus: nobis ſufficiat, ſi ſimus ultimi, ſi nos princeps non oderit, ſi toleret ſaltem. Nemo ita: alius omnino eſt ſermo, alii gemitus, & ſuſpiria. Promoti ſumus, inquiunt, eja! ſurgamus altiùs! divites ſumus: augeamus opes! amat nos Imperator: laboremus, ut amet ardentiùs, ut neminem præ nobis amet! Quid? falſa memoro?... Nunc cùm de CÆLO colloquimur, tu dicis mihi: *Sinamus alios perfecta ſectari: nos contenti ſimus, ſi ſalvi erimus.* Sic amicus es mihi? vale! me urget ſpiritus, ut plura legam: melior Conſiliarius hic erit liber. *From.* Amice, inſolitis agi te motibus video, non turbabo.... Quanquam turbâſti me tu, ut vix me ipſe capiam. Faſtidiô turget pectus; ſordent res omnes meæ, & omnes ſpes: nam verè quid proſunt cætera, ſi cœlo excidam? *æquum eſt*, ut hæc prima ſit cura mihi, hic unus timor.

SCENA III.

Fromondus. Paulus.

Paulus. SAlve hoſpes nobilis, quem noſtra non terruit egeſtas, quò minùs ſubire velles tugurium miſerum, & hortum pauperem. *From.* Lubuit. Tu loci es incola, niſi fallor? & potes? *Paul.* Intelligo: Interrogas ex mundi ſenſu. Aſſueti palatiis, conviviis, theatris, venationibus, ludis, quid in ſolitudine, niſi miſerias, vident? verùm nemo *ex ſenſu alieno* eſt miſer, ſed *ex ſuo.* Ego autem, ſi *beatus* non ſum (quoniam in hac vita *beatitudo vera* non datur) ſaltem certum eſſe exiſtimo, quòd inter miſeros ſim minimùm miſer. *From.* Philoſophari te video: & tu ſcito, te Philoſopho colloqui. *Paul.* Gaudeo: nam multò feliciùs aſceticæ veritates Sapienti ſe exhibent, quàm de trivio homini. *From.* Igitur rationem ſententiæ redde: dixiſti, in hac

vita beatum esse *neminem posse:* Atqui experientia docet, appetitum beatitudinis cuivis homini vehementissimum esse: quid? *appetitum ad impossibile* à natura datum esse mihi, vis, ut credam? *Paul.* Eja! habeo auditorem, qui pervidere, quæ dicam, possit: sine, ut paulò altiùs ordiar discursum gravem. *From.* Avidus sum: sed solidè age: paralogismis non falles. *Paul.* Absit, ut velim: Deo servio, & ut alii Deo servire velint, ardenter desidero. Huic desiderio quando nihil est, quod opportuniùs famuletur, quàm genuina *veræ*, & *apparentis* beatitudinis Idea, securum te esse cupio de mea sinceritate. *From.* Et ego te de mea attentione. *Paul.* Igitur hoc primùm nota: Tria constituit loca Creator Deus incolenda hominibus pro vario statu, cœlum, terram, inferos. *From.* A fide doceor. *Paul. In cælo* omne gaudium habitat, nullus mæror ingreditur: *Infernus* omnis miseriæ centrum est, nec rima solatio patet: *In terra* lætitia luctum occupat, luctus lætitiam: læta tristibus commiscentur, & nemo est aut perpetuò felix, aut perpetuò miser: succedit continua vicissitudine nox diei, autumno hyems. *From.* Certa loqueris, & quæ nemo prudens in dubium revocet. *Paul.* Infero: stultum esse laborem hominum *beatitudini in terris* inhiantium: sequuntur umbram, amplexantur somnia, adhærent phantasmati, chimæram amant. *From.* Vitæ & loci conditio loquuntur idem: ineptus essem, si contradicerem. Attamen appetitus urget: *vellem beatus esse:* naturæ Auctor quòd velit, ut chimæram desiderem, non potest credi. *Paul.* Propterea, quam appetis, beatitudinem, non esse hujus vitæ, sed *futuræ*, sapienter concludes: atque adeò atrociter decipi, qui *ex bonis præsentibus* se sperant felices fore. Ah! ista bona casus dissipat, corrumpunt curæ, morbi pessumdant, denique mors cum vita tollit; sæpe minimè opinantem prosternens: vera felicitas bonum est *patriæ*, non bonum *viæ*: in via *vicissitudo* habitat, *stabilitas* in termino sedem fixit. *From.* Pleno lumine infundit se oculis

hæc

hæc ſpeculatio: *Beatitudo vera in hac vita non datur!* non habeo, quod opponam. *Paul.* At habebis, ſi voles, concluſiones plures, quàm unam, per quas ſpeculatio deducetur ad praxin. *From.* Occurrunt. Prima eſt: *Ergò appetitus beatitudinis, animæ à natura inſitus, unicè figatur in bonis cæleſtibus! Paul.* Figatur, quia ſola cœleſtia beatum faciunt. *From.* Altera: *Ergò Sapientis eſt, cavere ſollicitè, ne, quam appetit, felicitas eripiatur! Paul.* Optimè: quoniam qui vult finem, neceſſe eſt, ut etiam velit media: addo tertiam: *Ergò ſapienter agit, qui pro ſe eligit vitæ genus, in quo pericula ſalutis aut nulla, aut rara ſunt, media verò abundè ſuppetunt. From.* Adverto: nunc eris Cicero pro tua domo. *Paul.* Ero: ſed te obſecro, Domine, ne mihi credas quidquam, niſi de quo convicero. *From.* Confidenter. *Paul.* Bona cauſa triumphat: ſic habe. Commodè omne genus hominum in tres ſtatus, ſive conditiones diſtinguas: aliqui *ſerviuut* hominibus, aliqui *imperant*, alii *neque ſerviunt, neque imperant*, viventes uni Deo, & ſibi. *Qui ſerviunt hominibus*, aut volentes ſerviunt, aut inviti: *ſi inviti*, triſtiſſimam vitam vivunt: & triſtitia, quot ſcelerum parens ſit, nemo neſcit. *Si volentes*, ſtudium *placendi* Domino, timórque *diſplicendi* quot flagitiis januam aperit? adde, quòd *ex ſervis hominum* alii *nimis parùm* ſe occupent, atque otiô marceant, quod vitium omnem ſpiritum Chriſtianismi extinguit: Alii *nimis multis* onerentur negotiis, quæ opprimunt animum, ſic, ut tanquam ægyptiaco mancipatu conſtrictus tempus non reperiat, quo ad cœlum ſe elevet. Inter hæc pericula verſatur, qui ſervit. Non pauciora *imperantem* circumſtant. *Per gradus* in ſolium aſcenditur: ſedet in ſupremo, qui imperat, ut à ſubjectis omnibus videatur, & omnes videat: à nemine erubeſcat videri, neminem intueri contemnat: regulam morum ſe ſubditis faciat. *Conopæum* admonet illum de protectione, quam ſuis contra miſerias debet: tradita illi à Deo & hominibus Respublica fuit, ſed nempe in ſinum, ut foveatur. *Coronam* crux ornat in apice poſita,

quia prima Regibus cura esse debet puritas Religionis, & splendor: præcipuum decus perit, si crucem aufers. *Sceptrum* rotundum & breve datur, signum potestatis restrictæ, ac moderatæ, ne in Imperio nihil, nisi Imperium, cogitet, aut credat, non se datum esse subditis, ut regat, sed subditos sibi, ut emungat. In tantis officii obligationibus miramur, cùm legimus: *Potentes potenter tormenta passuros, & judicium durissimum his, qui præsunt, fore,* Sap. 6. *From.* Supereſt, ut tertium genus hominum, nempe qui nec serviunt hominibus, nec imperant, inter securissimos cœli ponas. *Paul.* Consequenter decernis: atque ego propterea, cùm hanc solitudinem elegi, judico, quòd *optimam partem* elegerim, quippe nullis jam obnoxius animæ periculis, quibus vel *subditi,* vel *Domini* objiciuntur, sed *communibus* tantùm, à quibus exemptus est nemo. Eja! non demonstravi, quàm vel ex hoc solo titulo inter miseros sim *minimùm miser? From.* Vicisti: vidi enim, quàm sit in aula æquè ac in militia uti imperantium, ita obedientium conditio mille implicata *affectibus,* trahentibus in ruinam. Sed, quid agas? non possumus omnes eremum eligere, & Asceticæ vitæ vacare. *Paul.* Neque hoc ago, sed hoc tantùm, ut intelligas, hospes, gratiam à Deo fieri illis, quos ad hanc vitam vocat, quoniam *pericula Salutis* maximæ sunt hujus vitæ miseriæ, à quibus qui liber est, utique habet, cur cantet quotidie: *Te Deum laudamus!* Deinde ut tu, qui, quod ex habitu conjicio, & *servis,* & *imperas* aliis, *utriusque statûs* discrimina seriò pensitans, cautè incedas, ne à via cœli declectas: hæc una te angat cura, ah! una angat, quoniam jactura cœli jactura est omnis boni. *From.* Pater, intelligo, vera te loqui: nec tamen animus in sententiam abit, ut velit, quod probat. *Paul.* Nihil istud vel miror, vel moror. Sæculo addictus mutare *judicium* citiùs potest, quàm *voluntatem:* gratiâ Dei vocantis est opus, ut vincula rumpantur, quæ tenent. *From.* Gratiam Deus aliquibus offert, cur non omnibus? *Paul.* Quia

gra-

gratia est. Vocantur aliqui, ut *salvi* fiant, non salvandi nisi obediant: vocantur alii, ut *perfecti* fiant, subituri salutis periculum, nisi fiant: plerique non vocantur, quia gratiæ *singulares* nulli debentur, *communes* sufficiunt omnibus. Cæterùm Domine, tuæ quæstiunculæ aliquam animi inquietudinem loquuntur mihi: non licet originem scire? fortè mederi possem. *From.* Socios video, videri nolo: indulge cellam. *Paul.* Tua est, Avertam homines.

SCENA IV.

Paulus. Potitianus. Macarius. Marinus. Leander.

Potitianus. HIc est, quem ajebas, tuus in spiritu Pater? *Macarius.* Hic ipse, qui voluit, ut hospites ad se invitarem. *Marinus.* Age strenuè causam tuam: Patronos habes. *Leander.* Salvere te jubeo, vir beate. *Paul.* Deridere nimirum hoc titulo meam pauperiem vultis: fero lubens, modò ridicula Deo non sit. *Potit.* Falleris. Veneramur seriò virum nobilem, quem te dicebat discipulus tuus, qui quia te non alio apud nos nomine, quàm beati Patris compellavit, quid potuimus, nisi eâdem formulâ te salutare. *Paul.* Appellatis non invitum. Nam verè, à quo tempore aulam deserui, beatus sum, certè miser esse cessavi. *Leand.* Ita necesse est loqui te, ne videaris consilii pœnitens. Nisi timeres levitatis infamiam viro nobili cumprimis turpem, fortè quanquam jam proximus senio, mutares cum proposito habitum. *Paul.* Absit, ut lunæ me comparem, quæ reproborum est symbolum. Potiùs nisi hoc vitæ genus jam abhinc viginti annis suscepissem, susciperem hodie: neque enim, nisi expertus novit, quàm suave sit DEO SOLI servire. *Marinus.* Aliter tuus iste, quem vocas, filius loquitur, qui parùm tua videtur gustâsse solatia. Eccur non reddis participem? *Paul.* Macari, maléne tibi fuit, dum vivis mecum? taces? Superi!

turbas animi in vultu lego. Domini, veſtes, gladii, plumæ veſtræ hanc tempeſtatem concitârunt; nolite decipi: redibit quies juveni, cùm abieritis. *Macar.* Imò liceat mihi per te, mi Pater, abire ſimul: totus in arma prurio. *Paul.* Tam repentè? *Marin.* Nimirum oppreſſos à diſciplina igniculos ſuſcitavit aſpectus militum, & ſuffocati per Pſalteria, per flagra, per jejunia, per legumina, per iſtam tunicam heroici ſpiritus revixerunt. *Leand.* Natus ex patre milite Macarius (imò primævo nomine Conſtantinus hic) miles ut ſit, deſtinatus eſt à natura: num repugnare te decet? *Paul.* Video, me eſſe proditum. Domini, rem habete. Macarius eſt filius mei fratris, qui in bello contra Tyrannum Eugenium in acie pugnans cecidit, cùm iſte annum ætatis decimum ageret: Mater obierat antè. Miſeruit pupilli me: timui, ne timere Deum, & Domino ſervire, qui ſolus eſt Dominus, negligentiùs doceretur: ſuſcepi ergò tutoris curam, & Patris officium: num egi malè? *Leand.* Meliùs filius militis educatus fuiſſet à milite. *Paul.* Prima debuit cura eſſe, ut Chriſtianum formarem. Nunc in eligendo vitæ genere ſui eſt juris: prudenti electioni non me opponerem, vel ſi parens eſſem: ſed dirigi debet juvenis, non trahi. *Potit.* Sua, quod apparet, indoles trahit juvenem: ſine, ut Imperatori ſiſtam. Merita Patris, & frons, oculi, vultus adoleſcentis militarem ferociam ſpirans ſpem gratiæ faciunt. *Paul.* Mora conſilium dabit, & oratio ad Deum: Impetus repentinæ affectionis bonum non ſuadet. *Leand.* Prudens es: interea juvat nos omnem tuam videre beatitudinem, & alteram eremi partem perambulare: comitem Conſtantinum concedis? *Paul.* Adhuc Macarius eſt, eat. Ubique occurret Macari, unde ambitionis levitatem condemnes. Occurrent floſculi nitida veſte ſupra Salomonem ſuperbi: ſed quamdiu? ſic perit *pompa* ſæculi. Occurrent arbores amœna ſpecie ſe in altum tollentes, ſed fructu vacuæ: hi ſunt *labores* ſæculi. Occurrent fontes, aquarum argentum trahentes

hentes cum grandi ſtrepitu: ſed præterlabuntur: hæc ſunt *ludibria* ſæculi. Cœlum ſolum bona æterna habet. *Leand.* Nimis tu ſeria Juveni loqueris: nos aliter exponemus. *Potit.* Ite, ego redibo ad ſocios: in cella conveniemus, cùm revertendum in urbem erit. *Marin.* Conveniemus: tu nos præcede.

SCENA V.

Paulus. Potitianus. Fromondus. Nearchus.

Potitianus. QUid agunt apud te ſocii? miror, trahere moram poſſe tam diuturnam: quo tenes hamo? . . . . *Paul. Unus aſſumetur, alter relinquetur!* horrenda ſententia! quid? ſi de te dicta ſit, miſerrime Macari! heu! attonitus pavor palpitans pectus quatit. *Potit.* Ereptus eſt homo ſibi. Pater! *Paul.* Ah! in aula aliorum *otium*, aliorum *negotia* timeo: in militia à vino, à venere, & ab ira metuo Macario meo plùs, quàm à Marte: & in aulam tamen, ad militiam ibis Macari! averte hoc malum, JEſu, neque nobilem animam tuo redemptam ſanguine immitte in hæc diſcrimina! *Potit.* Non immeritò gemit: vix enim in re majus diſcrimen eſt, quàm inter voces, *militia* & *malitia*. Pater! *Paul.* Ignoſce hoſpes: periculum amati juvenis mentem in ſe abſtraxit. De ſociis inquirebas, ſi memini: legunt! *Potit.* Quid legunt? *Paul.* Vitam Magni Antonii legunt. *Potit.* Etiam legi, & præcipuè admiratus ſum atrocia, quæ ſubiit, certamina cum dæmonibus. *Paul.* Admiratus es: nihil præterea? utinam didiceris imitari! ah! ſi milites debellare diabolos vellent, ſicut in homines ſæviunt, quàm multos Eccleſia Sanctos haberet, quos coleret. Verùm hoc, opinor, intus agunt collegæ tui. Domini, adeſt, qui loqui cupit. *Nearch.* Potitiane, quid turbas nos? ſuaviter convivimus: ego hodie non redibo. *From.* Tecum maneo: licet hìc pernoctare per te, Pater? *Paul.* Si paupere cœna, & dura pro ſtrato ſtorea pote-

potestis contenti esse, offero totum me. *Nearch.* Nihil sollicitus sis: plura miles tolerat. *Paul.* Utinam pro animæ bono! *Potit.* Quid animo agitatis? *Nearch.* Totâ vitâ nunquam memini egisse me diem tot solatiis uberem: sine diutiùs frui. *From.* Ego ab amico non divellor: statutum est hanc noctem sanctiùs agere, quàm noctes alias. *Potit.* Bene: sit igitur felix nox: ego ad socios redeo, & in urbem cum sociis: ridebunt, & ridiculos vos aulæ facient. *Nearch.* Risum licebit ulcisci risu. *From.* Non licet nobis, quod lubet, agere? an servi sumus? hic pernoctare est volupe: quid ad vos? *Potit.* Fervori parce: non affectamus imperium: facite, pro libertate. *Paul.* Ego interim cœnam, & stratum apparo, nisi jubetis aliud! *Nearch.* Nunc equidem libentiùs soli sumus: fac, quod charitas jubet. *Potit.* Tecum eo: conturbatos homines video: quid est actum? *Paul.* Ipse præstolor eventum rei. *Potit.* Cæteris nuntio. *Paul.* Maneant mecum omnes: utiliter agemus noctem. *Potit.* Persuadebo, si possim. Quod me attinet, Pater, si liber ab uxore & liberis forem, convivere perpetuò mallem tibi, quàm inter tot discrimina salutis versari. *Deum timeo*, & cœlum desidero: cætera flocci facio. *Paul.* Optimus timor est, utinam omnibus militibus familiaris. Domine, si manes hac nocte mecum, audiat à te Macarius, quid aula sit, & quid militia. *Potit.* Placet humanitas: condico: idem si collegis suadeo? *Paul.* Rem bonam suades: pro viribus serviam. * Macte animo Paule, occasionem offert Deus, qua benefacere animis nobilibus possis.

SCENA VI.

Nearchus. Fromondus.

Nearchus. QUid tricamur diutiùs! amice, responde ad quæstionem unicam, & cesso urgere. Dic: omnibus laboribus, quibus, domi, forisque defungimur, quid quærimus?

* Discedunt.

majór-

majórne poteſt eſſe ſpes noſtra in palatio, quàm ut amici Imperatoris ſimus? & ibi quid non fragile, plenúmque periculis? & quamdiu iſtud erit? Amicus autem DEI, ſi voluero, ecce nunc fio. *From.* Et quantillum eſt illud? quantum hoc? Imperator homo eſt ſimilis mei, mutabilis, qui hodie amat, cras odit, ſæpe immerentem: certè mortalis, cujus gratiâ fortè nec annum fruar, & quid deinde? imò ſi fruar, dum vivo, quid deinde? gratioſum fuiſſe Imperatori nihil æſtimat Deus, qui me judicabit. *Nearch.* Et ego tanti emam favorem putridum? *From.* Rectè, inquis, tanti: nam quantos debet ſubire labores miles, ſi vult placere? quanta ſuſcipere pericula fortunarum, ſanitatis, vitæ, animæ adeò? nam ſi Princeps jubet, quod vetat Deus, quotusquisque eſt noſtrûm, qui palam auſit Deum Principi præhabere? *Nearch.* Et quid deinde? nempe Principis favor tuebitur coram Deo? *From.* O vaniſſimam vanitatem! favor Principis nec in hac, nec in altera vita poteſt beatum facere, Dei gratia facit in utraque: & delibero, quid decernam? *Nearch.* Ajunt: poſſum eſſe amicus Dei, quin ceſſem eſſe amicus Principis. *From.* Poſſum: ſed quanto cum periculo inter tot pericula peccatorum, inter tot incitamenta libidinum, in tanta vitæ licentia, in tanto luxu, inter tot exempla ſcelerum, cum præſidiis tam exiguis? Nearche! fortè moriens horulæ unius inducias petam, ut peccata expiem: & ecce Theodoſius, quamcunque ſit potens, quamcunque me amet, ne tantillam quidem gratiam poteſt præſtare, ut unâ horâ ſeriùs mori liceat! Et tamen ex hac gratia quàm multis æternitas pendet? ô miſeram ſervitutem! *Nearch.* Veriſſima loqueris: ſed ſi concluſio ſequitur, quam nos inferimus, migrandum erit in ſolitudinem omnibus: vacua ſtabunt palatia: Principes deſerentur. *From.* Quid agendum ſit aliis, ipſi viderint, quisque proſpiciat ſibi. *Nearch.* Mihi hoc jam decretum eſt: *Serviam Domino, qui mori non poteſt*: adhuc *de modo* delibero.

SCENA VII.

Fromondus. Nearchus. Leander. Marinus. Macarius. Potitianus.

Leander. QUid audimus? hìc pernoctabitis? *Marinus.* Deliberaturi forsitan de aula cum eremo mutanda? *Nearch.* Scietis, cùm erit opus. *Leand.* Turbide satìs: sapientiùs decrevit Macarius, quem ducemus nobiscum ad Cæsarem. *From.* Nescis, quid petas miser, & quid relinquas. *Macar.* Dixi: sine Patris consilio non abibo. *Potit.* Audiemus, quid dicat: veni mecum. *Leand.* Redite propere: vos valete, & crapulam eremiticam edormite. *Marin.* Sed quid dicemus nostris sororibus domi, sponsis vestris? *Nearch.* Salutem. *From.* Reddamus oculos salutaribus paginis. *Marin.* Tamen Leander, jocamur temere forsitan, & nisi cavemus temporì, amisimus soceros: Potitianus me terruit: & Nearchus diuturnius jam aulæ tædium fovet, quòd videat spes suas trahi. Nisi caves, Sponsum tua soror non habebit. Igitur consilio Potitiani parendum judico, & hìc pernoctandum, ut videamus, quid fiat. *Leand.* Maneamus. Scribam interea epistolium, & per famulum sorori mittam, ut sciat, quid factum sit: supellectilem scriptoriam in cella Macarii vidi. Mittet illa responsorias, quales dictare amor solet. Scribe tu etiam tuæ. *Marin.* Ego non scribo, quoniam mea soror abhorret à nuptiis, nec nisi in mei gratiam se Fromondo addixit. Quodsi intelligeret, sponsum alia agitare consilia, intelligis, quid esset factura. *Leand.* Bene advertis. Sed scrupulus angit: non ago advocatum diaboli, si turbo sancta consilia? *Marin.* Timidus miles es. Ab otio ad laborem homines trahis, bonum est opus, ad quod ego tibi Angelus sum. Quodsi peccatum metuis, suscipio in me: pro te luam. Scribe, dictabo. *Leand.* Venio.

CHO-

CHORUS

Oſtenditur, quàm nulla ſit comparatio inter gaudia cœli & terræ, cùm illa ſolis *diligentibus DEum* præparata, hæc probis & improbis *communia* ſint, atque adeò *libenter* deſerenda per mortem, quando ex vita piè acta ſpes eſt, felicem fore, neque *jacturam cœleſtium* timendam eſſe.

Mors. Anthropus morituriens. Ephebus. Machaon.

Mors. HÆc eſt ædes, quam mihi Deus præcepit intrare:
Januam tamen volo pulſare....
Epheb. Heu! ſpectrum! heu! heu! *
Mors. Ne metue! nil mali tibi faciam:
Nôſtíne me?
Epheb. Mors es! ah! parce! novi te!
Mors. Lepide! ſi nôſti me, cur times me?

ARIA.

1.

Puelle mi!
Non ſum, non ſum nigrorum
De gente geniorum:
Non traham te ad tartara:
Ad ſidera levabo!
Et poſt momenta paucula
In cœlis te locabo.

* Ut pueri ſarvam, ſic ſolemus mortem timere.

2.

Abjice crepundia! . .
Alia te gaudia
In cœlo recreabunt:
Lactea, & mellea
Ibi fluunt flumina:
Ibi veſtes ſplendidas,
Ibi dulces epulas,
Poma, Pyra aurea,
Vina rubra, gemmea,
Et, quidquid voles, dabunt
Puelle mi!

Epheb. Ah! parce! obſecro!
Mors. Quid? non eſt hæc tibi optabilis ſors?
Adhuc videtur terribilis mors?
Epheb. Horreo! horreo!
Mors. Ignoſco tuæ infantiæ: parco,
Sed ingredere, & felix nuntium,
Quòd adſit Mors, perfer ad tuum Dominum.
Epheb. Heu! quid loqueris? Domino moriendum?
Non licet nuntiare, niſi velim necare.
Mors. Vir pius eſt: non habet, cur metuat mortem;
Ingredere!
Epheb. Spectrum ſe putabit videre!
Mors. Spectrum? nequicule!
Quid enim in me apparet horribile!
Epheb. Solo aſpectu potes occidere.

A R I A.

1.

Quis videat ſine terrore,
Hanc faciem plenam horrore!

Huma

Humanam non esse
Est illam necesse,
Quæ non ad hanc larvam expaveat mens!

2.

Pro oculis scrobes dehiscunt,
In saniem genæ fatiscunt:
Sunt labra truncata,
Frons excoriata,
In ore vix aliquis supersest dens.

Mors. Vah! puerum mendacem,
Et insultare morti audacem!
Epheb. Nihil mentior: age! speculum inspice!
Mors. Prô!.. prô! ùt egi improvidè!
Vides cruentum hoc telum?
A nece impii recèns reversa sum;
Et habitum mutare oblita:
Non decet ita.
Hoc habitu improbos ferio:
Aliter, aliter probis appareo. Abeo.
I, nuntia breves inducias:
Nam redibo cita,
Ut primùm, sicut convenit, fuero vestita.
Epheb. Quid faciam?.... herum moneo de periculo;
Ut vigilem huc statuat,
Qui redeuntem mortem intrare prohibeat.
Mach. Florille, actum est, herus morietur!
Epheb. Quid? vivo te, te vigile, Mors huc ingredietur?
Machaon, obsecro, ne desere Dominum!
Superba Mors,
Quæ integrum non timet exercitum,
Strenuum tamen sæpe metuit medicum.

Mach. Metuere se simulat, ut certiùs decipiat.
Dixi, Domine, actum est de corpore:
De anima provide!
Contra vim mortis non est medicamen in hortis.
*Anthr.** De anima maturè providi:
Accepi viaticum, Rationes composui,
Paratus sum itineri: & tamen (ô vis affectuum!)
Et tamen anima his innutrita deliciis
Trepidat egredi!..

A R I A.

1.

Sic morior! sic separor,
Et in ætatis flore,
A tot, quas amo, rebus,
A tot, quas alo, spebus,
Sic subitò abripior!...
Cor rumpitur dolore!..
Ah! Deus, quid peccavi?
An nimiùm amavi?..

2.

O violæ! ô tulipæ! **
Valete! & marcete!
Aut, num post me vivetis?
Num alteri crescetis?
Sit! sit! valete sine me,
Valete, non marcete!..
At mecum, heu! est finis!
Post horam ero cinis.

Ephеb. Ah! here! ùt ego sortem tuam fleo sincerè!..
Sed, quis ferit januam?

Mors.

* Medias inter delicias moriens, & velut in Paradiso terrestri.
** Imago deliciarum præsentium, quæ, ùt flores, citò flaccescunt.

Mors. Vitam vides intrare avidam.
Epheb. Io! vita, vita redit, here chariſſime!
Anthr. Vita? ſiccine?
Ergò meas audiſti querelas, ô bone Domine!..
Salve vita dulciſſima!
Accede ad me, ut teneam te!..
Quanquàm, eheu! in tantis doloribus
Quid juverit vivere?
Mors. Ceſſabunt dolores, nihil metue.
Sed mutanda eſt aura:
Eſt inſalubris hæc regio,
Itaque paratum ad iter videre te gaudeo!
Eja! mecum proficiſcere!
Anthr. Ubi igitur jubes me vivere?

Ariosè.

Mors. Ubi juventus nunquam ſeneſcit,
Ubi decor nunquam palleſcit,
Ubi amor nunquam tepeſcit,
Ubi ſanitas nunquam marceſcit,
Ubi gaudium nunquam decreſcit,
Ubi vita terminum neſcit. *S. Aug.*

Anthr. Regionem deſcribis feliciorem iſtâ,
Quam deſeram:
Sed iter, iter me terret: quid? ſi in via deficiam?
Mors. Nihil angere: *dormientem* transferam.
Mach. Si bene verba penetro, Domine,
Mors latet ſub vitæ ſpecie:
Cave, ne vana ſpe decipias te.
Epheb. Heu me! cur introduxi te!
Anthr. Túne Mors!.. ô amabilis mors!..

Mors.

Mors. Sum vitâ, & Mors,
Mors impiis, vita piis,
Et ô quàm præ ipsa vita magis amabilis!

Anthr. Enimverò desipui, quando te timui:
Qualem sæpe depictam vidi,
Osseam, lacerô vestitam linteô, telô armatam,
Et jam pœne vacuam quassantem clepsydram,
Talem te esse, credidi.

Mors. Talis sum, cùm abeo ad cædem impii:
At Mors Sanctorum
Pretiosa est in conspectu Domini. Psalm. 115.
Non venio *Minister Justitiæ*, sed *Legatus clementiæ*,
Qui *servum fidelem* introducat in gaudium,
Cui nullum aliud comparandum est gaudium.
Quare *jacturam præsentium* sine alios deplorare,
Qui post hanc vitam nihil habent ampliùs,
Quod possint sperare:
Tu ad futura gaudia cùm, duce me, properas,
Nugas, quas deseris, despice,
Et hilariter defere.

ARIA.

1.

Crede Deo:
Sursum eo,
Sursum ad delicias,
Quibus hæc, quæ æstimas,
Gaudia, si comparas,
Bulla, ventus,
Fucus, fumus,
Umbra, somnus,
Nugæ sunt.

2. Cor-

2.

Contra mentis
Sensum sentis,
Præter hæc si gaudia,
Improbis communia.
Nulla speras alia:
O! majora,
Veriora,
Reservata
Probis sunt!

Anthr. *Credo! spero!* rumpe moram! accelera horam!
Cupio dissolvi, & esse cum Christo!
Cupio, quia *diligo!*

Mors. Alas dat dilectio, quibus spiritus evolet!
Solvo vincula! proficiscere! evola!

Epheb. Heu! heu! mors oculos hero clausit!

Mach. Noli flere, si amâsti sincerè.
Non enim est mortuus, sed dormit,
Imò jam iterum in vitam æternam evigilavit.
O! ut moriatur anima mea
Morte consimili!.. moriatur!..
Anima! huc te compara!
Seriùs, aùt citiùs eadem etiam Medico
Eunda est semita. Moriendum!

A R I A.

Accinge te itineri,
Quod DEUS jubet ingredi:
Quid horres, anxia?
Est via quidem aspera,
Sed via tamen *unica*
Ad Cœli gaudia.

2.

O gaudia!.. ô gaudia!..
O gaudia digniſſima
Hoc emi pretio!
Sic empta ſunt, ô anima,
Ab ipſa SAPIENTIA,
A DEI Filio,

PUNCTUM II

Curæ ſalutis Modus.

SCENA I.

Fromondus. Potitianus.

Fromondus. AMice, tibi nota eſt vitæ meæ ſeries, ratio morum, animus, conditio, facta. Via, quam ambulo, non ducit ad cœlum, hoc intelligo: Nearchus totus ardet amore Cellæ, vidiſti: me exemplum allicit, & pœnitentiæ neceſſitas trahit. Sed retrahit timor ſermonum, vitæ ſolitariæ tædium, amor ſponſæ, ſpes honorum, indoles aſſueta licentiæ: quid ſuades? homini, qualem nôſti eſſe me, num audes ſpem ſalutis facere, niſi militiæ juxta, & aulæ valedicat? loquere, quod ſentis: quantúmvis enim repugnet mens ad conditionis mutationem, ſi tamen neceſſariam putes, mutabo: nam *cælum expeto, & volo ſalvare animam, quocunque labore conſtet.* *Pot.* Reſolutio heroica placet: neque eſt quidquam glorioſius militi, quàm poſſe ſeipſum vincere. Sed quò abriperis? Si judicas, militem & aulicum ſalvari non poſſe, nunquid condemnas me? *From.* Sile, in pudorem me agis. Si aulicus eſſem, & miles ſimilis Potitiano, non utique timerem animæ: ſed nunc! *Pot.* Opto, ut idem

cum

cum tuo judicium sit Dei de me! Cæterùm hoc habe à me principium: in oculis Numinis nihil interest, *qui* sis, sed *qualis*: Miles, aulicus, mercator, eremicola, sacerdos, perinde omnes salvari, omnes perire possunt. *From.* Hoc scio: imò assurgere in apicem virtutis *possum* in aula etiam, & inter arma, si possum divitiis uti sobriè, deliciis castè, honoribus modestè: sed, ut semper *velim*, hoc opus, hic labor erit. Blandior mihi de cautela, quam adhibeo: decerno præsentibus bonis *uti bene*, abuti nunquam: sed quàm diu constabo mihi? Dum utor, *ab ipso usu* cupido voluptatis accenditur, cura cœli paulatim expirat, succedit oblivio æternorum, Rationem affectus opprimit, admittitur scelus, abit in consuetudinem. Hoc prospicio, perpetuò futurum mihi, & tu, amice, scis, factum esse. Subinde redibo ad pœnitentiam, sicut redivi sæpius: quid tum? occasio, exempla, pravi habitus, licentia vitæ militaris retraxerunt, & retrahent in malum idem. Ita cadendo, & resurgendo agetur vita, donec cadam, nec surgam ampliùs. Novi me: persistens in sæculo vix me impendam vitæ constanter piæ: deerit aliquando *tempus*, aliquando *occasio*, *voluntas* plerumque. Aliorsum me rapiet affectio, aliorsum curæ, aliorsum negotia publica, & privata: pro rebus æternis multum erit, si interdum supererit quadrans horæ. Omnia cogitavi. *Pot.* Sic vivitur passim, non utique, sicut vivendum esset ex lege Christi. Propterea nitendum est contra torrentem, & eundum, non quà itur, sed quà eundum est. *From.* Tangis punctum difficultatis: ut ego à me impetrem, ut vivam in sæculo, *aliter, quàm vivitur*, hoc quis efficiet? non credo, non spero, non possum. *Pot.* Ita si habent res, non est, quod consulam: nisi relinquas omnia, vix eris salvus. Cùm enim una sit ad salutem via *moderatio affectionum*, ne abripiant nos extra septa Decalogi: ille, qui curam Cæli habet, necesse est, ut se resolvat vel *ad pugnam* vel ad *fugam*: pugnare igitur si non vis in sæculo, aut non habes

victoriæ ſpem de teipſo, ſupereſt, ut fugias ſæculum. *From.* Hem! nunc intelligo, quod dixit Paulus antea, cùm docuit, alios vocari ad ſolitudinem â Deo, ut *perfecti* fiant, alios, ut *pœnitentiam* agant: atque *illos*, niſi obediant vocanti, difficulter, *iſtos* omnino non ſalvatum iri. Has eſſe amabilis Providentiæ vias, hanc ſeriem gratiarum, hunc *curæ ſalutis modum.* *Potit.* Aſſentior nihil dubitans. Nunquam ego, quod toties vidi fieri, nunquam Aſceticam vitam contempſi, vitam, quam Evangelium commendat, & tot Sanctorum exempla comprobârunt, vitam remotam ab ambitu, ab avaritia, à deſideriis carnis, ab omni propè periculo & occaſione peccandi, vitam ſanctè otioſam, quia unicè occupatam in negotio æternitatis, vitam, ut brevis ſim, Angelicæ æmulam, nam Angelorum hæc eſt vocatio, SOLI DEO vacare. *From.* Veluti ſi expertus eſſes hoc vitæ genus, ita confidenter hæc elogia congeris. *Pot.* Quoniam huc ſermo deduxit nos, & ego amico loquor, tu hoc ſcito, olim juvenem aſpirâſſe me ad ſolitudinem: inviderunt parentes felicitati meæ, ex mundi more judicantes, prudentiùs familiæ, & mihi conſultum iri, ſi Aulæ, militiæque admoverer. Ceſſi per nimiam reverentiam importunis hortatibus, & conſilium quidem, non tamen amorem eremi abjeci. Itaque quoties per officium licet, atque offertur occaſio, *à turba hominum*, & *à turba negotiorum* expediens me, in ſolitudinem fugio, ut per aliquot dies cum DEO, cum animo meo, atque cum viro idoneo negotium ſalutis tractem. Ita per Numinis gratiam *curam cœli* conſervo, redeóque ad curas officii alacrior, ad pugnas contra vitium fortior. *From.* Divinum conſilium eſt; Sic enim ſolitudinis fructus guſtas, quin ſentias nauſeam perpetuitatis. *Pot.* Perpetuitas augeret ſolatium, & eligerem hodie, ſi liber eſſem, ùt vos: Nunc Marito, & Patri non licet, quod libet, agere. Sed en!

SCE-

SCENA II.

Fromondus. Potitianus. Macarius.

Fromondus. MAcarium video? *Macarius.* Jam Constantinus sum: facite hanc gratiam, magni hospites, & me Imperatori sistite. *Pot.* Quid petas, nescis: ah! nemo est *in hac vita* beatior, nemo *pro futura* securior, quàm qui nulli hominum aut servit, aut imperat, SOLI DEO famulans. *From.* Vestem suam Nearchus dedit? *Mac.* Et ego meam illi. *Pot.* Consensit Patruus? *Mac.* Si cras idem futurus sit sensus mihi, dimittet volens: sed hanc daturum se precibus noctem dixit, ut impetret mentem aliam. Ut placeo vobis? non iste habitus decentiùs nobilem vestit? *Pot.* Juveniliter plaudis. *From.* Verè jam Parentis in te imaginem video. Nearchus igitur iam induit Monachum? *Mac.* Cùm abiit à nobis Paulus cœnulam paraturus hospitibus, mutavimus vestes, uterque gaudens. *Pot.* At ille optimam partem elegit. *From.* Quibus oculis intuebitur Paulus hanc audaciam? *Mac.* Excusabit Nearchus, qui me coegit. *From.* Et ipse quid? *Mac.* Plenus solatiis in cella orat, totum se DEO consecrans. *From.* Irruo.

SCENA III.

Potitianus. Macarius.

Pot. TU verò quid sentis Constantine? quis agit Spiritus? quas alis spes? & quamdiu mutatio vitæ mulcebit animanimum: *Mac.* Magnanimis desideriis turget pectus: Majorum, & Parentis præcipuè glorioſis insistam vestigiis strenuè, nec erit dies, quæ me degenerem ab avita virtute videat. *Pot.* Laudo. Igitur quem vitæ ordinem, & modum statuis? quid primùm ages? *Mac.* Cras Cæsari me offeram, & castra sequar. *Pot.* Rectè: & postea quid? *Mac.* In castris Martiæ laudis appetens, quà feret occasio, promptus in omne discrimen ibo, ut palmas &

lauros metam. *Pot. Fortaſſe* favebit ſors: quid poſtea? *Mac.* Poſtea decoro pulvere ſordidus, glorià, prædáque dives redibo in aulam, laboris mercedem poſtulans, favorem Principis. *Pot.* Promoveberis, *niſi* curſum invidia ſufflaminabit: quid poſtea? *Mac.* Tunc de pulchra, & divite ſponſa cogitabo, ut familiæ poſteritati conſulam, & perpetuitati vetuſti ſanguinis. *Pot. Demus*, fore, quod ſperas: quid poſtea? *Mac.* Operam dabo amplificandis fortunis, & honoribus, quibus ſtirpis decus in apicem promovebo, omnibus Maioribus major. *Pot. Spes magnæ!* quid poſtea? *Mac.* In his curis, & ſtudiis conſeneſcens, ſupremam ætatem quietus, felix, hilaris, inter amabiles luſus nepotum agam. *Pot.* Et poſtea?... nihil, quod addas: habes? *Mac.* Nempe de Principe, de Republica, de meo genere bene meritus moriar. *Pot.* Sic finis erit: & per tanta molimina denique parâſti tibi lapidem ſepulchralem. Imò non erit finis: urgeo: morieris! & quid poſtea?... video te commoveri. Imprudens! repentè adeò obliviſci te decet ſanctiſſimæ inſtitutionis, qua te Patruus imbuit? ſpes *incertiſſimæ* ſic ſubitò inflârunt animum, ut terrenis immerſus æternorum penitus memoriam abjiciat? fac, nulla de tantis te fallat ſpes (quanquam ô quantæ fallent!) quæ de his omnibus ſolabitur morientem? fatere: hac nocte ſi moriendum ſcires, in aula vel caſtris mori malles, an in eremo?... loquere!.. non expectabas, opinor, ab aulico, & milite tam triſte monitum: ſed fortè, quòd â lingua minùs ſuſpecta veniat, vim in animum fortiorem exeret. Conſtantine! ſi te DEUS ad vitam ſolitariam non vocavit, nolim te confirmare; neque hoc ago, ut ab aula, & militia te avocem: ſed hoc moneo, ne falſa ſpecie auri ſtreperi deceptus abripi te patiaris per amorem vanitatum *à cura cœleſtium.* Morieris, & poſt mortem judicaberis. Quæretur, non, an fueris bonus aulicus, aut bonus miles, ſed an BONUS CHRISTIANUS: hoc cura primùm, hoc deinde, hoc poſtremò: & crede

Poti-

Potitiano (expertus loquor) quantumvis aliqui sive prudentiam suam politicam, sive ferociam militarem jactent, non datur bonus aulicus, nisi *qui cœlo cavet*, non bonus miles, nisi *qui timet DEum*.

SCENA IV.

Paulus. Potitianus. Macarius.

Paulus. TAlem te invenio, ô Macari! quid erubescis?... Potitiane, adoro Judicia DEI, quorum abyssus multa est! medius inter delicias, & mærorem versor. Nearchus meus est, Fromondus, nisi me animus fallit, etiam erit: & iste me deserit! imò non me deserit, sed te, ô JEsu, à vexillo tuæ crucis ad signa profani Martis improvidus transfuga. Amice, amavi hunc juvenem pro filio mihi: pro salute animæ hujus diu, noctúque anxius centies iteravi de die ardens suspirium: JEsu! quærens hanc animam sedisti lassus: redemisti eam crucem passus: *tantus labor non sit cassus!* institi! ut optimis præceptis imbuerem: invigilavi, ne incideret in laqueos diaboli: correxi errantem paternè: languentem ad exercitium virtutis excitavi: docui fraudes inferni agnoscere, ac debellare: & erat ille obsequens, erat docilis, erat alacris ad nutum, sic, ut ego spes optimas conceperim, & curæ meæ tædia consolans sæpe dicerem mihi: gaude Paule! terra, quam colis, bona est: fructum centesimum feret. Erit Macarius servus DEI, fidelis ad mortem erit. Nunc ecce! lætissimos flores optimæ spei subitò atrox pruina decoxit: non sum infelix? *Pot.* Meritò te queri video: nihil enim dedecet juvenem magis, quàm sequi impetum, non expectatô Majorum consiliô. *Paul.* Sed bene habet: defere me, infelix, & DEUM defere! en duos DEUS pro uno dedit, & sibi asserit: pro Macario Nearchus, Fromondus erit pro Constantino. *Mac.* Pater! *Paul.* Abi! abi, quò te non DEUS sed cupiditas trahit. Labes ingrati erga me animi, inurba-

na

na festinatio, audax vestium commutatio facta ignaro me, loquuntur contumaciæ crimen, & malum grave præsagiunt eheu! animæ mihi tam charæ impendens. Oro DEum, ne sim propheta: sed hoc me diuturna experientia docuit: malè pereunt juvenes, quorum vitam non consilium, sed impetus regit.

SCENA V.

Marinus. Leander. Fromondus. Nearchus. Potitianus.

Marinus. ET quæ est ista stultitia, Pater, quod connivente te, sic Nearchus se nobis ∫istat? *Leand.* Potitiane, non oculos cruciat hic aspectus? *Nearch.* Amici, exuit mundum mens: abrupi me ab omni spe sæculi, & DEO servire statui, & hoc ex hora hac, in loco hoc: vos, si imitari piget, nolite adversari. Fromonde, quid oculos terræ figis? cælum aspice! cælum sit in amoribus! *cœli jacturam* time! aut num ego displiceo tibi? *From.* Imò ego mihi. Luctatur adhuc animus: hinc opes, gloria, sponsa, exempla Majorum trahunt: isthinc virtutis rigor, difficilis cum carne pugna, solitudinis horror terrent. *Nearch.* Finem, finem aspice. Opes, gloria, sponsa in cineres eunt: rigor in gaudium, pugna in triumphum, cella in COELUM definit. *Pot.* Video indutum virtute ex alto: Spiritus, Spiritus divinus, Nearche, te sibi rapuit: gratulor beatam sortem æternæ prodromam. Ora pro me! luctari me cum fluctibus sæculi necessitas cogit: inde non nisi cum maximo labore, & summo periculo enatabo in littus, in quod te secura navis propè dormientem appellet. *From.* Discerpor effectuum inter se pùgnantium rabie: Socii, relinquite me mihi solum. *Paul.* Ora, Fromonde, oratio lumen impetrat, fert quietem. *Nearch.* Ora Magnum Antonium, ut quod cœpit exemplô agere, perficiat patrocinio.

SCE-

SCENA VI.

Leander. Nearchus. Paulus. Potitianus. Macarius.

Leand. NOn ita facilè, ùt vos putatis, confectum negotium est: vinctus es, Nearche, Cæsar, & sponsa tenent. *Marin.* Paule, ego de Nearcho sorori scripsi: illa responsorias inscripsit sponso: Nearchus epistolam vix oculo dignatus ne aperuit quidem, jamque admovit igni, crematurus non lectam, nisi ego eripuissem. Quid? tam crudum facinus Spiritus S. docet? *Nearch.* Pater, Nearcho inscriptio facta est: Nearchus jam mortuus est. *Leand.* Dedisti fidem: teneris ducere. *Nearch.* promisi ducere præ quavis ipsam, si ducturus sim aliquam: jam nullam duco, & nulli teneor. Amorem profanum extinxit sacer: amet soror tua, quem volet sponsum: me amari nolo. *Marin.* Negotium conficiendum cum ipsa erit: responde litteris saltem, hoc humanitas postulat. *Nearch.* Muliebres fraudes timeo, & Evæ blanditias. Dicite, me bene valere: responsum est satis. *Paul.* Date litteras mihi: ego legam. *Nearch.* Acquiesco: habe. *Pot.* Pacificè res agamus. Amici sumus: Amicorum est gratulari amico bonum, quo beatur, non surripere: nemo corrumpat hujus diei, & noctis lætitiam. *Marin.* Consulendum tamen sororibus erit. *Leand.* Et Cæsaris postulandus consensus. *Pot.* Cæsaris approbationem ego spondeo. *Nearch.* Ego spero: liberi sumus, & nullô sacramentô obstricti: quo jure repugnit nobis? cæterùm obstringis, si efficias, ut liceat, etiam à sollecitatione quietis esse. *Pot.* Licebit: sponsor sum. Te quoique, Constantine, reconciliabimus Patri, si potes pati moram, ut tuæ mutationis consilium maturè examinet. *Macar.* Si quid peccatum est, imprudentiæ illud, non malitiæ peccatum fuit: Pater, salvari volo! *Paul.* Vocetur Fromondus! Digitus Dei est hic! laudemus Dominum: plana sunt omnia. O Deus, ô

magne DEUS, quæ prodigia patras in animis hominum! *Pot.* Quid exclamas Pater! *Nearch.* Sponsa meum consilium laudat?

SCENA VII.

Accedit Fromondus.

From. AVocas ab oratione, mi Pater! quàm pæne in portu fui! *Paul.* Audivit preces Dominus: per te, Nearche, liceat, ut litteras Fromondus legat. *Nearch.* Lege. *Fro. Nearcho Sponso Sponsa salutem dicit. Nearch.* Habeo. *From.* Quid hæ ad me? *Paul.* Perge modò. *From. Accepi à fratre litteras hac ipsa hora, qua tibi rescribo. Significat, repentè decretum vitæ solitariæ te concepisse, & abdicata militia sæculari, ut securiùs cæli jacturam effugeres, statuisse DEO soli servire.* Nearch. Scripsisti bene. *From. Addidit: tuo accensum exemplo Fromondum similes animo cogitationes jam volvere, & toto corde in paria desideria exarsisse...* Sed nondum ita fortis sum, ut decreverim. *Paul.* Perge. *From. fortè, cùm hæc legerem, unà mecum erat Fromondi sponsa, quæ, sicut, quod nósti, semper à nuptiis abhorruit, ita nunc:* amici, quid lego! *Marin.* Perge! *From.* Stupete animis, rem admirandam lego: *sicut semper à nuptiis abhorruit, ita nunc exiliit repentè, & plena gaudio, suffusis lacrymis, ac in genua procidens elatis in cælum manibus & oculis exclamavit: O DEUS, si meus Fromondus se dicat tibi, sit testis cælum! non impediam: quin ipsa etiam, quod cupiebam diu, voveo in oculis tuis cultum inviolabilem perpetuæ Virginitatis. Marin.* Amice quid audio? *Leand.* Audiamus omnia. *From.* Laudo factum: & erubesco me; legat alius. *Leander.* Pergo: *dicebat hæc cum tanto fervore animi, & vultûs, ut ego pariter inflammata, effuso in dulcissimum fletum mirabili*

solatio,

solatio, eodem me votô sine mora obstrinxerim. *Marin.* Jam ego inclino caput Numini, quod hæc prodigia facit. *Nearch.* Leander, heroinam sororem habes: rursum amo, quia desiit amare me, ut amaret eum, qui solus amabilis est. *Leand.* Concludit: *Gratulamur utrique sanctitatis tyrocinium: gratulamini vicissim nobis: beatæ sumus, quia nos Christus desponsavit sibi: valete, & orate pro nobis.* *From.* Papæ! surgunt mulieres, & rapiunt cælum: nos viri contenti erimus terris? *Leand.* Amice: ego accedo gratulantibus: tanta mutatio à cælo est. *Marin.* Ego nescio, ubi sim! undique circumstat me admiratio, stupor, extasis! nisi isti homines promulsidem cælici solatii gustent, & aliquid divini nectaris, non possunt sic consentire. *Leand.* Certè nihil hìc, quod agat, natura invenit, nihil diabolus. *From.* Totus in te ardeo, DEUS mi! ignosce imprudentiæ deliberantis tam diu! pudet, à mulieribus fuisse præventum! *Nearch.* Ah! tu es Dominus optimus, quo meliorem nemo optare potest! *From.* Tu es Dominus Maximus, cui non datur par! Quàm stolidus homo est, qui mavult servire alteri, quando tu vocas ad te! vocas me: audio! vocas: æstimo gratiam! vocas: adsum! abite parerga sæculi, miseri mancipatûs insignia! liber sum: soli Deo devoveo libertatem: sic statutum est: *Vade retrò Satana! Dominum Deum meum adorabo, & illi serviam, soli! soli!* *Paulus.* Macari, quæ est mens tua? *Macarius.* Pudor, dolor, pænitentia affligunt animum: disco ab expertis, quid sit aula, & militia: CÆLI JACTURAM timeo. Recipe in Filium Pater! *Paul.* In horas mutaris: probari debes: i, veniam juvenismi à DEO pete. *Marin.* Et nobis quid suades? *Leand.* Nisi exemplum sequamur, non salvabimur? *Paul.* Absit, ut dicam hoc: hoc moneo, ut prima sit vobis *cæli cura*, postrema terræ. *Pot.* *Æquitas* postulat. *Paul.* *Modus curæ*, aut *pugna*, aut *fuga* est. *Fugam* socii elegerunt, quia DEUS huc traxit: vos si non trahit, vult, ut *pugnetis.* Securior est via

prior, necessaria altera. Sed plura de hoc argumento suggeret ista nox: erit tamen hoc doctrinæ compendium: si deficit animus in facinus tamen illustre, ut DEO soli decernatis servire, saltem servite nemini, nisi *propter Deum*, certè nemini *contra Deum*. *Pot. Leand. Marin.* O ut saltem hoc!

MEDITATIO IV.

Quartum Timoris Argumentum.

INFERNUS.

ARGUMENTUM.

IACTURA COELI exterrendis animis nobilioribus abunde sufficit, ut excitentur ad curam salutis per quantúmvis difficilia media procurandæ: Sed ut aditus *salutari timori* aperiatur in corda hominum crassiorum, quos Apostolus 1. Cor. 2. *Animales* appellat, necesse plerumque est, ut INFERNUS exhibeatur sensibus, atque futura mala ipsis oculis subjiciantur. Hac arte (quod in Historia Ecclesiastica legimus) S. Joannes Apostolus Elpidium quendam ad bonam frugem reduxit. Adolescentem multis ac magnis naturæ donis illustrem haud procul Epheso natum instruxerat ipse, baptizaverat, optimis præceptis imbuerat, & in alias Asiæ Ecclesias discedens Episcopo loci sollicitè commendaverat, fore sperans, ut ad magnum Fidei Christianæ ornamentum crescceret. Verùm Episcopus, quàm par erat, indulgentior *libertatis avido* per suam conniventiam frænum laxavit: unde Juvenis seleriter crocitare cum corvis coepit, bonis dotibus ad flagi-

tia

tia uti, dedere se fœdis voluptatibus, insuper ut pecuniarum inopiæ ad scelera consuleret, applicare animum ad furta, (ut fere solet audacia per gradus ire) imò in rapinas etiam ac latrocinia devolutus, vicino nemore occupato, factus est Dux illorum, quos ad scelera authores habuerat. Joannes post plures annos Ephesum reversus, cùm intellexisset miserabilem interitum suæ spei, Episcopo quidem graviter iratus fuit: Elpidii verò tenerè misertus, assumpto viæ duce festinavit in silvam, errantémque oviculam multis blanditiis ad se allectam expugnata per expositas, quas ipse in Apocalypsi viderat, *Inferni pœnas* obstinatione, gaudens ad ovile reduxit. Erit ergò hujus Meditationis

Materia, Horror inferni.

Puncta duo: 1. Pœnarum certitudo.
2. Pœnarum atrocitas.

Fructus. Timor DEI VINDICIS.

Propositum. Fuga VITÆ DELICIOSÆ, qualis eorum est, qui vim naturæ nullam facienres, licere sibi volunt, quod libet.

Chorus Ostendit multos, qui *ex spe facilis pœnitentiæ* peccant, olim experturos, à falsis pœnitentiis infernum impleri.

PERSONÆ.

S. Joannes.
Elpidius.
Lambinus.
Lorinus.
Misander.
Muraldus.
Sterops.
Godinus.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad præsentem.

Fides, Ratio.

Ratio. TErribilis est locus iste, *
Et *Castra Dei sunt hæc* Gen. 32.
Castra in caput rebellium
Totum Divinæ Nemesis
Effusura armamentarium.
Fides. Adverte, quàm *Timor Domini*,
Ut Cor hominis ad deditionem compellat,
Sensim, & *per ordinem* soleat opus aggredi.
Primùm, *bellum denuntiat*,
Et *legi mortis* se subiiciendi necessitatem significat:
Deinde monet, quantum sibi debeat,
Exigitque debitum *per Tubicinem*,
Qui contumaci extrema minetur,
Et *rigidum Judicem:*
Quòdsi *post hæc* necdum sapiat,
Statu gratiæ deiicit, & *jure Cœli* spoliat.
Denique adhuc restitanti *infert arma*,
Et ad obstinationis ultionem
Omnes creaturas producit in aciem. *Sap. 5.*

A R I A.

1.

Ad nutum Timoris
Stat singulîs horîs

Inten-

* Exhibentur castra mystica.

Intentus in cœdem Malorum
Exercitus mille Tortorum,
Qui Nemesîs iræ
Jurârunt ſervire:
Nec tardæ in caſtra,
Cunctarum
Huc ferent ſe peſtes terrarum.

2.

Sic *Aqua* trans montes, *Gen. 7.*
Sic *Aër* in ſontes, *Exod. 9.*
Sic *ignis* in Sodomam ivit, *Gen. 29.*
Sic *Tellus* rebelles glutivit: *Pſ. 105.*
Huc *flumen* vocatur, *Job. 41.*
Hìc *grando* armatur: *Exod. 9.*
Quin ſervit his bellis
Et turba imbellis
Ranarum, Bruchorum, Muſcarum. Pſ. 77. Joel. 1. Exod. 8.

Ratio. Et tamen ad tantæ horrorem potentiæ
Quàm multa corda non movent ſe!
Imò *propter mala*, quibus premuntur, magìs ferociunt;
Et, quo turgent, venenum impatientiæ
Adversùs Cælum procaciter expuunt,
Pergúntque ſcelera Sceleribûs cumulare,
Et flectere cùm nequeunt Superos,
Auxilium ab Acheronte non dubitant poſtulare.

Fides. *Peccando* volunt evadere *peccati ſupplicium!*
Ratio. O impium! ô inſanum conſilium!

ARIA.

A R I A.

1.

Ratio!.. Ratio, ubi es?
Siccine idoneum
Culpam esse medium
Pro *pœna* avertenda
Tu tibi censeas?
Furi ut patibuli
Effugiat supplicium,
Furari suadeas?
O! furore plena spes!
Ratio!.. Ratio, ubi es?

2.

Quæ furenti Boreæ
Quercus non inclinat se,
Ipsis cum radicibus
Evulsa sternitur:
At submisso capite
Quæ myrica curvat se,
Nihil grave patitur:
Tanti est in scelere
Non obstinare se.

Fides. Rectè exprobras:
Sed, quia multi non habent aures, ut audiant,
Fatigata denique Dei *Patientia*
Extrema cogitur expedire supplicia,
In quorum comparatione *hæc mala*, quæ vides;
Levia sunt *Dolorum initia*, Matt. 24.
Imperfectæ *picturæ*, & vix vocanda *symbola*.
Infernus, infernus *locus est tormentorum*, Luc. 16.
Immanium, multiplicium, æternorum.
Huc, soror mea, descendes hodie!

Hodie

Hodie ſic in te *Timor Dei* firmabitur,
Et per timorem *Amor*,
Ut ſi quando neque *mors* ſufficiat, neque *Judicium*,
Neque *Jactura* te moveat *gaudiorum cœleſtium*,
Saltem *Inferni Memoria* retineat impetum
In voraginem ſcelerum.
Rati, Erit horrida Meditatio:
Sed melius eſt pœnas illas horrere, quàm ſuſtinere:
Juvat, juvat videre.

A R I A.

1.

Te, DEUS meus, rogo,
Ut votum audias,
Ut ex inferni rogo
Scintillam auferas!
Incendium Divinum
Ne ceſſet urere,
Mittantur in hunc ſinum,
Flammæ ſulphureæ!

2.

O timor, qui dediſti
Amori vivere,
Quam prolem genuiſti,
Eſt tuum, alere:
Eſt amor ignis: ignis
Ab igne alitor!
Nec ſtygiis præ lignis
Eſt torris melior.

MEDITATIONIS IV
De Inferno.
PUNCTUM I.
Pœnarum Certitudo.

SCENA I.
Joannes. Lambinus. Godonus.

Lambinus. AH! Pater! *Joannes.* Quis te subitò metus exanimat? *Lamb.* Nunquam me, nisi hodie, obedîsse pœnituit. O si me, si te amas, gradum ultra nullum promove: redeamus in urbem. *Joan.* Scilicet hoc est latibulum scelerum, in quod se meus Elpidius abdidit? *Lamb.* Hoc est, ex quo proruerunt nuper cruentæ belluæ, & amatissimum fratrem rapuerunt mihi. Prô! quàm vicinus ego etiam barbaræ neci fui! effugi demum: sed tu periisti frater, dimidium mei! Superi!.... quid audes? ipsam speluncam latronum intras? hodie post fratrem Pater quoque peribit mihi? *Joan.* Vacuus locus est. Prædatum nempe abiit, quem prædam cupio: expecto reducem. Tu te periculo eripe, fili mi: habeo gratias pro charitate. Dux viæ fuisti mihi vel ad victoriam, vel ad Martyrium: utrumque in votis est: grates habeo. *Lamb.* Filium vocas: nec audis preces durus Pater! ah! si quid filii amabile nomen valet! *Joan.* O Cælites, quid hominis video? *Lamb.* Heu! latro! *Joan.* Siste: in captum incidi: manus & pedes ligati sunt. Quid, si Godonus frater sit? *Lamb.* Cadaver est. *Joan.* Spirat. gravis hominem somnus habet. *Lamb.* Somnus, in hoc inferno! *Joan.* Simplex! vestibulum

cæli

cæli est ista specus, si cum carcere inferni compares. *Lamb.* Est frater meus, Godonus est! *Joan.* Lauda providum semper Numen, quod tibi fratrem reddidit in charitatis fraternæ præmium. Godone fili mi! *Lamb.* Godone frater! *Godonus.* Quis me? *Lamb.* Frater vocat, nihil metue tibi. *God.* Heu! frater inter latrones mecum! *Joan.* Solve vincula! celeris fuga utrumque salvet. Citò! *God.* Quæ me hodie felicitas amat! ô frater! *Lamb.* Patri accide: Christi Apostolum Joannem vides. *God.* O qui nos olim cælo genuisti, Pater mi! *Joan.* Vive modò, & fuge mi fili! erit, si Superis placet, fabulandi occasio opportunior paulò post. Nunc, si amicum agnoscitis, moneo, si Patrem, impero: fugite! *Lamb.* Jungamus preces frater! sine te fugere, Pater mi, neque honestum est, neque utile: ergò per quidquid amas, obsecro, nobiscum fuge. *God.* Quid ego loquar? nam si fugati casu aliquo latrones sunt, cur fugam suades? si absunt redituri, cur tu persistis? *Joan.* Elpidium quæro. Ah! *God.* Elpidius adhuc in memoria est? Mutavit cum vita nomen: Leandrum voca. Vix visum me, minùs auditum projici in specum jussit impius, & in hanc diem servari, qua DEO latronum Mercurio sacrificaret solemniùs. *Joan.* Quid audio? cum innocentia fidem quoque abjecit miser? *Lamb.* O scelus hominis! *God.* Jam vigesimus dies agitur, quo cum extremis miseriis luctor in tetra scrobe. *Joan.* Non illum, ut mitius ageret, antiqua tecum puero familiaritas movit? *God.* Vel dissimulavit me nôsse barbarus, vel verè tot annorum lapsus delevit imaginem mei. O si loqui homini licuisset, quàm non obiter oggessissem vel invito sacra axiomata, quæ tu baptismali fonte mundatis tam anxiè inculcâsti, & ille tenuit diu, donec pessima societas aliam doctrinam docuit. *Joan.* Et incurii Pastoris indulgentia malum nutrivit. Sed faxo Princeps Pastorum JEsu, ut hodie ad caulam redeat ovis perdita! *God.* Hac spe venisti? & tu improvide, ausus es ducere ad locum scele-

rum? *Joan.* Obedire jubenti Patri necesse fuit. *God.* O Pater, næ tu malè Elpidium nôsti: non est is, de quo spes frugis aliqua possit capi. Ne auditus quidem victima furori cades, succedanea mihi, si ego fugero: non licet fugere sine te. Ah! serva te nobis porro! septem in Asia Ecclesias regis: tantíne sit homo unus, ut in illius gratiam tot populos in discrimen adducas perdendi pastorem suum! *Joan.* Exemplum summi Pastoris movet. Nonaginta novem in deserto reliquit, & centesimam ovem requisivit, ne postquam fuerat perdita, etiam periret. *God.* Pereat ovis, quæ vult perire: propriâ culpâ perit! *Joan.* Sic decet loqui te, & Joanni sic! tantillo in pretio est anima tibi? *Pereat ovis, quæ vult perire!* prô! sententiam dignam profanâ linguâ, quam nulla charitas sacravit sibi: Væ! si de vobis idem dixisset Christus! *Lamb.* Da veniam, magne Apostole, si vox imprudens amanti excidit. Loqui coegit tuum periculum, loqui totius Asiæ salus ex tua salute pendens! Demus, perire Elpidium: una anima perit: tu verò si cadis victima crudelitati, quod metuo, neque salvus erit Elpidius, neque animæ illæ omnes, quæ salutem à te expectant, si te diutius indulges orbi. *God.* Vive, obsecro, & nobiscum te neci eripe. Jacturam unius animæ compensabit lucrum millenarum. *Joan.* Iterum Satanæ vocem audio: vade retrò! utinam, ô boni, stetissetis mecum sub cruce Domini, didicissetis utique, quanti sit anima vel una pretii. Aut, quod garritis mihi, forsitan dixissetis Christo etiam: *Descende de Cruce! Judæam defere! orbi reliquo te concede! fac perire Judæam: unus popellus perit! nondum annum vitæ quartum supra trigesimum habes: gentibus prædica! jacturam unius anguli compensabit lucrum multorum regnorum.* Vah! digni Consiliarii, quos æterni Patris Sapientia audiat: Sed hoc scitote: si spes est lucri animæ vel unius, incurrere pastorem decet vel in medios lupos. Ille, qui inter leones Danielem servavit, luporum etiam constringet rabiem, si meâ pro ovibus operâ diutiùs uti velit: uti si

porro

porro nolit, non possum, nisi in hoc conatu glorioſiùs mori. Reliquæ Asiæ providebit de alio DEUS, qui nullo indiget. Piscator fui: fecit Apostolum verbô Dominus: vocavit me ante alios: vocabit alios post me. Firma sententia est, hic expectabo, ut EX INFERNO Elpidium rapiam. Vos obedite tandem, & fugite. *God.* Obedimus, & nuntiamus civibus frater, malum imminens Patri: armati excurrent huc, quotquot addixerunt se Christo. *(fit sibilus) Lamb.* Heu! frater! *Joan.* Fugite! *God.* Dividamur, ne ambos capiant.

SCENA II.

Joannes. Muraldus. Lorinus. Misander. Sterops.

Muraldus. STate! *Joan.* In me convertere! *Murald.* Hàc profugit alius. *Lorinus.* Insequor. *Murald.* illac tertius. *Sterops.* Non evadet. *Misander.* Prædam tenes? *Mur.* Utinam sit opulenta. *Mis.* Excutiamus. *Mur.* Quid tu sic oculos figis in me? *Joan.* Non es: neque tu es! *Mur.* Quis ego non sum? *Joan.* Cui cupio loqui? *Mis.* Tu loqui latroni cupis? *Joan.* Ideò huc me contuli. *Mur.* Non times nos? *Joan.* Pauper latrones non timet: quid enim auferetis nihil habenti? *Mis.* Vitam puta: an hoc est nihil? *Joan.* Vitam morbus, an latro auferat, quid meâ interest? mori non timeo. *Mur.* Jactantia! *Joan.* Cur timeam? mors mihi finis est vitæ miseræ, initium beatæ. *Mis.* Ergò tu etiam post mortem vives! *Joan.* Æternùm vivam. *Mur.* Ubi vives? *Joan.* In cælo, supra solem, & stellas supra. *Mis.* Quis hoc promisit tibi? *Joan.* Fidelis DEUS. *Mur.* Tibi locutus est DEUS? *Joan.* Noviſſimè locutus est mihi in Filio. *Mis.* Ubi, & quis est ille Filius Dei? *Joan.* Annis abhinc viginti in Judæa passus est sub Pontio Pilato, & mortuus inter duos latrones. *Mur* Hei! Filius Dei inter latrones: quæ combinatio? ut blandos nos

habeas, istud garris, an ut illudas? *Joan.* Nec inter latrones modò, sed etiam pro latronibus passus est. Si litteras didicistis, legetis in his foliis horrendam historiam, quam scripsit, qui præsens adfuit, qui vidit morientem, qui post tres dies redivivum adoravit, ac denique suis oculis spectavit ascendentem in cælum, quò secum extulit ex latronibus cum ipso crucifixis alterum, quòd scelerum veniam moriens rogavisset. *Mis.* Suavis nugator es, ex iis, si rectè intelligo, qui Christum colunt, illum Novitium Deum? *Joan.* Deum unum ac solum ante sæcula! *Mur.* Jo bellè! nobis igitur spes cæli est, si latro potuit cum Christo ingredi? *Joan.* Est, si in Christum creditis, si pœnitentiam agitis, si vitam vivitis dignam homine, pro quo mori voluit Filius DEI. Atque ut intelligatis, cur adsim, hoc scite, ut ad pœnitentiam horter, ex Epheso veni. Amo vos, quos oderunt, & persequuntur, & perditos cupiunt omnes alii: amo, & salvos desidero. *Mur.* Stolo, putas latrones blanditiis capi? *Mis.* Aut si verè amas, age, quid in nobis amabile vides? cur amas? *Joan.* Amo, quia Christus amavit, qui vidit in vobis dignam amore suo *animam*, quia spiritualem, quia immortalem, quia signatam imagine Magni Dei, quia creatam hoc uno fine, ut Deum æternùm amaret, & à Deo æternùm amaretur. Quid? non tigris sim, nisi hæc argumenta vos mihi amabiles faciant? *Mis.* Egóne sum tanti? si vera memoras, incipio placere mihi, & in pretio esse. *Joan.* Hoc velim: nam ad æterna gaudia natos ultrò se abdicare jure cæli, quod vobis Dei Filius pretio Sanguinis sui comparavit, præcipitíque cursu in æterna supplicia ruere, egóne patiens videam? *Mur.* Linguam nobis ignotam loqueris: de Christo tuo audivimus obscurè aliquid: meliùs olim imbutus erat, qui nobis præest: Illi de hoc argumento loqueris felicius. Et en! ingreditur. *Joan.* Hic ille meus est!

SCE-

SCENA III.

Accedit Elpidius.

Muraldus DOmine, tenemus hominem aut Divinum, aut insanum: nam nihil timet. *Mis.* Captus cepit nos: ita repentè familiaris tanquam cum fratribus agit. *Elpidius.* Hominem vagum iste habitus loquitur: spoliatum in vincula rapite, donec examinem. *Mur.* Omne spolium hæc folia sunt. *Mis.* Quid hoc video! ruptis funibus captivus effugit? *Elp.* Malum! hæc vestra sedulitas est, hæc vigilantia? *Joan.* Nihil istis irascere, Domine: ego dimisi liberum hominem. *Elp. Mur. Mis.* Audax facinus! *Joan.* Quid poteram aliud? hominem innocentem in vinculis gemere, destinatam sacrilego trunco victimam sine motu viderem? aliud Christiana charitas imperat erga Christianum præcipuè, qualis est, quem vinctum tenuistis. Jussi fugere, & me pro illo sisto. *Mur.* Non effugiet: reducent socii, qui persecuti sunt statim. *Joan.* Spero evasisse: si tamen retraheretur, oro, ut parcatis illi in Elpidii gratiam, qui miseram, quod audio, inter vos vitam vivit. *Elp.* Convitiator es. Vitam Elpidius beatam vivit, postquam excussit jugum obedientiæ, & vivere ad lubedinem cœpit. Sed cur propter Elpidium captivo parcamus? *Joan.* Quia, qui captus erat; Godonus fuit, cum Lambino fratre olim familiariter convivens Elpidio, priusquàm illum mala societas avertit à bonis. *Elp.* Audacter: Unde tu istud nôsti? *Joan.* Quoniam Elpidium à puero novi. Adolescebat in magnas spes, sub Joannis Apostoli disciplina, crescebátque sicut ætate, ita gratiâ apud DEum & homines. Itaque Joannes delectatus hac indole, cùm ad alias Ecclesias curæ Apostolicæ avocarent, Episcopo Ephesi adolescentem tanquam pretiosum depositum anxiè commendavit. Oscitanti deinde vos rapuistis. *Mis.* Mentiris: nam invitantes secutus est ultro. *Joan.* Scio, sed deceptus à vobis per venenatam

tam dulcedinem falsæ libertatis, qua irretitus stolidè in has calamitates conjecit se. *Elp.* Calamitates vocas, quas ipse delicias arbitratur: rideret, si te audiret. *Joan.* O ut audiret me? repente sceleſtæ vitæ tædio caperetur, & desiderio melioris. *Elp.* Falleris: non est homo ita mobilis modò, ut fuit olim. Aut age, quibus argumentis persuadere tu viro morum mutationem sperares? *Joan.* Nimirum infamis vitæ gravissimum dedecus vivaci sermone sub oculos ponerem. *Elp.* Contemnit. *Joan.* Periculum describerem acerbæ, atque turpissimæ mortis sub manu carnificis. *Elp.* Nullum apparet. *Joan.* Labem enarrarem nobilissimi Sanguinis. *Elp.* Oblitus est. *Joan.* Laudarem corporis & animi dotes ad summa quæque idoneas. *Elp.* Perdidit. *Joan.* Spem veniæ scelerum apud DEum & homines excitarem. *Elp.* Non desiderat. *Joan.* In memoriam revocarem primæ innocentiæ suavissima gaudia. *Elp.* Perierunt. *Joan.* Flagitiorum immanium horrendum numerum, fœditatem, pondus objicerem, ut ream conscientiam pudor, timor, dolor aliquis pungeret. *Elp.* Occaluit. *Joan.* Ergò DEum in cruce exhiberem, cui fidem juravit homo, cùm baptizabatur. *Elp.* Deseruit. *Joan.* Ultimum arietem adhiberem à minis: cælum fulminans, iratum Divinum Judicem, atrocia tormenta inferni, & pœnas æternas prædicarem. *Elp.* Non credit. *Joan.* Eheu! credam ego Elpidium in abyssum adeò profundam abreptum esse! sed nondum desperarem: si bonus, si Christianus esse desiit, adhuc tamen homo est. Amavit Joannem puer, amatus à Joanne vicissim amore tenerrimo: si igitur per Apostoli nomen, merita, sollicitudinem, amorem, beneficia obsecrarem, ut se respiceret infelix, non se in corde Elpidii affectus humanus moveret? Illustres natales habet, ex legibus urbanitatis educatus fuit, grati animi erga beneficum Patrem honestas neque inter belluas omnino abjicitur: igitur commoverem, ut colloqui Joanni non detrectaret saltem. *Elp.* Minimè omnium: pude-

ret

ret enim subire vultum hominis, quem olim reverebatur. *Joan.* Quid? si adducerem Joannem huc: adeóne crudè acturum putem, ut aspectum refugeret? *Elp.* Joannes Elpidii non meminit amplius, aut, si meminit, detestatur. *Joan.* O te falsum! næ tu nihil Joannem nôsti. Pastor si ovem perdit, flet, discurrit, quærit, & si reperit, gaudet, amplectitur, exultat: & Joannes perditæ animæ sit oblitus? nolite hoc credere de Apostolo Christi: aliud à suo Magistro est doctus, aliud charitas, & commiseratio imperat, qua prosequitur clientem stantem in præcipitio horrendæ voraginis, in quam projectæ victimæ Divinæ Justitiæ *igne salientur*, Marc. 9. Sed quamdiu tu dissimulabis te mihi? non videris commotus nihil: nunquid tu Elpidius es? es! rubor aliquis faciem subit: nondum emortuum est omne semen, quod Joannes in isto pectore seminavit. Elpidi! *Elp.* Abripe Sycophantam, Muralde! *Joan.* Elpidi!

SCENA IV.

Elpidius. Misander. Muraldus.

Elp. Abripe! .... ùt me attonuit sermo viri! latere Misander, putabam me, & haberi pro mortuo: unde huic innotui? quem se dixit esse? *Mis.* Non aliud nobis, quàm tibi dixit. Quin tu audis omnem sermonem: discres, quæ scire proderit, quid de nobis homines dicant, quid forsan à Præfectis imminеat mali: vir simplex narrabit sincerè. *Elp.* Vos explorate: me pudor vetat subire oculos hominis, qui me nôsit. Homo audax paulatim cœpisset convitia dicere, & enumeranti scelera mea qua fronte auscultarem? *Mis.* Consuetudo altera natura est: credebam pridem abjectum à te pudorem esse. *Elp.* Elpidius sum, non Misander. Adhuc in venis nobilis sanguis bullit, & amor honesti atque DEI VINDICIS timor tenuem quidem, aliquam tamen vitam habet: occidi patientiùs feram,

quàm proſtare oculis, qui me adeò à me diverſum viderunt olim. *Miſ.* Quid, ſi ex iſtis foliis intelligeres aliquid? *Elp.* *Sanctum JEſu Chriſti Evangelium ſecundùm Joannem*: Inferi! malum ſuſpicor grave nimis: aut Joannes, aut à Joanne hic homo eſt. *Mur.* Leander: loqui plura captivus deſiderat impatienter tibi, hoc unum votum. *Elp.* Inane votum: dicat, qui ſit, quid velit: urgete.

SCENA V.

Lorinus. Lambinus. Sterops. Elpidius. Muraldus. Miſander.

Lorinus. MActari pro altero debes. *Lambinus.* Lubens pro fratre moriar. *Sterops.* Duos, Domine, perſequebamur: alter evaſit per avia, quem in vinculis tenueramus. *Lor.* Iſte dimiſit captum: duplicis eſt mortis reus. *Lamb.* Bellua! nôſti me? *Lor.* Sic Principi, crude! *Lamb.* Poſt horam moriturus loqui non timet. Quid aſtas mutus? age, ſatia te hirudo familiarium ſanguine: ita celeriter attinges verticem ſcelerum, niſi jam ſuperâſti etiam nefandi parricidii reus. Nam cur ego meum hic nusquam Joannem video? *Elp.* Quem tu Joannem vocas? *Lamb.* Sic? ipſam adeò memoriam extinxiſti venerandi nominis illius viri, qui nos tantâ curâ aſſerere cœlo, inferno eripere adlaboravit? Heu! ſi forte jam eſt occiſus Apoſtolus Chriſti! non loqueris barbare? *Elp.* Prô! ſcelus meum! *Sterops.* Ceſſas latrare canis! *Lamb.* Imo nunc irrugiam triſti lamento: heu! periiſti Joannes! actum eſt! audivi gemitum, quem ſingultivit horror ſceleris, quod patrâſti. O tigris! *Lor.* Nam quis eſt hic novus agendi modus, quòd ſilens audias dici probrum? *Sterops.* Ego maledicam linguam ex faucibus eruam! ultimis pœnis audaciam lues. *Lamb.* Nihil horreo: erunt, qui vindicabunt. Evaſit Godonus frater: ille ſcit has veſtras latebras, & armatam Epheſum in vos educet. Elpidi, provide tibi:

ultionem

ultionem sanguis Joannis clamat. *Sterops.* Offucias canis, bubo, moriendum est. *Lamb.* Moriar: date modò, ut in osculo sancti cadaveris moriar. *Elp.* Non morieris, Lambine! sed & Joannes vivit: tibi dono, tuus sit. *Sterops.* Hoc meruit impudentia? *Elp.* Imperavi. *Lamb.* Audivíne Elpidium loqui? *Elp.* Ingredere. *Lamb.* Ah! tu te mecum adsterne beatis pedibus! *Elp.* Ego ausim! perge! *Lamb.* Producam ad te: in osculum pacis ruet.

SCENA VI.

Elpidius. Lorinus. Sterops.

Elpid. HEu! in quibus latebris se condet pudor! *Sterops.* Quæ te hodie intemperiæ habent? *Lor.* Quò solitus furor abiit? *Elp.* Nihil hæc opus est intelligere vos. Facite captivos liberos: me relinquite mihi. Tota se moles scelerum, quæ commisi, obversatur oculis, & premit cor! inculcatus olim à Joanne timor DEI Vindicis, atque inferni horror circumstant cogitantem, qui modò sim, quis quondam fuerim: video meliora, & probo: sed vereor, ne in angiportum adductus sit currus, ubi converti axis non potest. O Joannes, nunc recordor!... explicare me vobis non possum: ita me casus adeò non expectatus perturbat. Lucem fugio, nam vel à sole me aspici pudet. *Lor.* Túne sic audisti aliquando Leandrum loqui? *Sterops.* Nunquam. In captivis latet mysterium, credo, quod superat nostrum captum: socios audiamus.

SCENA VII.

Joannes. Muraldus. Misander. Sterops. Lorinus. Lambinus.

Muraldus. AGnoscite gratiam, qualis ante vos obtigit nemini, ut exire de hac specu vivo liceret. *Joannes.* Beneficium beneficiô compensabo: Principi sistite. *Misander.*

Quò se proripuit? *Sterops.* Extra se est, & nescio quæ consilia solitarius agitat. Videtur tædium vitæ concepisse, & nostri consortii. *Lamb.* Utinam! sed nisi fallit animus, potiùs te fugit, Pater mi: pudore victus non audet subire conspectum viri, cujus spes tam amplas turpiter decepit. *Joan.* Ah! noxius pudor est! erubescat coram te Domine! te timeat, *qui potes & animam, & corpus perdere in gehennam*, Matth. 10. me cur fugiat? Pater sum: persequor fugientem. *Lor.* Obsiste Misander. Ego gravius malum suspicor. Iste minas paulò antè atroces spuit, totam Ephesum in nos armari: hic, credo, metus Leandrum in fugam egit. *Sterops.* Addidit, ducem civibus captivum fore, quem ipsi vinculis ante exemerunt. *Mur.* Congruunt omnia: proditores estis. *Joan.* O te improvidum! optatam prædam incusso inani metu rapuisti ex manibus mihi! *Mis.* Hem! ut nihil dissimulat flagrio! scilicet silere debuerat, ut obrueremur repentè! sic tibi digni videmur, quos carnifici tradas? malignum silentium mortis te reum facit. Ligentur ambo. *Lamb.* Solus sum reus: Patri parcite. *Joan.* Solvat Christus vincula, quibus ligati estis, & ad inferna trahimini! *Mur.* Ultima expectate, si deprehendimus proditores. *Mis.* Persequamur Elpidium nos. Vos ad silvæ aditum properate, speculaturi, num se moveat ex urbe aliquid armorum simile. *Sterops.* Veloces erimus.

SCENA VIII.

Joannes. Lambinus.

Lor. ad Joannem. STolidi! huc vos imprudens temeritas egit. *Joan.* Charitas Christi egit, quæ nunquam agit temere. Lambine! quo animo es? rejecti ex portu in fluctus sumus. Hem! ùt nocet imprudens lingua. Prodi se civibus suis metuens miser fugere maluit, quàm mihi loqui. *Lamb.* Amor jussit has minas facere, ut faciliùs ad tibi parcendum inducerem: neque credo inanes esse: referet Godonus vicem, & liberatus à nobis liberabit

liberabit nos. *Joan.* Si tamen moriendum est, macte animo fili, pro Elpidio morimur, pro quo & Christus mortuus est. *Lamb.* Utinam Elpidius faciat, ne sit irritus tantus, quo ardes, amor. Hoc crede, Pater, non illum minæ meæ fugarunt, non timor, sed pudor: commotus est, & salubria agitare nihil dubito. *Joan.* Placet pudor, displicet fuga: lavari sustinet, quem pudet sordium, pudorem qui exuit, abstulit frugis spem. Quanquam ô quàm mallem, ut Elpidium peccare puduisset, quàm peccâsse! Pudor præcedens peccatum semper bonus est, subsequens facilè nimius, & fugitans Medici.

SCENA IX.

Elpidius. Muraldus. Joannes. Lambinus. Misander.

Elpidius intra scenam. Sic impero! *Murald.* Ut Imperator sis, non ideò licet esse proditorem. *Elp.* Contumeliam cessa, *Joan.* Io! vocem optatam audio. *Lamb.* Redeunt. *Elp.* Non possum, quos volo, liberos dicere? leges ab illis non fero, qui dederunt imperium: aut liber Joannes erit, aut ego non vivam! *Mis.* Quid? convitium injustum diximus? proditor est, qui fovet proditorem. *Mur.* Totam Ephesum in nos armavit homo: non audisti? *Elp.* Nihil sapitis. Neminem armavit ipse: vestra crudelitas armabit. Nescitis, quantis urbi in amoribus sit Joannes: si periculum edocebitur, pronum est credere, toto in nos furore effusum iri. Liber sinatur occurrere, omnem torrentem sistet. Vos, dum fugitis periculum, accersitis. *Mur.* Cur igitur socios fugis? in omnem casum juravimus fidem: eadem sit sors cunctorum: unà viximus, unà moriemur! *Elp.* Et unà peribimus æternùm! *Joan.* Adhuc igniculus vivit. Elpidi! *Elp.* Heu me! solvite vinctum duri! ego fugio. *Mur.* Non sino. *Joan.* Patrem fugis. Solve vincula, amplexu paterno stringam. *Elp.* Solvite, qui ligâstis: me subire oculos Sancti non sinit pudor: fugio. *Mur.* Aut sistes fugam, aut quem vis

liberum, victima stygi cadit. *Elp.* Crudelis! quò me adigis! heu Pater! ex subditis intellige, qualis sit Princeps. Scelesta vincula! *Joan.* Vincula charitatis! *Elp.* Lambine, ô ut ego sim, qualis tu! vive felix! fuge sol, irrue densa nox, & impium caput tege! *Mur.* Iterum tentas? *Joan.* Frustra es: teneo, stringo te! *Lamb.* Quid reluctaris frater? bonum habemus DEum: si magna sunt tua scelera, major est DEI Misericordia *Joan.* Dolenti in tempore veniam Apostolus Christi spondet, cui data potestas est solvendi, quidquid Animam ligat: nullus numerus, nullum excipitur peccati genus. *Elp.* O quid dulcedine tam suavi mulces profundo vulnere ex primo aspectu percussum pectus! non istud mereor: crudum, ingratum, impium, sacrilegum, apostatam, latronem voca! *Joan.* Non ita loqui nos Christus voluit cum pœnitente. Elpidi, *tua me salus* in hoc discrimen traxit. Datur post mortem vita (audîsti me talia prædicantem, & *ex ore Filii Dei* prædicantem, & prædicantem, *quæ vidi*, quæque per virtutem Divinam multis palam *prodigiis confirmavi*) datur post mortem vita, alia æternùm beata, alia æternùm infelix, *in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda*, Apoc. 21. in hoc barathrum præcipiti cursu ruis: miseruit me tui: adsum, ut teneam. *Elp.* Teneor: nihil jam metuite de fuga socii, teneor! Sinite, nos nostra agere: momentum habent. *Mur.* Excludis arbitros? *Elp.* Docebo postea. *Mis.* Muralde, quis tibi est animus ad hoc spectaculum? *Mur.* Prospicio, quid sit futurum. Hic vir est, qui puerum Elpidium abstraxit à Diis: reversum abstrahet denuo, & ad Christum reducet. Patiemur? *Mis.* Si deseri volumus, si lictoribus tradi. Hoc agitur: Christianus Elpidius jam nolet nobiscum vivere: ut securus possit redire Ephesum, efficiet homo, quem dixit ipse, posse omnia apud cives. Nos relicti soli, expositi furori stabimus, si fiat irruptio. *Mur.* Vigiles simus. Si quid periculi ingruit, Elpidium in notas latebras rapiemus nobiscum. Si comitari nolit, reus est proditionis: necetur.

Mis.

Miſ. Conſilium bonum eſt, & neceſſarium. *Mur.* Jam quid ſocii ſpeculentur, videndum, ne obruamur incauti. *Miſ.* Eamus.

CHORUS.

Oſtenditur, quòd nemo ſit poſitus extra damnationis periculum, & illi minimè, qui *ex ſpe confeſſionis*, & facilis veniæ peccantes audaciùs, dicunt: *Utique poſſum confiteri.*

Chriſtus. Juſtitia. Miſericordia. Comites.

ARIETTA.

Chriſtus. Ite leves paleæ
repetunt Venti ludibrium,
Comites Ite probrum *Areæ*
Gehennæ pabulum!
Ad *congregandum triticum,* Luc. 3.
Eſt præparatum *horreum,*
Ubi, ſicut noxijs
Non eſt locus *lolijs,*
Sic nec erit *paleis.*

Exhibetur hinc & inde *ager* triticò & zizaniis plenus: in medio *area*, & Chriſtus cum ventilabro, uti *Luc.* 3. deſcribitur. *Ager* eſt mundus, *area* Eccleſia, *horreum* cœlum.

Miſeric. * Ah! fatigor querelis....
Age, ſoror, ut denique finis ſit litium,
In obvium compromittimus arbitrum.
Juſtitia. Contenta ſum.
At en! ipſe offert ſe Dominus!
Imus, alloquimur cominus.
Miſeric. Domine, ſoror mea non vult mecum pacificè,
Sic, ùt poſtulat æquitas, hæreditatem dividere.
Juſtitia. Tanquam ad Salomonis judicium
Ferimus iſtud litigium,

Chri-

* Prodeunt litigantes.

Christus. Ecce! plus, quàm Salomon hic! *Luc 11.*
Dicite, Filiæ, quæ sit vestri causa dissidij.
Justitia. Aurem justè querulanti benignus accommoda!
Miseric. Sic tamen, ut mihi servetur integra auris altera.
Justitia. *Quomodo Cataclysmus aridam inebriavit,*
Sic ira DOMINI gentes,
Quæ non exquisierunt illum, HÆREDITABIT!
Hæc verba tua sunt, Domine! Eccli. 39.
Hanc *hæreditatem* promisisti *Justitiæ:*
Hanc ut mihi auferat, labor est *Misericordiæ:*
Certè totîs viribûs laborat minuere.
Hoc queror, quia, si taceo,
Ne tota mihi pereat hæreditas, metuo.
Miseric. Tota hæreditas! vide, quàm te decipias! *
Domine, quàm sit sororis Pars planè *immodica,*
In ista tabula considera.
In tenebris, & in umbra mortis sedent, Luc. 1.
Pars magna Americæ,
Major Asiæ, maxima Africæ:
In Europa præterea quanta est errorum colluvies!
Ah! vel *in parte Orbis minima,*
Possessio *partis minimæ* est Misericordiæ.

A R I A.

O Tristis aspectus!
Age, rumpe costas pectus,
Spatium dolori da:
Ingens patet area!..
Ecce! orbis geminus
Geminis sororibus
Datus est, ut Jure pari
Toti vellent dominari: Non

* Exhibet tabulam Geographicam.

Non vult partem solii
Soror mecum dividi:
Totum sibi rapuit,
Vix, ut restet aliquid:
Et, quæ audet talia,
Dicitur *Justitia:*
Judicate Sidera!

Justitia. Siccíne, quos ego aufero,
Homines prostitutæ audaciæ
(Sive multi sint, sive pauci,)
Num tu negabis deberi Justitiæ?
Mei sunt! & tu iniquissimis jurgiis,
Quòd dudum meos non fecerim, *moras* injicis.

Miseric. *Tui erunt*, si non resipiscant in tempore.
Nunc *mei sunt*, ego do tempus pœnitentiæ,
Et *Jure meo* utor, dum offero gratiam.

Justitia. Cum injuria *contra Justitiam.*
Nimis mollis es, Soror, una lacrima movet te!
Alit infandam temeritatem ista *facilitas veniæ:*
Non decet hoc ferre me!

DUETTO.

Just. Est prima Regum regula:
Regnandum fortiter!
Mis. Et gemina est altera:
Regnandum suaviter!
Just. Ferantur Leges bonæ
Cum efficacia!
Mis. Sed cum *Discretione*
Ac *patientia!*
Just. Tu nimis *prudens* es!
Mis. Tu nimis *fortis* es!
Ambæ. Per te si starent res,

Juſt. Jam in Gigantum fabula
Non legeretur fabula:
Periiſſent Cœlites!
Miſ. Ut infelices Angeli,
Sic pridem quoque miſeri
Periiſſent homines!

Chriſtus. Deſinite litium. Utrique ſua,
Sicut decreta eſt, manebit pars integra,
Juſtitiæ quidem *potior*,
Miſericordiæ verò *melior*,
Iſta par *ſtellis*, quæ lucent in æthere,
Illa æqualis *arenæ*,
Quæ jacet in maris littore. *Gen. 32.*
Juſtitia. Triumpho! plaude Juſtitia!
Pro te lata eſt ſententia:
Jam tandem, opinor, moleſtiam
Ceſſabit faceſſere Miſericordia.
Miſeric. Imò ſecura *de ſua parte* Juſtitia
Miſericordiæ, ne *de ſua* aliquid perdat,
Laboranti ceſſabit obſiſtere.
Chriſtus. Sic volo: nec enim tui, Juſtitia, imperii
Æterna periodus incipiet citiùs,
Quàm, cùm *tempus non erit ampliùs*, Apoc. 10.
Nunc, *dum tempus eſt*, Gal. 6.
Tempus ſit Miſericordiæ:
Sine, ut agat, quod poteſt agere.
Quod ego facio, te doceo.

ARIA.

1.

Video!.. diſſimulo
Zizania in tritico,

Et

Et dico servis: sinite,
Ut crescant utraque, Matth. 13.
Ad tempus tolero:
Post tempus separo.

2.

Post tempus dicam: *Ite:*
Falcem expedite,
Metite!
Collectáque Zizania
Comburite!
In hoc Judicio
Utrique consulo:
Quiescite!

Justitia. Ad tempus tolero! heu! longa nimis patientia!
Nam per hanc patientiam
Quot mihi *de meis* eripiet *pœnitentia!*...
Quanquam quid istud queror?
Pœnitentiæ non est inimica *Justitia.*
Hoc quæro: cùm sint, qui abutuntur *tempore*,
Quibus crescit audacia scelerum
Per spem indulgentiæ,
Qui *mali* sunt, quia tu *bonus* es,
Qui semper pergunt peccare,
Quia semper audent sperare,
Quibus denique nullum scelus est horridum,
Quia dicunt: *jam confitebor iterum!*
Quæro: an etiam *talibus*
Pateat porta clementiæ?
An etiam *talibus* daturus sis *tempus*,
Locum, *occasionem*, & *gratiam* pœnitentiæ?

Christus. *Nulli* spondeo: *aliquibus* offero: *pauci* accipient:
Atque plerique talium confitebuntur *ad speciem*,
Dolebunt *ad speciem*,
Proponent *ad speciem*, absolventur *ad speciem*,
Et salvabuntur *ad speciem*:
Unde tuæ portio hæreditatis
Crescet immensùm *ex falsis pœnitentiis*:
Et inter *sic peccantes temerariè*,
Vix *ex centenis* denique
Super uno pœnitente gaudium erit
Coram Angelis, Luc. 15.
Quando triticum
Jam purgatum A ZIZANIIS
Insuper separabo ab aridis,
Levibus, putidis, & inanibus PALEIS,
Hoc est, veras à falsis pœnitentiis.

A R I A.

1.

Ah! falsis pœnitentiis
Infernus plenus erit:
Facilibus suspiriis
Qui citò credit, perit.
Non omne vitrum gemma est,
Non quidquid splendet, aurum:
Quem possidet, qui prudens est,
Examinat thesaurum.

2.

De bonitate arboris
Ex fructu judicabo:
Jactantem se à foliis
Ad ignem condemnabo.

Cre-

Credendum putas lacrymis,
Putare eſt errare:
Quæ lacryma eſt ſterilis,
Non poteſt te ſalvare.

Miſeric. At ſic demum, ſoror, acquieſces ſententiæ?
Nam ego hoc etiam tibi cedo
Hæreditatis *auctarium*,
Quod deciduæ à tritico ſignificant *paleæ*.
Numera, ſi potes, numera!...
Heu! quantus eſt numerus!.....
Sed ceſſet gemitus:
Qui abutuntur miſericordiâ ad ſcelerum licentiam,
Non merentur miſericordiæ gratiam.
Juſtitia. Sic places, Soror: didiciſti
Inter dignos, & indignos diſtinguere.
Jam cedo: liberè in tuam gloriam
Utere *tempore*,
Modò *erga protervos* utaris *modicè*.
Ego, donec ſit *finis temporis*,
Nequaquam ultrà turbabo
Ordinem tui regiminis.
Chriſtus. Pax ſit! ſorores eſtis: ambæ regnate,
Et altera alteri, *quod ſuum eſt*, date.
Vidiſtis in imagine:
Pars una, nempe *triticum*, eſt miſericordiæ:
Duæ ſunt Juſtitiæ, *zizania* nimirum, & *paleæ*.
Juſtitia. Domine, in tuo nomine
Pacis oſculo Sororem obligo! *Pſalm. 84.*
Miſeric. Sororem diligo!
Chriſtus. Ite, regnate, in ſua quævis hæreditate!
Miſ. Juſt. Eamus! regnemus!

DUETTO.

1.

Ambæ. Audi ferocule,
Quisquis es!
Neceſſe eſt, ſervire te!...
Et velis, nolis, ſervies
Miſer. Aut Miſericordiæ,
Juſtit. Aut (quid vis?) Juſtitiæ
Ambæ. Servies. Elige!

2.

Miſ. Si mihi te vis tradere,
Fac tradas te *in tempore:*
Nam regnum meum *deſinet!*
Juſt. Et meum tunc *incipiet:*
Ambæ. Si velis ſcire: *quando?*
Dicemus: *aliquando!..*

PUNCTUM II.

Pœnarum acerbitas.

SCENA I.

Lorimus. Sterops. Miſander. Muraldus.

Lorimus. INgens eſt globus hominum: niſi propere ſubducimus nos, actum eſt. *Sterops.* Neque, quantum procul intuentibus videri poteſt, lentè feſtinant: nubem pulverum ante ſe agunt celeriter. *Muraldus.* Quid eſt conſilii? *Miſander.* Fuga & latebræ. *Mur.* Prodet Elpidius. *Miſ.* Trahemus nobiscum: moneo de periculo. *Mur.* Nos urgebimus, nec ſinemus, ut eum homo peregrinus avellat à nobis. *Lorim.*

Putas

Putas hoc agi? *Mur.* Videbitis. *Ster.* Interim dum contendimus, obruemur. *Mur.* Non erit longa contentio: invito facienda est vis. Habetis animum? *Lor.* Promptum.

SCENA II.

Accedit Elpidius.

Elpidius. FRatres, consulite vobis, si quid Ephesini adversùm nos moliuntur. Ego impetum sustinebo, & si opus est, solus meo sanguine eluam scelera, quæ vel vos patrâstis jubente me, vel ego auctoribus vobis. *Mur.* Auditis bellum proloquium. *Elp.* Ego Joanne duce ad Christum redii: vitam Christiano tam indignam porro prosequi nec volo, nec possum. *Lorinus.* Jam non est integrum, Leander, quid velis agere. Jurâsti fidem per Mercurii caduceum: irritas Deum. *Elp.* Qui malè juravit, pejùs exequitur. Deum furum ac latronum non timeo: Deum inter latrones colo. Valete! *Ster.* At tu velis, nolis, nobiscum ibis. *Elp.* Quid? vim ego patior? *Mur.* Etiam arma, & necem. *Omnes.* Arma & necem, nisi adhæreas. *Elp.* Barbari! olim blanditiis egistis contra infelicem Elpidium, nunc minis agitis? Blanditiis cessi insanus, non cedam minis. Occidite! nunc mori possum, quia Christianus & pœnitens. Coronate me! nullum hactenus à vobis beneficium fuit, *occidi* erit. Sed hem! hic fructus est meæ stultitiæ: hæc conditio malæ societatis! postquam rapuistis innocentiam, opes, famam, fidem, cœlum, Deum, vultis jam etiam vitam rapere. Ah! quàm serò intelligo, quibus adhæserim! ad marginem inferni constituistis me: utinam nunquam vidissem vos! *Mur.* Quis te coëgit hærere nobis? *Elp.* Simplicula ovis eram, & vos lupi simili pelle contecti: quid mirum, quòd blandis verbis illectum, & fraudibus, atque speciosis promissis deceptum traxeritis in ruinam? scilicet ne subitò adverterem scelerata consilia, & aversarer Doctores

ctores in cathedra pestilentiæ sedentes, duxistis rúdem animam per ambages: & primùm, ut deguſtarem dulcedinem libertatis, animâstis: *Nihil esse servilius, quàm diu sub cura Præpositi vivere, nutus observare, imperia tremere,* hoc mihi axioma principium exitii fuit, quò Muraldus me impulit. Inde in familiaritatem accitus Misander venit, qui gloriam ingenii in scurrilibus jocis ponens, sæpe derisit, cùm ad fœdum sermonem vidit ingenuo pudore me tingi: rideri puduit, obstinavi frontem, verecundiam posui, & cum verecundia pudicitiam. Deinceps jam non lentis passibus itum in præceps fuit: egimus, quidquid juventus, impunitas, temeritas suggesserunt. Quantumvis impudentes sitis, tamen scio, si enumerarem turpissima facinora, quibus ætatem optimam contaminavimus, adhuc aliquid verecundiæ vultus & oculi proderent: commessari, ludere, fornicari quotidiana exercitia fuerunt: pecuniæ cùm deficerent, Lorinus & Sterops ducebant ad furta: postremò ne opprimeret carnifex, desperatio excivit ad latrocinia, retraxit me ad idola, invisum Deo & mundo fecit. Quid? hæc parva vobis videntur mala, quæ intulistis? O cœlum, quis essem, si nunquam vidissem istos! *Mis.* Sera lamenta sunt, & nos ista garrulitas perimit. Socii, unus est homo peregrinus, qui Leandrum retinet sibi: comitabitur nos, si ille perierit: pereat! *Omnes.* Pereat! *Elp.* Quid audebitis belluæ? unum contra omnes me armat amor, nec nisi per me transfigetur Joannes: cadet, qui primus ausit huc se inferre; excubias ago.

SCENA III.

Accedunt Lambinus, & Joannes.

Lambinus. SUperi! ferrum micat! *Omnes.* Irruimus in proditores! *Elp.* Ego tegam. *Joannes.* Quis est tumultus? *Elp.* Tecum Pater vivam, aut pro te moriar. Audite hoc

hoc belluæ, non diem, non horam ultra vobiscum vivam, nisi meliora mecum capiatis consilia. *Mur.* Arma imminent: non est nunc consultandi tempus, sed fugiendi. *Mis.* Fugere nobiscum debebis, aut mori. *Joan.* Metuite nihil. Dixi: amo vos! avertam periculum, & metum eximam. Lambine, obviàm curre civibus: mone, me salvum esse: Elpidium rediturum pœnitentem: sperare me, secuturos exemplum reliquos. Si quid mea auctoritas, si merita valeant, si charitas Christi viget, arma ponant, nec intrent silvam, ne per noxium terrorem cœpta turbent: hoc Joannem orare. Accelera cursum! *Lamb.* Deseram te! *Joan.* Obses maneo bonæ fidei. *Lamb.* Ah! si quid interea crudelitas moliatur! *Joan.* Beneficium facio: non furent in beneficum. *Lorin.* Curre! timendum est à nobis nihil, si liberas à timore. *Elp.* Non estis digni beneficio, tigrides! *Joan.* Homines facere Christus potest. Viri fratres, videtis me vobis bonum velle: audite me igitur, & vos quo animo esse deceat, considerate. Ducem teneo: comites cupio: quid agetis? miseram vitam vivitis: quousque amabitis miseriam? hodie, si vultis, felices reddam. Omnes ex Epheso estis: Ephesum redire licet: ego reducam salvos. Belluarum est habitare in specubus, & sanguine humano pasci: aliud ratio, aliud Universi Dominus, bonorum omnium ac malorum Remunerator postulat. Quid timetis, ô boni, quid timetis? Cives Ephesinos timetis, & vincula nimirum, & carceres, & cruentæ mortis sententiam, & lictorem imminentem cervicibus, & equuleos, & rotas, & ignem! O terriculamenta puerilia, si cum illis comparentur, quæ vindex scelerum Deus intentat. Ah! *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*, Matth. 10. Hunc, dico vobis, hunc timete! *Vivit*, ô boni, *vivit & regnat* aliquis in cœlo Deus: aut si dubia hæc vobis veritas videtur, dicite, quis tonat? quis fulminat? si aliquando arbor ad latus vestrum

trisulco igne percussa crepuit, quis vobis tunc animus fuit? non palluistis? non trepido verbere planxistis pectus, docente natura, placandum esse vobis eum, qui naturæ dominatur? vivit Deus, & qui creavit terrarum orbem, etiam gubernat: *vivit*, & observat, an serventur leges, quas posuit, atque ut ignorari non possint, cordibus ipsis digito suo inscripsit, quia sapiens est: *Regnat*, & urget observantiam legum, quia sanctus est: inobedientem punire potest, quia Omnipotens est: punire debet, quia justus est. Pœnæ modum, & genus ut sciatis (ex ore Filii Dei loquor, qui etiam verba mea, cùm opus est, sequentibus signis, & magnis prodigiis, quorum tota Asia testis est, solet firmare) denuntio vobis supplicium sempiternum, in igne inextinguibili, horrendum, inexplicabile, si quis impœnitens moriatur. Infrà sub pedibus vestris hiat vorago vasta, tota quanta est, igne sulphureo ardens: *Locus tormentorum*, Luc. 16. (ita hæ aures testes sunt) ab ipso Dei Filio vocabatur, & quòd verè locus tormentorum sit, postea, cùm Insulam Pathmum incolerem exul pro Christi nomine, oculi cum immani horrore viderunt. *Locus* loci est centrum terræ, ut intelligatis, quàm denso ubique muro circumvalletur, ne quis spem somniet evadendi ex isto carcere: *Forma* quadrum in mille circiter milliaria latissimè patens, & mille myriadum capax ad terribilem torturam: *Architectus* Justitia Divina æquè, uti clementia, in operibus suis infinitè laudabilis: *Finis* vindicta contumaciæ, qua rebelles Angeli primùm, deinde diabolici homines supremi Domini præceptis sanctissimis obedire per summam insaniam detrectârunt. *Instrumentum* ad hunc finem electum est ignis, quem *flatus Domini sicut torrens sulphuris succendit*, Is. 30. Ignis, qui corpus damnati undequaque involvit, omnes nervos, venas, ossa, ossiúmque medullas pervadit, atque in ipsam spiritualem animam ferociter sævit: *Ignis*, qui vehementia semper æquali, furore nunquam mitescente, latè circùm omnia populatur, neque tamen

quid-

quidquam consumit: *Ignis* mille leucas profundus, mille altus, mille latus, undique incluſus, atque per omne latus quadrati carceris cum multiplici æſtus intenſione perpetuò repercuſſus. Hæc leviter adumbrata deſcriptio eſt ergaſtuli crudelis, quod paratum eſt vobis, niſi bene monenti obſecundetis. Et poteſtis vel ex hac imperfectiſſima imagine ratiocinando concludere, quàm gravia ex tormento loci, atque quàm diverſa tormenta gignantur. Locus in centro eſt: ergò *opertus mortis caligine, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat!* Job. 10. Horror in oculis, quos ſpiſſæ tenebræ, denſus fumus, & malignè intermicans flamma excruciant: horror in auribus à convitiis tortorum, & terrificis ejulatibus miſerorum: horror in naribus à congeſtis in immenſum cumulum fœtidis cadaveribus: horror à Sociis lamentabili ululatu, & blasphema rabie ſibi mutuò infeſtis: horror à deſperatione remedii, quando Judex, qui damnavit, immutabilis eſt, carnifices, qui torquent, ſunt immortales, & Reus, qui torquetur, occidi non poteſt. Porro ab horrore, & cruciatu naſcatur neceſſe eſt *fletus, & ſtridor dentium*, Matth. 8. defluent ex bulliente cerebro igneæ lacrimæ, exurentes genas inutiliter, quia ſerò, deflentium ſtultitiam ſuam, quòd ſervire ad gloriam Juſtitiæ Dei elegerint potiùs, quàm ad gloriam Miſericordiæ! fletum autem excipiet ſtridor, ac fremitus adverſum ſeipſos furentium, atque tabeſcentium à dolore, triſtitia, pœnitentia, rabie, cæteríſque affectibus diſcerpentibus animum in vota inania, quibus cum vociferatione immani jam diem ſuæ nativitatis execrabuntur, jam vitæ malè actæ inſaniam damnabunt, jam ſub prementis calamitatis horrendo pondere miſerabiliter ingemiſcent, denique in perpetui agonis triſtiſſimo cruciatu poſiti vocabunt mortem, quæ finem malis faciat: ſed *mors fugiet ab eis!* Apoc. 9. tandem *pluet ſuper eos Deus bellum ſuum*, Job. 20. & totum armamentarium Juſtitiæ evacuabit, *ut compleat indignationem ſuam in eis*, Eccl. 6. *Dabit ignem in carnes eorum, ut comburantur,*

& ſentiant in ſempiternum, Judith. 16. neque erit unquam hora, qua miſerebitur Dominus miſerorum, ſed tanquam in Juſtitiæ ſuæ victimis, quarum *in ſtagno ignis ardentium fumus aſcendet in ſæcula ſæculorum*, Apoc. 14. in odorem ſuavitatis, complacebit ſibi, *irridebit* lamenta, *ſubſannabit* plangentes, & *plaudet manu ad manum*, Ez. 21. applaudente cœlo, & *Alleluja* acclamantibus Sanctis Nemeſi triumphanti de rebellibus ſuis, Apoc. 17. qui interea *commanducabunt linguas ſuas præ dolore*, Apoc. 16. Narravi, quæ audivi à Filio Dei, quæ vidi in viſione mirabili: veſtrum eſt decernere, quid malitis, *credere, an experiri. Appoſui vobis ignem, & aquam*, Eccl. 15. ad quod volueritis, extendite manus veſtras: quàm verè Apoſtolus Chriſti ſum, non datur medium inter flammas, & lacrimas: aut pœnitendum eſt, aut ardendum.

SCENA IV.

Joannes. Elpidius. Muraldus. Miſander. Sterops. Lorinus.

Elpidius. EGo pœnitentiam eligo! Ecce jacent ad pedes tibi, magne Apoſtole, enſis, ſagittæ, pugio, inſtrumenta ſcelerum: ſic, qualis ſum, inermem me civibus Epheſinis offeram! vinciant, torqueant, crucient, prout humanæ juſtitiæ leges imperant: merui: modò tu mihi, offenſe Deus, modò tu æternùm parcas. Eja fratres, beate me! & cui hactenus obedîſtis imperanti flagitia, obedite modò per veſtram ſalutem obſecranti, quod miſerans Deus poſtulat. Horret animus cogitare, in quo diſcrimine æternæ miſeriæ tot annos verſati ſimus: væ infelicibus, ſi tales tetra mors occupâſſet! extrema ſupplicia meritis mittit Apoſtolum ſuum clementiſſimum Numen: novi virum, audivi dogmata, vidi prodigia: non eſt impoſtor! ſervus veri Dei eſt, dilectus Filio Dei diſcipulus, Aſiæ Doctor, virtutum gloriâ, & facinorum ſupra vires naturæ editorum ſplendore undequaque illuſtris: plerorumque quæ prædicat, teſtis de viſu:

non

non mentitur, non decipit: obstinatos in scelere ignis æternus manet! ignem æternum timeo! timete mecum! hic timor salvabit nos. *Muraldus.* Socii, quid faciemus? *Joan.* Ite in urbem mecum: ibi dicetur vobis, quid vos oporteat facere. *Misander.* Difficile consilium suades: pudor & timor terrent. *Joan.* Peccati vos pudeat, optimus pudor est: pœnitentiæ non est, cur pudeat: virtus est, victoria est, triumphus est, quem de vobis ipsis refertis. *Elp.* Timor etiam timore pellatur! graviora mala Deus minatur, quàm Ephesini inferre possint. *Joan.* Dixi: ego faciam, ut nullum inferre velint. *Lorinus.* Consultemus, fratres! *Sterops.* Imò quid consultare est opus? misera est vita nostra, & scelesta: nunquid quales vivimus, mori velimus? *Joan.* Imò consultate: firmiùs decernitur, quod consultò decernitur, nos secedimus.

SCENA V.

Muraldus. Sterops. Misander. Lorinus.

Muraldus. HEus vos! mihi motibus insolitis pectus palpitat, & sanguis in venis friget. Superi parcite! æternùm miser, & tam atrociter miser esse nolo. *Misander.* Putas, vera esse, quæ detonuit senex? *Lorin.* Mihi certitudo de suppliciis, quæ memoravit, non videtur exigenda: potest opinio probabilis sufficere, ne quis audeat se exponere tanti mali periculo. *Sterops.* Prudenter advertis: certè in periculis temporalibus certitudinem non expectamus: *opinio* imminentis infortunii concutit terroribus animum, & excitat ad cautelam, ut invigilet sibi. Dicimus: præstat securum esse. *Mur.* Me verò movet auctoritas viri, ut de nulla re dubitem. Sanctus est, qui hoc uno fine Latronum se furori objecit, ut clientem Deo suo reduceret. *Mis.* Et Sanctus non mentitur. *Lor.* Adde: neque decipitur, cùm narrat, quæ audivit, & vidit *propterea*, ut narret aliis: tunc enim

Deus per hominem loquitur. *Miſ.* Et per iſtum ſe loqui teſtatum eſſe admirandis portentis, Leander dixit. *Mur.* Leander non ita ſubitò in Elpidium mutabilis, niſi virum Divinum nôſſet. Fratres, ego ſilvam defero: ignis æternus urget. *Miſ.* Oportebit abdicare Mercurium, cujus cultui innutritus ſum! *Lor.* Mutare Deum non erit difficile: facilè reperiam meliorem Mercurio: ſed ut mores mutem, hic labor erit. *Sterops.* Neceſſarius labor, niſi velimus ſuppliciis addici æternis. Eja! rumpamus moram: Elpidium ſequor! perite arma impia! finis flagitiis eſto! *Mur.* Conjiciamus in cumulum, & concrememus! videant Epheſini, nos ſeriò agere. *Omnes.* Concrememus. *Lor.* Conferte ſarmenta in rogum: ego ignem ſuſcito.

SCENA VI.

Accedunt Elpidius, & Joannes.

Elpidius. QUis eſt tumultus? quid video, fratres! *Omnes.* Te ducem ſequimur. *Elp.* Spectaculum eſt Joanne dignum! *Joan.* Adſum! rem bonam video! macti animis, filii, ſalvi eritis, ſi ſanctum conſilium coronet conſtantia. *Mur.* Ignem admove Pater! Sacrificium Deo tuo inſtrumenta malitiæ fiant! comburamus, ne comburamur! *Joan.* Imò ſanctificentur arma! Sacrificium Deo meo fiat hic Deus veſter! & ſicut *exhibuiſtis* hactenus *membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſic jam exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo,* Rom. 6. *Elp.* Sequimini me! unanimi ferocia in ſacrilegum Deum imus. *Omnes.* Sequimur: quid velis, jube. *Elp.* Chriſte JEſu! ô ut ſit hoc ſpectaculum jucundum tibi! ecce in pulvere coram te triſtis Elpidius jacet mærore ingenti obrutus, quòd vero Deo mendacem ptætulerit. O cælum! ô rupes! ô ſilvæ! ô belluæ! plangite mecum horrenda ſcelera, quæ commiſi! *tendens adversùs Deum manum meam, & contra*

omni-

omnipotentem roboratus! cucurri adversùs eum erectô collô, & pingui cervice armatus sum, Job. 15. *Obstupescite super hoc, & desolamini!* Quanquam ô socii! quid sterilis planctus juvat! Misericordiæ Domini, Misericordiæ Domini debemus, quòd consumpti non simus, imò quòd non ardeamus inferni titiones nunquam consumendi. Misericordias Domini in æternum cantemus! Misericordiæ Domini immolemus hunc truncum, ut satisfaciamus Justitiæ. Heu! ne peccare timeremus, finximus nobis Deum similem nobis, Deum mendacem, Deum furem! eat in frusta hoc frustum ligni, & ardeat victima Deo vero! *Omnes.* Eat in frusta! ardeat! *Joan.* Godine salve! ad lætum spectaculum ades!

SCENA VII.

Personæ omnes.

Godinus. O Mutatio! *Lambinus.* O prodigium! Elpidi frater, ùt mihi tuus hic animus placet! *God.* Beatus sum, qui cùm cives eduxisse me putavi ad vindictam, ad triumphum eduxi. *Elp.* Christus regnat, Christus triumphat! Godone, quàm ego hanc gratulationem malè à te sum meritus! *Godin.* Cessa ista: Christiani est oblivisci injuriarum. *Lamb.* Pater, quod jusseras, cives fecerunt omnes. Ad silvæ aditum te expectant cum Elpidio reducem: quibus lætitiis exceperint nuntium, non sum dicendo. *Joan.* Multiplicabunt gaudium socii sequentes ducem. Christe captivam duco captivitatem tibi! ah! ne pereat ex eis quisquam! *Elp.* Inter latrones mortuus, & pro latronibus memento nostri in regno tuo! *Joan.* Ergò incendite, quem adorâstis! *Omnes.* Ardeat, ne nos ardeamus!

Joan. Ignem inferni igneus fervor extinguit.

MEDI-

MEDITATIO V.

Quintum Timoris Argumentum

ÆTERNITAS.

ARGUMENTUM.

QUatuor noviſſimis, quæ hactenus ad excitandum in nobis timorem Domini meditati ſumus, pondus immane addit, quæ *Mortem*, & *Judicium* ſequitur, *Jacturam Cœli* verò, ac *Pœnas Inferni* comitatur ÆTERNITAS. *Æternitas!* horrenda vox, ad cujus vel ſolum ſonum ambæ aures Sapientibus tinniant! attamen videmus multos, quos parum aut nihil percellit hoc tonitru, ſive quòd nimio ſopore oppreſſi vix obiter percipiant, ſive quòd credant, ſtrepitum *in ſyllabis* eſſe, & propoſitionem *de ſubjecto non ſupponente*. Dantur enim etiam nunc, nec longè à nobis, imò forſitan inter nos dantur, qui vel omnem æternitatem vocant in dubium, vel ſaltem palam diſputare non verentur, an non *immeritò* damnata ſit Origenis ſententia, olim docentis, impiorum ſupplicia, ipſorúmque dœmonum poſt *multa quidem ſæcula*, ſed *aliquando* tamen *habitura eſſe finem*, & Creatorem cum creaturis ſuis *propter Redemptoris merita* eſſe rediturum in gratiam. Verùm inane ſolatium eſſe, in hac Meditatione, quam iterum in Dialogi formam redegimus, ſic demonſtrabimus, ut æquè, quibus *nulla*, & quibus *frigida* de æternitate eſt fides, de veritate convicti, ſeriò trepidaturi ſint, &, ſi favet conatui Deus, anxiè circumſpecturi *in tempore*, quid

facien-

faciendum sit sibi, ne *æternum* sint miseri. Erit igitur hujus Meditationis, quæ præcedentium Synopsis est, & repetitio,

Materia: Dialogus de vita futura.

Puncta duo: 1. Vitæ futuræ Principium,
2. Sine fine.

Fructus: Timor Dei, Domini, Judicis, Remuneratoris, & Vindicis IN ÆTERNUM.

Propositum: Fuga vitæ *peccaminosæ, otiosæ, periculosæ, deliciosæ,* & *nimium negotiosæ*, quinque Meditationum quintuplex effectus.

Chorus Ostendit, nihil esse in æternitate acerbius, quàm memoriam *temporis* olim aut malè perditi, aut in negotia merè temporalia nimis profusi, & tunc *irrevocabilis.*

PERSONÆ.

Synesius.
Eusebius.
Angelus Apocalypt.
Publicanus.
Pharisæus.
Epulo.
Lazarus.
Dismas.
Gesmas.
Judas.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & præparatio ad præsentem.

Fides. Ratio.

Ratio. SUperi! quæ fascinatio! *
Clausam adhuc portam cordis video:
Adhuc lego vocem execrabilem: NOLO.
Ergo post *mortis* sententiam,
Post ultimi denuntiationem *Judicii*,
Post ablatum Jus *ad Cœlestia gaudia*,
Post intentata *Inferni* supplicia,
Adhuc nulla deditionis fit mentio:
Quàm insana est ista obstinatio!

Fides. Est cordis, à quo exulant *Fides*, & ratio;
In quo imperant *Phantasia* & *Passio*.

Ratio. Ah! cor infeliciſſimum,
Nam, quò tardas diutius deditionis negotium agere,
Et intrò admittere *DEI timorem*,
Tantò contra te certiùs provocas
Horrendum furorem:
Quis enim DEO restitit, & pacem habuit? *Job. 9.*
Audi (clamat Ratio)
Audi cor, quod moneo.

A R I A.

Cedendum est Omnipotenti
Cede, cede, humilia te! ...
Cùm validi movent se venti,
In pelagus ultro se dare,
Cum fluctibus velle pugnare,
Est stolidè perdere se.

2. Is

* Exhibetur cor humanum munimentis cinctum, & adhuc contra sui deditionem obstinatum,

2.

Is Navita laudem meretur,
Qui extra discrimen ut sit,
Se imparem pugnæ fatetur,
Cedénsque, cum undæ tumescunt,
Et parvos in montes jam crescunt,
In tempore fugere scit.

Fides. Surdum est cor: non habet aures,
Quibus audiat *Rationis* clamores.
Experiar, an etiam *oculis* careat,
Quibus, quod fides accendit,
Horribile lumen videat. *
Eja stellæ reliquæ
Quæ luce aurea distinguitis tempora,
Cadite de cœlo, cadite,
Et vestro casu finem temporis plangite!...
Unus sanguineo syrmate cometa fulgeat,
Qui longæ pœnarum æternitatis
Minax Nuntium afferat!...
Ultima est admonitio:
Væ cordi, cujus per hanc non frangitur obstinatio.

Ratio. Prô! lumen *lugubrè rubens!*...
Quis *sine pallore* aspiciat,
Si pondus vocis intelligat,
Quæ se exhibet *igneis* scriptam *litteris?*

Fides. Æternitas! ... *quot* litteræ, *tot* sunt fulgura
Oculos intuentium non obiter perstringentia.
Imò si figas, etiam *cæcos natos* sanantia;
Nam, quid est æternitas?

* Exhibitio.

Ariosè.

Æquor ſine littore,
Tempus ſine tempore,
Epilogus non deſinens,
Rota in ſe rediens,
Nox, quam nulla finit dies,
Iugum, ſub quo non eſt quies,
Tonitru non detonans,
Agon nunquam enecans,
Saxum grande miſeras
Semper premens animas,
Et nunquam opprimens,
Hoc eſt ÆTERNITAS!

Ratio. Viciſti fides! ecce! vexillum figitur
Petendæ pacis Symbolum!
Pons ſubmittitur: patet introitus,
Vocamur ad colloquium.

Fides. Sic ſapis, Cor!.. ingredimur,
Et, quam *Timor* impoſuit, legatione perfungimur.
Præcede Ratio: Fides ſequitur.

DUETTO. *

Ambæ. Superbum cor
Conterere!
Quod malè occupâſti
Imperium reſtitue,
Fides. Fidei ſubmitte te,
Ratio. Rationi ſubjice,
Conterere!

Ambæ.

* In ingreſſu ſuper pontem, cui cor appictum eſt.

Ambæ. Contritum cor benevolè
DEUS respiciet!
Non despiciet. *Psalm. 50.*

2.

Ambæ. Conterere!
Sic veniam merebere,
Ratio. Sic, qui cruento syrmate
Funestus nunc exterret te,
Cometa disparebit:
Fides. Succedet *sol*, & aureis,
Nec occasuris radiis
Perpetuùm fulgebit.

MEDITATIONIS V.
De Æternitate
PUNCTUM I.
Vitæ futuræ Principium.
§. I.
Præparatio animorum.

Eusebius. SYnesi, penetravit medullas timor sacer: meditatus *novissima hominis* totis artubus trepido, intelliges, qualem Deum offenderim servus incurius, inutilis, inobediens, rebellis, contumax! doleo! *Synesius* Offendisti DEUM DOMINUM VITÆ AC MORTIS ARBITRUM: væ misero, quem *in statu peccati* deprehendit Justitiæ apparitor inexorabilis MORS! *Eus.* Hæc mea *temeritas* fuit: detestor! procul à me sit posthac VITA PECCAMINOSA, qualem

vivunt, qui non solùm facilè peccant, sed etiam diu in peccato persistunt. *Syn.* Primæ Meditationis hic fructus esto. Offendisti DEUM JUDICEM, qui non solùm servos malos, sed etiam *pigros* condemnat. Væ nimiùm *securis*, qui nisi commissionum sint rei, *de omissionibus* nihil anguntur! *Eus.* Hæc mea *stoliditas* fuit: execror! odi jam, odi VITAM OTIOSAM, qualis eorum est, qui *titulis* contenti, *officium* negligunt. *Syn.* Sic altera Meditatio profuit. Offendisti DEUM REMUNERATOREM, qui non personas hominum, sed merita respicit. Væ negligenti, quem JACTURA CÆLI non reddit sollicitum! *Eus.* Hæc mea *imprudentia* fuit: deploro! horret animus modò AD VITÆ PERICULOSÆ mentionem: sit procul à me status, aut officium, quod mihi *propinqua occasio* ruinæ foret, per quam cælô exciderem! *Syn.* Tertiæ Meditationis scopus hæc resolutio fuit. Offendisti DEUM VINDICEM, qui & corpus & animam perdere potest in gehennam! væ pervicaci, quem minæ tam atroces non terrent! *Eus.* Hæc mea *audacia* fuit: abominor! refugit mens A VITÆ DELICIOSÆ complexu, quem tanta tormenta excipiunt! *Syn.* Sic profecisti ex quarta. Sed jam quinta Meditatio ut hæc omnia proposita firmet velim, & insuper FUGAM VITÆ NIMIS NEGOTIOSÆ inculcet. *Eus.* Quid vis? vitam etiam negotiosam condemnas? *Syn.* Excessum condemno. Stygii Pharaonis hoc artificium est, ita diu, noctúque occupare aliquos non quidem in operibus impiis, sed tamen *in luto & paleis*, hoc est, in negotiis temporalibus, ut vix horam reperiant, qua possint seriò cogitare de rebus æternis. ÆTERNITAS hodiernæ Meditationis materia est: *Cura æternorum* sit fructus: MODERATIO occupationum, & ORDO in negotiis temporalibus erit Medium. *Constitutio loci* ad materiam opportuni est, quam vides. * *Eus.* Ubi sumus? *Syn.* In Palæstina te vides, in

* Exhibentur Palæstinæ montana, & varia sepulchra.

in terra ſancta, in terra, quam *Filius Dei* ſuo ſudore rigavit, labore excoluit, ſanguine conſecravit. *Euſ.* Aſpectus eſt plenus horrore ſacro, & tenera devotione. Intueor Montem Oliveti, clivum Calvariæ, torrentem Cedron, rudera Hieroſolymæ, monumenta infinitæ charitatis, qua dilexit me, qui tradidit ſemetipſum pro me: impetus eſt, exoſculari ſacra veſtigia, quæ hinc in cælum aſcendens Servator impreſſit loco. *Syn.* Tene te! nam ecce JEſus, qui hinc viſus eſt ire in cælum, *ſic veniet.* * Jámque audis? *Tuba mirum ſpargens ſonum per ſepulchra Regionum cogit omnes ante thronum!* Reſurrectio *vitæ æternæ principium*, & Meditationis noſtræ Punctum primum eſt. *Euſ.* Superi! quis erit oſſium ad oſſa accedentium ſtrepitus? quis in toto orbe tumultus? *Syn.* Ne procul abeas: ecce hìc movet ſe aliquis!

§. II.

Exercitium Memoriæ.

Publicanus. AUdivi noviſſimam tubam: leva caput tuum caro mea, quoniam appropinquat redemptio tua! ex carcere vocaris ad ſolium, ſurge velociter! *Syn.* Sic Beati ſurgunt, celeriter, læti, exultantes in Deo ſalutari ſuo. *Publ.* O felix pœnitentia, quæ *dealbavit me in ſanguine Agni!* Dixi in tempore opportuno, in ſpiritu contribulato tribulatione amara, in corde contrito dolore maximo, pudore ſerio: *DEUS, propitius eſto mihi peccatori!* & propitius fuit, & miſertus fuit optimus Dominus: ſalvus ſum! *Euſ.* Publicani eſt iſta vox. O cælum, quæ eſt ſpecies, quæ alacritas hominis! non tundit pectus; non plangit, non dejicit oculos, non tremit Judicem! abſterſæ ſunt lacrimæ, & omnis pœnitentiæ ſqualor verſus eſt in ſplendorem. *Publ.* Vale terra, in cælum eo! ubi ſum? *Syn.* Alius hic prorepit. *Euſ.* Imò in alterum ſe vertit latus refugiens lucem. *Syn.*

* Tuba inſonat: reſurgunt cum vario affectu varii.

Syn. Fruſtra: obluctari enim voci omnipotenti non licet. *Phariſæus.* Me miſerum! horrenda vox! inviſa lux! *Laz.* Lazare veni foras! vox Dòmini confringens petras vocavit! finis malorum eſt! Caro mea! finis eſt! *Epulo.* Conderadios crudelis ſol! crucior! *Euſ.* Vah ſenſu diverſi! *Syn.* Studiosè audiendi ſunt: nam ego hoc cupio, ut RESURGENTES primùm, poſtea RESURRECTIONEM contempleris attentè. *Publ.* Quis hìc occurrit? *Laz.* Famoſus Lazarus ſum, qui ad fores hujus Epulonis mendicus jacui. *Publ.* O ſalve frater! per viam innocentiæ tu iviſti in ſinum Abrahæ, ego per pœnitentiam. *Laz.* Uterque per gratiam Redemptoris, cujus Sanguini tua pœnitentia, & mea innocentia omne pretium debet. Vides hunc montem? niſi hìc Homo-Deus mortem crucis ſuſtinuiſſet, neuter reſurrexiſſet ad vitam beatam: adoremus! *Publ.* O dignatio! ô Bonitas! ô Miſericordia! *Epulo.* Surgere cogor! ſurgere infelix, ut cum anima etiam corpus crucietur æternùm! ô crudelitas! ô injuſtitia! ô tyrannis! *Laz.* Blasphemiam audio! ſceleſte! non meminiſti, quòd receperis bona in vita tua! nonne veſtiebaris byſſo, & purpura, & epulabaris quotidie ſplendidè? utinam bonis fuiſſes uſus bene, & miſello Lazaro ſaltem micas indulſiſſes cadentes de menſa, quàm felix jam mecum fores! *Epulo.* Tu Lazarus? tu ille mendicus pannoſus, exuccus, leprâ obſitus, à fœdis ulceribus fœtens! *Laz. Olim!* ſed nunc *ego conſolor, tu verò cruciaris!* Luc. 16. *Epulo.* Crucior! montes! montes cadite ſuper me! aſpectum tam triſtem non fero! *Publ.* O quantò utiliùs mecum ejulâſſes in tempore! ſentires modò, quàm multò fuiſſet *melius ire in domum luctûs, quàm in domum convivii*, quámque lacrimæ pœnitentium dulciores ſint, quàm gaudia theatrorum! *Laz.* Abiit, miſer, & periit! nunc agnoſco, quantum Dei optimi beneficium mea paupertas fuerit! heu! ſi fuiſſem in vita dives, quis eſſem in reſurrectione! *Phariſæus.* Ergò ſurgendum eſt! ô maledicta æris nefaſti tuba! *Laz.* Tu quis

quis es, cui sepulchrum, & pulvis, & putredo præ vitæ gratia in amoribus sunt? *Phar.* Pereat vita! mors, ô bona mors, ubi es? tu insanis nimirum, qui vitam pro gratia habes. *Ego non sum sicut cæteri hominum*, insipiens adeò, ut resurgere velim ad pœnas novas! claudite vos iterum oculi mei, in mortem æternam claudite! *Publ.* Pharisæi est ista vox, quem execranda hypocrisis, & superbia perdidit. Pharisæe! *Phar.* Vah! quis rursum turbat? *Publ.* Surge! non eras sicut cæteri hominum: non injustus, non raptor, non adulter, non Publicanus! jejunâsti bis in sabbato, dedisti eleemosynas, solvisti decimas: surge, in vitam æternam surgis! *Phar.* Ah! quisquis es, miserere! accusatus sum! iudicatus sum! condemnatus sum de hypocrisi! ô si quid potestis, boni (nam video vos esse hilares) supplicate DEO pro me, non ut eripiat me de flammis, in quibus infelix uror, sed ne cogat reviviscere, & unà cum carne uri. *Publ.* Vide, quid agas, miser! Publicano supplicas: Pharisæum hoc decet? *Phar.* Publicanus tu! tu talis! involvite me densa nocte fumantes flammæ sulphurei carceris, ne tantum opprobrium videam! *Laz.* Digna superbiæ pœna æternus pudor! properamus frater, quò tuba vocat: rursum insonuit. *Publ.* Properamus in vallem, ubi congregabuntur omnes gentes: quis erit occursus? & quorum? & inter quos affectus! *Syn.* Profunda cogitatio est, & digna morâ. *Eus.* Digna: nam quanta mutatio erit: in paucis vidi omnes. *Syn.* Vide plures. *Dismas.* Non fallor: verè evigilavi de somno longo: in monte supplicii, quo interemptus sum, invenio me! Salve ô bona Crux, per quam salvus sum ego! mortui sint alii morte placida, morte naturali, morte in oculis hominum pia, & felice: nulli invideo: me mors *violenta* & *turpis* cælo intulit: beata mors! *Gesmas.* Vah! quò vocor? Dismas es tu? talem te video, qui in eadem mecum damnatione fusti? Similis vita fuit, similis mors: cur dissimilis resurrectio est? *Eus.* Latro-

nes loquuntur Christi in Cruce socii! *Syn.* Ipsi sunt: verè quasi ex eodem lecto assumptus unus, relictus alter. *Dismas.* Similis vita fuit: pœnitet! sed, Deo sint laudes! similis mors non fuit. Quid quereris miser? tragœdiæ, quam ego vidi, etiam spectator fuisti tu! fluebat idem pro te sanguis: lingua eadem pro utroque orabat Patrem: ego submisi caput gratiæ: tu obstinatus & Domini exemplis, & meis monitis, & insolentibus prodigiis obfirmatô animô restitisti: unde perditio tua, nisi ex te? *Gesmas.* Heu! perditio! de cruce ad ignem abeo, de tormentis temporalibus ad æterna, dupliciter miser! heu! *Dismas.* Sera lamenta sunt: ego per patientiam egi pœnitentiam? ex necessitate feci virtutem! ô beata necessitas, quæ ad meliora me compulit! vale mons sancte! mons meæ beatitudinis patria! in vallem propero, unde ascensus in cælum erit! Quis occurrit? *Judas.* Inferi! quem me video! suspensus crepui medius, & effusa sunt viscera: quis redintegrata restituit: vivo miser, & in æternum opprobrium vivo! *Dismas.* Judas est hic, Apostolus Domini, & ego latro: Superi! obstupescite differentiam! *Eus.* Synesi! hic duorum occursus mirabiles affectus ciebit. *Syn.* Fructum ex singulis cape. *Judas.* Audivi tubæ clangorem horrendum: *Surgite mortui!* Sistere te Judici debes, Juda, Judici, quem pro triginta argenteis vendidisti! ô stulte Mercator! ah! si posses, quem pretiô tam vili vendidisti, quantô nunc emeres sanguinem? *Dismas.* Juda, Apostole Domini mei! *Judas.* Heu! quis me compellat hoc nomine! tonitru in auribus est titulus, qui me damnavit. Quis es tu? & unde me nôsti? *Dismas.* Character te tuus prodit. Miser, cur desperâsti? ego & tu uterque digni patibulo fuimus: sed ego mihi ex cruce scalam ad cælum feci, tu ad inferos: quæ hæc, malum! stultitia fuit? *Judas.* Resorbe terra hoc insaniæ monstrum! pudet prostare Soli! *Dismas.* Prostare orbi debes: eundum est. *Judas.* Tu comes eris? *Dismas.* Non diu: nam in valle Josaphat separabimur,

bimur, & tu ad sinistram ibis, ego à dextris stabo, ut Justitia Dei triumphet in Apostolo, Misericordia in latrone. *Judas.* Eheu! quid video? quid audio? quid dicam? *Dismas.* Meritò gemit infelix! stabit enim inter judicandos, qui poterat Judex sedere: Bonum erat ei, si non fuisset natus! O DEUS! ô Resurrectio! ô Judex! ô Judicium!

§. III.

Exercitium Intellectûs.

Synesius. QUis animi sensus, Eusebi, quæ cogitatio; quis affectus se movet ad hanc visionem? PRINCIPIUM VITÆ ÆTERNÆ exhibui: intellige, quanta futura sit Reformatio *in judiciis* hominum! quanta mutatio *in affectionibus?* *Eusebius.* Sincerus ero, & mentis motus omnes, quibus sub hac scena agitabatur, per ordinem enarrabo. Primùm Resurrectio videbatur mihi esse quasi *nova nativitas.* Occurrebat, quod scripsit Job: *Putredini dixi: Pater meus es! mater mea vermibus*, Job. 17. Resurgens tanquam ex utero Matris à sepulchro prodibo in lucem novam! *Syn.* Sic est: notâsti discrimen autem, quod inter primam nativitatem est, & inter secundam erit? *Eus.* Audiam. *Syn.* Multiplex reperitur: nascimur *infantes*, renascimur viri: quilibet suam sive felicitatem, sive miseriam perfectissimè intelliget. *Eus.* Digna est attentione reflexio. *Syn.* Nascimur *morituri*, renascimur *æternùm victuri.* *Eus.* Infinita differentia! *Syn.* Sed nondum summa: tertiam expende. *Quales nascamur*, non est res arbitrii, *quales verò renasci velimus*, eligendi potestas datur. *Eus.* Synesi, hæc sententia mirabile lumen spargit. Superi! si cui liberum esset, *nasci*, *qualis vellet*, quis non eligeret nasci dives, nasci nobilis, nasci sanus & formosus potiùs, quàm deformis, & æger, & pauper, & de fæce plebis? nunc *renasci possum*, qualis volo, opulentus à meritis, illustris

virtute, in corpore glorioso! & ultrò eligam prodire de tumulo mendicus, despicabilis, damnatus ad rogum, in carne fœtida, ulceribus obsita, stygiis flammis instar fumantis titionis adusta! O cælum! absit à me procul tantæ insaniæ execrabilis rabies! *Syn.* Utinam sit omnium hæc exclamatio! sed tu perge explicare te ampliùs. *Eus.* Nimirum animô volvi *Resurgentium ad novam vitam* momentum primum, alterum, tertium. Occurrit, primus tubæ sonus quàm aliter verberaturus sit aures impiorum, aliter electorum: quámque isti alacriter, illi lentè se moturi sint, ut obsequantur voci, & surgant. *Syn.* Ex more suo facient, semper pigri ad verbum Domini. *Eus.* Deinde intuebar mutuò sibi occurrentium repentinos affectus. Ut plausit publicanus, & Pharisæus erubuit! ùt ejulavit Epulo, & Lazarus jubilavit! ùt Dismas laudavit Misericordiam, & Gesmas blasphemavit Justitiam, Judas verò seipsum exhorruit! Quæ mutatio fuit! quàm alia, ac olim aluerant, vidi desideria, alia vota, alium luctum, alios amores, alia odia, alium timorem, alios *de bonis ac malis præsentibus* sensus, atque judicia. *Syn.* Nempe conformia veritati, quæ nunc non nisi per tenues radios oculis fide armatis se exhibet. *Eus.* Præterea iter contemplabar, & viam, per quam quisque iturus esset in vallem Josaphat. Cogitabam, quid cogitaturi essent, quibus à loco sepulchri eundum erit per longè, latéque patentes Provincias, donec per Asiæ Regiones in Palæstinam ferantur. Videbimus in hac peregrinatione omnia Regna mundi, & gloriam eorum in cinere, in cinere, in cinere! Et ego quidem si moriar Monachii, sedebo ad exiccatum à flammis Isaram, & flens recordabor: hic stetit olim magnifica civitas digna sedes Bojariæ Principum: in hac urbe adorabar ego inter Primates! hæc area fuit, in qua resplenduit palatium meum! hìc hortus, in quo deliciabar! hìc domus, in qua lasciviebam! hìc curia, in qua toties favi sceleri! hìc templum, quod profanavi! talia dum recordabor, eheu! surgent circa me undique

undique *Majores* mei, & objurgabunt degenerem à veteribus Bavaris! surgent *coævi* mihi, & insultabunt, rapientes cælum sibi præ me! surgent *posteri*, & exprobrabunt exempla, quibus perversi sunt à generatione in generationem veneno se propagante! Inde ex Bavaria in Austriam properans, & per Hungariam ac Turciam visurus sum urbes celebres sine vestigio, grandia Regna sine nomine, ditissimas ditiones sine incola: clamabo: hæccine est illa Mundi profani species, quæ per fallax stibium & cerussam tot amatores seduxit! obvii erunt ex omni gente, ac populo homines alii læti, alii tristes ac desperabundi, omnes inter se confusi sine ordine, sine titulo, sine famulitio, sine insignibus, sine veste, quia scilicet finita erit hujus vitæ comœdia, & actores positis jam personis æquales omnes properabunt eò, *ubi laus erit unicuique à Deo*, judicaturo, non qualem quisque personam egerit, sed quàm bene suam. *Syn.* Salubres cogitationes volvisti, & feraces sanctorum affectuum de cura æternitatis. *Eus.* Verùm postea *à Resurgentibus* ad Resurrectionem mente conversa cœpi intentiùs affigere me quæstioni: *Veréne resurrectio mortuorum olim futura sit?* Equidem non tanquam dubius hæsi de veritate, quam fides docet, sed tanquam avidus sciendi, quibus argumentis firmetur fides, & suscitari frigus languoris possit. *Syn.* Rem bonam postulas, præcipuè quia non desunt malè feriata ingenia, quibus *dies cinerum* jucundior est, quàm *dies Paschatis*, eò quòd resurrectionem magis, quàm mortem horreant. Juvat horum cavillationibus posse occurrere, ne, quod sciolorum est, de imperitia contra veritatem triumphent. Tu igitur utramque aurem applica disputanti: intelliges, *quàm prudenter* resurrectionem carnis credamus, & dici non potest, quàm jucunda sit fides *reflexè prudens*. *Eus.* Experior: neque enim potest non suaviter afficere nos alacritas fidei, quam prudentia parit: Avidum auditorem habes. *Syn.* Non tenebo te diu: Rem omnem unum Dilemna conficiet. Si dubium prudens de Resurrectione

haberet locum, vel ambigua esset potentia Dei, vel voluntas? *Eus.* Utique, nam si constet, & posse Deum, & velle Resurrectionem efficere, dubium quodvis sublatum erit. *Syn.* Constare de utraque sic, ut *dubium prudens* hærere in animo bene affecto veritati non possit, intellige, quomodo demonstretur. De potentia primùm agam. Pulvis est homo, & revertetur in pulverem, sic est: sed age, qui ex pulvere fecit hominem, antequam fuit, cur non poterit ex eodem pulvere resuscitare collapsum! reficeréne difficilius est, quàm facere? Quanquam quis sapiens dicat aliquid esse difficile Omnipotenti! videmus quotidie fieri in semine, quod de homine non capimus: projicitur semen, moritur, sepelitur, putrescit, & in fructum centuplum reviviscit: ecce imago Resurrectionis omni exceptione superior. Verùm addamus signo rem significatam: nunquid ab actu ad potentiam bona est argumentatio? nunquid in veteris testamenti tabulis resuscitatum legimus mortuum ab Elia Filium viduæ, & ab Elisæo jam mortuo hominem alium, qui efferebatur? 3. Reg. 17. & 4. Reg. 23. nunquid de tribus mortuis à Christo revocatis ad vitam Evangelium testatur? nunquid similia de Petro, & Paulo in Actis Apostolorum narrantur? Sileo Historiæ Ecclesiasticæ monumenta, quibus sicut fidem Divinam non tribuo, ita quòd fidem humanam mereantur, negare impudentis ingenii est, atque procacis. Ego ex his conficio, prudenter ambigi non posse *de potentia*, sive quin Deus possit in omnibus, qnod in aliquibus fecit. *Eus.* Omitte de potentia dicere: qui nos produxit *ex nihilo*, quod reproducere possit *ex pulvere*, helleboro indiget, qui negat. Quòd velit, unde probas? *Syn.* Agitur de decreto, an exstet? quæstio facti est: probari ex testimoniis debet. Sunt autem testes, qui Deo familiares fuerunt *Patriarchæ*, ex quibus Jacob ossa sua transferri in Palæstinam voluit, ne cum infidelibus Ægyptiis olim resurgeret: testes *Prophetæ*, inter quos apertissimè Job, *scio*, inquit, *quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo*

die

die de terra ſurrecturus ſum!, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum! teſtes *Evangeliſtæ*, quorum unus: *Omnes*, ait, *qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei!* teſtes *Apoſtoli*, ex quorum numero Doctor gentium: *Omnes*, clamat, *omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur!* teſtis denique æterna Veritas, Verbum Patris, Chriſtus, toties de reſurrectione commemorans, quoties de Judicio extremo diſputat: tantæ nubi teſtium quis niſi impudens ſe opponat? *Euſ.* Submittere judicium decet viris, contra quos prudenter excipere non potes, ſive quòd fallantur, ſive quòd fallant. *Syn.* Et multò magis utique Dei Filio, qui ne quidem poteſt aut falli, aut fallere. *Euſ.* Submitto lubens, & credo, quod non capio: nam difficultatem fidei præter auctoritatem teſtium etiam Ratio mitigat. *Auctor naturæ* appetitium ad corpus inſeparabilem animæ dedit, non daturus utique, niſi decreviſſet poſtliminio reſtituere unionem cum carne, ne perpetua ſpiritui etiam beato violentia inferatur. *Syn.* Ex Philoſophia petitum eſt hoc argumentum: aliud Theologi addunt. Niſi corpus reſurgeret, nunquam daretur *beatitudo conſummata*, nunquam beatitudo *totius*, ſed *partis*, nunquam beatitudo *hominis*, ſed *animæ*: & denique Chriſtus dici non poſſet plenam de morte retuliſſe victoriam, niſi cum Capite etiam membra reſurgerent. *Euſ.* Sed quod de reſurrectione ad vitam dicis, an etiâm de reſurrectione ad mortem intelligis? Sunt enim, qui reſurrectionem *eſſe præmium* putant, atque adeò ſolis Sanctis communem. *Syn.* Inepti ſunt, poſtquam Dominus timere nos juſſit eum, qui & *corpus*, & *animam* perdere poteſt in gehennam.

§. IV.

Exercitium voluntatis.

Euſebius. ERgò ſtultum eſt eorum ſolatium, qui de vitæ futuræ pœnis nihil metuunt ſibi, & dicunt: *fiat animæ, quidquid Deo placuerit, modò corpori non ſit malè!* *Syn.* Vah!

quod

quod animal loquitur? ô crassum ingenium, & adipatum, quod de immortali Spiritu adeò nihil se angit! pone, solam animam uri, non tu úreris? non certè pars nobilior tui? dicat aliquis: *crematur corpus meum, excorietur, discerpatur, modò vestes sint salvæ!* non tu insaniissimè insanire hominem, & in Anticyras ablegandum clamabis? *Eus.* Sapientiùs utique, cùm corpus afflictum patitur, solabor illud: *sustine paululum! nam tertia die resurges! Syn.* ita, *tertia die:* nam prima est dies patientiæ, altera dies sepulturæ, tertia dies Gloriæ, PRINCIPIUM ÆTERNITATIS BEATÆ! de hac die cogitans Job: *cunctis diebus*, ait, *quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea! Eus.* Audite hoc homines impatientes, qui nihil potestis expectare! non nisi à servis *expectantibus Dominum suum* sperari immutatio potest. *Syn.* Felicissima immutatio, quia corpus, quod *seminatur in infirmitate, surget in incorruptione,* quod *seminatur in ignobilitate, surget in gloria,* quod *seminatur in infirmitate, surget in virtute,* quod *seminatur corpus animale, surget spirituale,* 1. Cor. 15. *Eus.* Verè felicissima immutatio! ergò quid agitis miseri, quibus hujus vitæ ærumnæ intolerabiles videntur, dicite, *qui sunt sermones vestri, quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes?* Ah sermones de æmulis, qui vos persequuntur! de dominis, qui vos opprimunt! de Judicibus corruptis per munera, de egestate, de fame, de infortuniis, de doloribus, de præmatura morte: sermones inutiles, inanes, vani, qui afflictis non ferunt solatium, sed aculeum mali prementis profundiùs figunt! aliter Divine Præceptor, docuisti nos loqui tu! *Syn.* Aliter sanè, cùm scilicet in omni miseria per resurrectionis memoriam se consolans, scitote, dicebat suis Luc. 13. *Filius hominis tradetur gentibus*, sed *tertia die resurget! illudetur* sed resurget! *conspuetur*, sed resurget! *flagellabitur*, sed resurget! *occident eum*, sed resurget: nullum in hac vita *malum æternum* est. *Eus.* Ita, ita, hæc *fides* in capite, hæc *spes* in sinu leves omnes ærumnas faciet: *expecto, donec veniat immutatio*

mea

mea ex milite in regem, ex misero in felicem, de statu laboris in statum quietis, de statu mortis in statum vitæ. *Syn.* Optima propositio! verùm vidisti, audîsti: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, ah! non omnes, quid? si tua resurrectio *sine immutatione* foret? *Eus.* Heu! miser æternùm forem! anima mea! infelix anima in corpore subjecto curis, obnoxio morbis, exposito totius naturæ injuriis inclusa æternùm fores! *Syn.* Dixisti parum: dic, alligata corpori, tanquam stygio carceri undique flammis furentibus involuta æternùm fores! Ut *immutationem* sperare corporis possis, necesse est, ut nunc animum ac vitam mutes: vita Epulonis, mores Pharisæi, animus Judæ, mors Gesmæ in flammas æternas desinunt: Hoc recordare. Monstravi *resurrectionem*, ostendi *Resurgentes:* ut resurgas cum Publicano, cum Lazaro, cum Disma, jam non dico tibi: *memento homo, quia pulvis es!* sed quoniam *memoria Resurrectionis* plus valet in animos, quàm memoria mortis, moneo te: *Memento pulvis, quia homo es, & in hominem reverteris! Eus.* Memento pulvis, quia *homo es!* nempe non pulvis inanimis, sed pulvis animatus, homo subjectus Deo, qui *inspiravit in te spiraculum vitæ, ut fieres in animam viventem*, non tibi, sed Creatori, sed Redemptori, sed Domino tuo. *In hominem reverteris*, ut præmium aut pœnam æternam recipias pro vitæ modo: *memento pulvis*, homo es, pulvis eris, & ex pulvere rursum homo, homo æternùm felix, aut æternùm infelix eris! *memento pulvis!* *Syn.* Sed audis? tertius clangor resonat! DE ÆTERNITATE judicium fit. Ascendamus in montem Olivarum: inde in vallem Josaphat prospectus patet. *Eus.* Sequor ducem.

CHORUS

Oſtenditur, nihil eſſe in æternitate acerbius, quàm memoriam temporis, olim vel *per nimium otium,* malè perditi, vel *in nimis multa negotia* inutiliter expenſi, & tunc irrevocabilis.

Æternitas. Tempus. Chorus Horarum. Dives Evangelicus, Servus talenti reus. Phariſæus. Epulo.

Tempus. FUgimus filij, fugimus! ſervivimus ſatis *
Hominibus ignavis, ſtolidis, ſceleratis:...
Vah!.. tempus *Dei Crucifixi beneficio*
Conceſſum ad agendam *pœnitentiam,*
Ad obtinendam gratiam,
Ad promerendam gloriam,
Plerique prodigunt peſſimè, aut *malè* agendo;
Aut nihil agendo,
Aut aliud
Quàm quod unum eſt neceſſarium, *Luc. 10.*
Ah! aliud agendo!....
Hem! tantum eſt orbi pretium temporis,
Empti pretio Divini Sanguinis!..
Fugimus filii, querimur Superis,
Ut faciant finem injuriis.

CHORUS.

Servitum ſatìs eſt!
Rumpere! ah! rumpere
Rupes Calvariæ!

Et

* Exhibetur mons Calvariæ dehiſcens poſtea in abyſſum.

Et, de quo exivimus,
Gremio nos recipe!
Servitum satìs est.

2.

Præstat, præstat citiùs
In nihilum redire,
Quàm impiis diutiùs,
Ad scelera servire:
Sancta rupes rumpere,
Volentes recipe!

Div. Ev. Fallor, an questus audivi serios? *
Phariſæ. Veréne tempus *à mortalibus* fugit?
Serv. pig. O fugiat, & veniat, veniat *ad mortuos!*
Epulo. Ita, ita, bonæ horæ, venite ad nos!
Nos intelligimus pretium temporis!
Omnes. Nos scimus æstimare vos,
Venite ad nos!...
Tempus. Superi! tempus æstimant inferi!...
Ite maledicti, non fallitis nos:
Ite! malè perditi contemptum temporis
Meritò luitis.
Phariſæ. Culpam fatemur: non æstimavimas vos.
At nunc miseriæ docuerunt nos sapere:
Nunc intelligimus,
Quanti vel *horam* facere debuerimus,
Qui *annos* negleximus.
Omnes 4. Nunc intelligimus.
Phariſæ. Nunc (calidæ testes sint lacrymæ)
Nunc æstimabimus.
Omnes 4. Nunc æstimabimus!

* Utrinque carcer stygius se aperit, unde prodeunt bini & bini trahentes catenam, qua colligati sunt.

Ariosè.

Omnes 4. Erravimus!
Annos, menſes, dies, horas
Peſſimè perdidimus!
Dives Ev. Ego nimis anxias,
Inter curas horrei:
Servus. Ego nimis frivolas,
Inter nugas otii:
Epulo. Ego corpus ſaginando
Sine cura animi:
Phariſæus. Ego nævos obſervando
Alieni oculi:
Omnes 4. Erravimus
Errorem confitemur:
Serv. & Ep. Sed, diu ſatis luimus,
Div. & Pha. Corrigere ſtatuimus:
Omnes 4. Non veniam meremur!
Ah! unicam
Da horulam
Ad pœnitentiam!
Tempus. Siccine nunc denique æſtimatis me!
Atqui olim hæc erat vobis cura præcipua,
Quomodo poſſetis lepidè tempus fallere!
Sæpe, ad agendum ſalutis negotium obtuli me:
Dixiſtis jam: *non vacat modò!*
Jam: *non libet hodie!*
Ad alia mihi nunc tuâ opus eſt operâ!
Tandem ego *fefelli vos:*
Nec me *falletis* iterum
Splendido verborum apparatu:
Novi vos: deſinetis *fervere,*
Cùm deſinetis *ardere.*

Ariet.

ARIETTA.

Non fido his propoſitis:
Naturam habent fulguris,
In ortu occidunt:
Quos habent ignes, ſubitum
Effuſi ſunt per impetum:
Micant! non perimunt.

Phariſæ. Fatemur: *olim* talia
Fuerunt noſtra pia deſideria:
Sed, quæ *nunc* concepimus,
Non genuit *impetus*,
Genuit ignis tartareus:
Durabunt: age, experire,
Da horam, cujus ope poſſint in opus prodire.

Tempus. Ergo, ſi, quod petitis, obtinetis,
Dicite, quid agetis?

Omnes 4. Omnes rigidiſſimam agemus pœnitentiam!

Div. Ev. Ego *deſtruam horrea*, nec faciam alia,
Sed, quæ poſſedi, dabo pauperibus omnia,
Nihil de me ſolicitus,
Solóque pane & aqua contentiſſimus.

Servus. Ego *talentum malè defoſſum* eruam,
Et perdius ac pernox intentus labori,
Non ſine multo fœnore Domino reſtituam.

Epulo. Ego libenter miſeri eligam ſortem Lazari:
Ipſe *epuletur quotidie ſplendidè*,
Ego ad fores jacebo,
Et vel micis,
Quæ cadent de menſa, patienter carebo

Phariſæ. Ego ſub Publicani pedibus me palam locabo,
Et ultrò, quæ occultavi crimina, publicabo.

Omnes 4. Omnes rigidiſſimam
Agemus pœnitentiam * ...
Phariſæ. Heu! ut quid horridum repentè tonitruum
Malè fauſto omine
Obmurmurat vocibus ſupplicantium?
Epulo. Perjimus! naturæ machina commovetur! ...
Servus. Rupes diſſilijt! ...
Dives. Immanis abyſſus ſe aperuit! ...
Omnes 4. Ah! citò! citò da horam:
Æternitas imminet: non ferimus moram
Tempus. Plaudite filii, finis venit, erimus liberi.
Omnes 4. Da horam, & omnes rigidiſſimam
Agetis pœnitentiam!
Æternit. Sic eſt, ò miſeri, rigidiſſimam
Agemus pœnitentiam,
Quam conſtituent amariſſima *contritio,*
Triſtiſſima *confeſſio*, acerbiſſima *ſatisfactio!*
Sed nulla unquam ſequetur *abſolutio.*
Ite MALEDICTI! ..
Vox eſt tonitrui in Rota, *Pſalm. 76.*
Quam nulli jam ſiſtent gemitus, nulla vota.

A R I A. **

Cedite tempora! .. vertere rota!
Repete tonitru, repete rota!
Imperat Æternitas.
Repete iterum, repete toties,
Quot in ſe folia numerant arbores,

Quot

* Mons Calvariæ in Abyſſum ſubſidit, unde prodit æternitas: tempus autem cum horis in eodem abſorbentur.

** Exhibetur rota æternitatis ſemper cum novo tonitru in ſe rediens.

Quot ſe pulviſculi movent in aere,
Quot ſunt in littore leves arenulæ:
Nec, cùm æquaveris, ceſſa repetere,
Iterum incipe, iterum repete,
Donec intelligas *Deum deficere,*
Tunc, & *non antea*, licet quieſcere:
Imperat ÆTERNITAS.

Tempus. Vindicamur Filii!
Io! ab infami ſervitute jam liberi,
Deſcendimus hilares
In abyſſum primi nihili.

4. Damnati. Et nos in tartara redibimus æternùm miſeri?

CHORUS.

Horæ. Valete bona ſidera!
4. Damn. Perite mala tempora,
Horæ. Et juvat interire:
4. Damn. Perite, & ô, liceat
Vobiscum nos perire!
Æternit. Non licet, poſtquam vindici
Æternùm in vos Nemeſi
Decretum eſt ſævire.
4. Damn. Decretum ſævum, barbarum,
Horæ. Decretum culpæ conſonum:
Temporis injurias
Vindicat ÆTERNITAS:
4. Damn. Vindica, fulmina!
Fulmina! eneca!
Æternit. Fulmino, non tamen eneco:
Vivetis, ut moriamini perpetuò: vivite! ..

ARIA.

A R I A.

Hic finis est: sic plectitur
Abusus temporis:
Æternis demum petitur
Hora suspiriis!.
Clamatur: *horam utinam*
Haberem unicam!
Sed nemo audit næniam:
O triste UTINAM!

PUNCTUM II.

Vitæ futuræ nullus finis.

§. I.

Exercitium Memoriæ.

Synesius. PAlles, Eusebi, & tremis ex horrore spectaculi, quod vidisti in valle Josaphat: collige animum: gravius supersest argumentum horroris. VITÆ FUTURÆ PRINCIPIUM ostendi: FINEM si possem ostendere, fortè respirandi facultas foret. Sed PRINCIPIUM sine FINE materia est meditationis, quæ exigit, ut ad novas curas te pares. *Eusebius.* Nunc intelligo, quod dixit Propheta: *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis ibi,* Joel 3. Vidi glorioſos Ordines Sanctorum *in nubibus obviàm Christo,* 1. Thess. 3. vidi fluctuantem vallem à confusa multitudine reproborum: vidi venientem Judicem cum potestate magna, & Majestate: vidi apertos libros, ex quibus redivivi mortui examinabantur. Disceptatum est vehementer: audivi tristissimam vociferationem cum horrifico ululatu à circumjectis montibus repercusso ingeminantium: *Domine! Domine!* quibus

respondit

respondit *vox tonitrui in rota:* NESCIO VOS! DISCEDITE! & continuò cœlum Judicis sententiæ fulminandô applausit, terra dehiscens immugiit, infernus infelices absorbuit. *Syn.* Ita, infernus absorbuit nunquam, æternùm nunquam redditurus. Auribus locum descripsi nuper, hodie oculis exhibeo: ecce ad ostium stamus. *Eus.* Labant genua, tremit cor: juvate Cœlites! tamen inspicio. * *Syn.* Angelum vides *habentem clavem abyssi*, Apoc. 20. aperuit, ut intueremur; reverere! *Angelus.* Omittite! conservus vester sum, qui huc adducere *viventes* soleo, ne *mortui* rapiantur in locum, ubi hoc summum tormentum est, quòd nulla sit mors. *Eus.* Heu! Angele Dei, quàm est hoc paucis multa dicere: *Locus tormentorum, ubi nulla est mors!* ergò quanquam totus est carcer ignis, merus ignis, tamen nulla combustio est? *Syn.* Hoc volunt objectæ oculis voculæ immanis ponderis, SEMPER, & NUNQUAM. *Ang.* Causa mali etiam perpetuò aspectum cruciat, ne quis unquam oblivisci possit, quòd *meritò* crucietur æternùm. ** Appensa est in statera culpa, & pœna: inventáque est pœna examinata *ad pondus Sanctuarii* minùs habens, quàm culpa, neque condigna merito. *Eus.* Quid loqueris, Doctor Angele, ignis, æternus ignis non est condigna peccato pœna, quod nos *per risum* patramus? *Syn.* Difficile dogma statuis. Obsecro, ut me audias! equidem *credo* æternitatem pœnarum: sed *tu adjuva incredulitatem meam*, Marci 9. ut credam firmiùs, alacriùs, efficaciùs, quod proderit, ut hic Eusebius quoque promptiùs sequatur, quò duco. *Ang.* Loquere: difficilis fides non erit, si causæ dubitandi tollentur.

§. II.

Exercitium Intellectûs.

Synesius. UT brevis sim, difficultates hujus articuli omnes ad duo argumenta reduco, quorum unum ex natura

* Exhibetur infernus. ** Exhibitio stateræ.

Creaturæ petitur, alterum ex natura *Creatoris.* In creatura video, quòd *ignis agens*, ut æternùm agat, alimentô infinitô indigeat: infinitum autem alimentum unde ſuppeditari queat, non video: multò minùs intelligo, quomodo *corpus patiens* æternùm duret: *pati* enim eſt detrimentum accipere, quomodo igitur poſt quotidiana detrimenta corpus non denique conſumetur? De Creatore verò hæc innata animo Idea eſt, quòd infinitè & juſtus, & bonus ſit. Porro ſi *juſtus* eſt, quo titulo culpam momentaneam pœnâ æternâ plectat? & ſi *bonus* eſt, quis credat, fieri poſſe, ut pro injuria per inobedientiam ſuæ Majeſtati illata pœnam æternam expetat, quin unquam animæ in atrociſſimis cruciatibus ingemiſcentis aliqua miſeratione tangatur, præcipuè cùm cruciatus æternus ſit pura pœna, quæ neque ſervit *ad terrorem aliorum*, quia nemo tunc vivet ampliùs, neque *ad correctionem damnati*, quippe qui nunquam emendabitur. *Euſ.* Addamus tertium argumentum *à gratia Redemptoris*, cujus gloria poſtulat, ut denique *propter ipſum* reconcilietur Deus omnibus, quibus iratus eſt, & nemo ſit, qui non *infinitæ ſatisfactionis* particeps fiat. *Ang. Erratis, neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei*, Matth. 22. Virtus Dei *Omnipotentia* eſt, quæ ignem inferni alere ſine alimento poteſt: *Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendit illum*, Iſ. 30. quod aliud nutrimentum exigitis? Virtus Dei *Sapientia* eſt, quæ ſicut in fornace Babylonica fecit, ut luceret ignis, quin ureret, ita in inferno facit, ut urat, quin conſumat: aut an difficile eſſe putabitis Deo, reſtituere damnatis corpora *paſſibilia* quidem, immortalia tamen? non legiſtis, quod de homine damnato ſcripſit Job. c. 20. *Luet, quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur?* Virtus Dei *Juſtitia* eſt, quæ in culpa non temporis durationem, ſed *malitiæ gravitatem* attendit, unde inter vos etiam latrocinium, quod momento committitur, perpetuo carcere, aut perpetua vitæ privatione punitur. Malitiæ verò gravitatem *æſtimare* cujus eſt? Rei, an Judicis?

pœ-

pœnam culpæ æqualem *taxare* ad quem pertinet? Auditúrne Reus aliquando, cùm per horam punitus fuit, dicere Judici: *Nunc ſatis eſt?* SATISFACTIO pro injuria per peccatum illata Deo nulla ſufficiebat, niſi quæ *infiniti pretii* eſſet: ſic judicavit Deus, adeóque ut ſatisfieret ſibi *per Deum-Hominem*, ſtatuit: non certa concluſio eſt, quòd nulla quoque SATISPASSIO, *quæ finem habet*, culpæ gravitatem adæquet? Non acclamare punienti Nemeſi æternùm decet: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum!* Pſ. 110. Denique Virtus Dei *Bonitas* eſt: ſed nunquid æquum eſt, ut, qui bonus eſt, malum oderit, ac perſequatur, quamdiu malus eſt? æquum, ut, quia damnati perpetuò mali erunt, perpetuò puniantur? *Minatur* Deus æterna ſupplicia, ut *corrigantur* alii, alii *terreantur:* minarum *executio* non valebit ſive ad correctionem, ſive ad terrorem: quid tum? at niſi exequeretur, *verax* non eſſet: quid? quia bonus eſt Deus, an ideo *mendax* erit? aut, ne bonus eſſe ceſſet, *verax* eſſe ceſſabit? *Syn.* Non ceſſabit: nam quanquam *æternas* pœnas intentet, tamen, modò *longæ* ſint, dici verè *æternæ* poterunt, quoniam in aliis argumentis ſæpiſſimè hæc vox, *æternitas*, pro diuturno tempore à Scriptura uſurpatur, non pro duratione, cujus nullus ſit finis. *Euſ.* Et firmant hanc interpretationem textus alii, nam in Apocalypſi c. 5. dicitur Agnus *infra terram* laudari, utique cùm erit finis pœnarum: Paulus quoque mortem eſſe morituram affirmat, 1. Cor. 15. & Iſaias c. 24. *poſt multos dies* viſitaturum eſſe Deum damnatos aſſerit: age, non iſta oracula ſolatium infelicibus ferant, maximè, quando iterum Joannes Apocalyp. 22. affirmat apertè, tempus adfore, cùm *nullum maledictum erit ampliùs? Ang.* Inania ſolatia hæc, & malè intellecta oracula ſunt: Joannes omne maledictum *à civitate Dei* excludit, de qua ibi loquitur, & non de fine inferni: idem ubi de laude Agni *infra terram* differit, agit *de tempore*, non de æternitate. Iſaias per viſitationem non ſolatium intelli-

git, sed pœnarum innovationem, *in gladio duro, & grandi, & forti*, Is. 27. Paulus tandem de morte *mortis primæ* narrat, cùm resurrectionem tuetur: sed *mors secunda manet*, quod in Apocalypsi legetis, c. 21. A vocabulo quod argumentum ducatis, levitatíne tribuam, an malitiæ? Si vocis *Æternitas* aliquando usus est *pro longo tempore* nunquid propterea *nunquam* intelligi debet de tempore *sine fine?* Imò ne ambigi prudenter possit de vocis unius significatione, voluit Deus aliis, aliísque phrasibus æternitatem pœnarum docere. Aut, si aliquando, quanquam post multa sæcula, finis tormentorum futurus est, & Deus damnatos homines, dæmonésque per longa supplicia placatus admittet in cœlum, nónne mentitur Apostolus, cùm monet: *Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri Regnum Dei possidebunt*, 1. Cor. 6. mentitur, cùm asserit: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, 1. Cor. 15. fallitur Isaias, cùm c. 66. dicit de damnatis: *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur!* decepit vos Christus, qui hæc ipsa verba Marc. 9. tertiùm inculcat: decepit Joannes Baptista, Matth. 3. affirmans de Justitia Divina: *Paleas comburet igni inextinguibili!* decepit Daniel. c. 12. prædicens fore, ut multi in terræ pulvere evigilent, *alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant semper.* Dicere debebant: non videbunt semper, ignis extinguetur, vermis morietur, omnes immutabimur, tandem etiam fornicarii, & adulteri Regnum Dei possidebunt. Falsum dixit Veritas, cùm dixit de Juda proditore: *Bonum erat ei, si natus non fuisset!* Ah! bonum utique Judæ est, nam, quanquam post longa tormenta, denique beatus Judas, & felix *æternùm* erit: meretur æterna felicitas hoc pretio emi: bonum est Judæ, quòd natus fuerit! Eja! non horrent aures hanc contradictionis audaciam! At nempe *gloria Redemptoris*, & *infinita satisfactio* hos defendit Interpretes? ô speciosa argumentatio, solida, convincens, si Superis placet, & si fortè isti plus, quàm Christus, de Christi gloria

solli-

eiti sunt. Omnes equidem, qui in Adam mortui sunt, per Christum vivunt, *si volunt* meritorum Christi se participes reddere *per usum mediorum*, quæ Christus præscripsit: merita Christi gratiæ sunt, & gratiæ non obtruduntur invitis: *Qui nolunt* igitur, non participabunt, æternùm non participabunt. Audivimus clamantem Dominum: *Nisi quis renatus fuerit, non introibit: nisi pœnitentiam egeritis, peribitis: nisi abundaverit justitia vestra plus, quàm Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*, quid? num est, qui reclamare audeat: *Intrabitis tamen! non peribitis!* non hæc blasphema temeritas est? non ipsa potiùs neglectio gratiæ per Christum oblatæ crimen infinities aggravat? non sapientior hæc illatio est: in peccato imbibitur *contemptus infinitæ Majestatis*, cui vilis homulus obedire detrectat: *contemptus infinitæ mercedis*, quam obedienti Deus promittit: *contemptus infiniti pretii*, cujus neglectio nova est, Apostolo teste, profusio Divini Sanguinis, nova crucifixio, novum Deicidium: ergo peccatum meretur pœnam, quæ finem non habet. Frustra *miserationem* speratis, postquam qui infinitè misericors est, tamen postremam Judicii ultimi sententiam his verbis expressit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, statimque addidit: *Ibunt hi in supplicium ÆTERNUM, justi autem in vitam ÆTERNAM*, Matth. 25. stultitia est, qua mentitur iniquitas sibi, vocem Judicis *eandem* intelligere de vita *sine fine*, & de supplicio tandem *finiendo*. Judex & vitam, & pœnam *æternam* vocat: ergo dicere: *pœna* habet finem, *vita* non habet finem, est illudere Verbo Dei, & sibi *pulvillos consuere sub cubito manûs, & facere cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas*, Ez. 13. Itaque quid opus est pluribus? *Deus dixit*, pœnam ignis nunquam finitum iri: ergo possibilis est, ergo datur, ergo justa est, ergo non repugnat Bonitati Divinæ, ergo non excedit peccati malitiam, ergo non opponitur gloriæ & meritis Christi, denique, ergo quantumvis captu difficilis sit, credi debet *æternitas vitæ futuræ*,

turæ, una felix, altera infelix sine fine, sine fine, sine fine. Habetis, quod opponatis?

§. III.

Exercitium voluntatis.

Eusebius. TErribilium omnium terribilissima hæc veritas est! Synesi, attonitus circumspicio me, & molem negotiorum, quibus interdum obruor pæne, diu noctúque gemens sub pondere. *Syn.* Negotia vocas: nugas appella, nisi in quibus *æternitati* laboras. *Ang.* Scio: & VITÆ NEGOTIOSÆ testimonium præbent tui tituli, quando decem officiis vir unus fungeris: cubile tuum, quod accumulata in acervum volumina papyri complent: ordo diei tuus, qui vix necessarias horas refectioni corporis, & somno concedit: famuli tui, quibus etiam in die festo non est facultas, ut vacent sibi. Dic, non est hoc stulto labore consumi? imo noxio? nam cui bono sic evisceras te infelix aranea? nempe ut muscam capias, lucellum aliquod, honoris titulum, favorem hominis: tantine tantilla æstimes? equidem si vita præsens æterna foret, veniam fortè mererentur hæ curæ: sed sic fatigari, sic exhauriri, sic consumi quid hoc *ad vitam æternam*, quæ vitam præsentem excipit, quid, inquam, ad vitam æternam prodest? Imo tu metue, ne obsit etiam: sicut enim vita otiosa, sic etiam *vita nimis negotiosa* rarò est innocens. Sæpe qui omnia agit, nihil bene agit: ignorantia, oblivio, incuria, fastidium, præcipitantia vitia sunt *nimis occupatorum*, vitia, quæ caudam trahunt omissionum, & procrastinationum *contra justitiam*, caudam obdurationis & sævitiæ *contra misericordiam*, caudam acediæ & teporis *contra religionem*, caudam amoris proprii, ac suæ familiæ *contra juratam Principi fidem, ac boni communis curam*, denique caudam obcœcationis, & nimiæ securitatis *in causa animæ*, cui non datur tempus, ut inspi-

inſpiciat ſe, ſuáque conſilia, & labores ad regulam legis æternæ examinet. *Euſ.* Deſcripſiſti me! quid vis, ut faciam? *Ang.* Curas tuas cum pluribus DIVIDE, & quas tibi retines, ORDINA ad curam unam, quæ eſt *cura æternitatis.* *Syn.* Sæpe monui, & non audiſti me! *Euſ.* Ah! frigida fides de pœnis æternis fuit: nunc convictus, ſapientiùs vitæ negotia ordinabo, ne obſint æternitati. O æternitas! credi potes: capi non potes. *Ang.* Credere teneris, capere non teneris. Sed quia dæmones quoque credunc, & contremiſcunt, ne ſimilis ſit fides veſtra, id eſt, *ſine operibus*, agite, admovete vos huic igneo mari: evocabo in littus infelices animas: docebunt, quid æternitas doceat. Adeſte maledicti, quos habet hic *locus tormentorum:* ſunt, qui colloqui vobis velint. *Euſ.* Loquar propoſitiones meas, & interrogabo miſeros, quid *faciant* modò, quid *feciſſe* vellent olim, quid *facturi* eſſent, ſi ſponderem pœnarum finem. *Gesmas.* Quis vocavit? ô ſi quis nuntium mortis ferret! Crux mea, ô bona crux, ubi es? adeſte apparitores! affigite trabalibus clavis! mori unum eſt votum, mori! *Euſ.* Mori vis, Gesma, nimirum, ut, cui prima mors infelix fuit, mors ſecunda beata eſſet? *Gesmas.* Heu! non iſta ſpes damnatum lactat: vale cœlum, æternùm vale! redire in nihilum liceat: impletum eſt omne deſiderium, ſi detur mori! mori! *Phariſæus.* Ah mori! ſurda eſt mors: dolores mortis undique me circumdant: mors ſemper fugit! ure flamma ferox, ure, combure viſcera: mori liceat! *Epulo.* Eheu! *uva mea uva fellis, & botri amariſſimi, fel draconum vinum meum, & venenum aſpidum inſanabile,* Deut. 32. crucior! furit per inteſtina mordens peſtis! mortem bibi! nec tamen occidit mors, crudelis mors! *Judas.* Funem quæro, quo gulam ſtringam! trabem quæro, de qua ſuſpendar! lictorem quæro, qui me ſuffócet! quò fugis mors! quam omnes fugiunt, Judas deſiderat! *Syn.* Horrenda occupatio, æternùm cupere, quod nunquam erit. *Ang.* Occupatio infernalis!

Euſ.

Euſ. Cauſa quæ eſt exitii? *Epulo.* Ah! recordor! & peccatum meum contra me eſt ſemper! vidi Lazarum cum extremis luctantem miſeriis, nec ſum miſertus! vix vitam in deliciis ſine cura bonorum operum: poteram cœlum pecuniis emere! ô ſi feciſſem! non feci! crucior! *Judas.* Recordor, *peccavi tradens Sanguinem juſtum!* peccatum grande! monebat me Dominus, lavabat pedes, invitabat ad pœnitentiam, gratiam offerebat: ô ſi acceptâſſem! non acceptavi: perii! *Phariſæus.* Recordor, juſtitiam *coram hominibus* colui, contentus externa ſpecie probitatis, & inani nomine filii Abrahæ! clamabat Meſſias: *væ vobis Phariſæi hypocritæ!* ô ſi audiviſſem! non audivi: reprobatus fui! *Gesmas.* Recordor: pendebam in cruce ad latus JEſu: confitebatur Filium Dei ſocius, invitabatur ad paradiſum: ego blasphemavi! poteram cum ipſo intrare, ſi ſaltem moriens *in tempore* egiſſem pœnitentiam! ô ut egiſſem! non egi: pœnitet! maledicta obſtinatio! *Judas.* Maledicta avaritia! *Epulo.* Maledictæ deliciæ! *Phar.* Maledicta hypocriſis! *Omnes.* Mali æterni cauſa! *Ang.* Seri gemitus! *Euſ.* Lamenta miſera! *Syn.* Inutilia! *Euſ.* O infelices! ſed quid? ſi miſereatur Deus, ſi finem pœnarum ſpondeat, quid promittetis? exiget ardua facinora, & reſolutiones difficiles: poſtulabit à Juda, ut, quem vendidit, prædicet toto terrarum orbe in itineribus multis, in plagis ſupra modum, in omni tribulatione & anguſtia ſic, ut denique pro Chriſti nomine per atrocia tormenta vitam profundat! *Judas.* Ecce ego! mitte me! nihil eſt difficile infernum experto. *Euſ.* Si ab Epulone poſtularet, centum annorum jejunium in pane & aqua, perpetuam ſolitudinem inter tesqua ferarum, patientiam in æſtu & frigore, in egeſtate, & morbis, denique ſortem Lazari? *Epulo.* O gratia! ô miſericordia! ô Bonitas! *Euſ.* Si Gesmam juberet centum annis pendere de cruce, infamem, nudum, inter horridos dolores! *Gesmas.* Penderet cantans canticum laudis, & gratiarum actionis: gloria

Deo,

Deo, & Agnó, qui fecit mecum misericordiam magnam nimis! *Euſ.* Si tibi, Phariſæe, imperaret publicè confiteri occulta ſcelera, quibûs habitûs tui, & ſtatûs ſanctitatem contaminâſti? *Phar.* Palam undique circumirem, & dicerem: hic eſt ille vir, qui turpiter veſtram laudem appetivit, nec meruit, occultus raptor, occultus adulter, occultus nequam plus, quàm cæteri hominum! *Syn.* Hem! ut inferni experientia nullum non pœnitentiæ genus & tolerabile, & delectabile reddit. *Ang.* Sed quid tantillas difficultates proponitis? ego inter ipſos inferni cruciatus immanes, multiplices, continuos mutabo locum tormentorum in locum jubili, & exultationis: dicam illis: Bono animo eſte! miſeruit Deum veſtri: veniet dies, non quidem qua redibitis in gratiam, ſed qua concidetis in nihilum, & finis pœnarum erit. *Gesmas.* Io ſocii, quæ vox inſonuit? *Ang.* Finis pœnarum erit, cùm aliquis veſtrum ſuis lacrimis totum terrarum orbem tanquam novo cataclysmo usque ad firmamentum impleverit. *Euſ.* Superi! quantum exigis annorum numerum! *Gesmas.* Eja! placet conditio! fluite lacrimæ! quanquam guttatim fluatis, tamen veniet aliquando dies, qua ex his lacrimis lacus fiet. *Phar.* Ita, ita, & veniet dies, etſi poſt multos milliones annorum, cùm lacus ille excreſcet in mare. *Epulo.* Sic eſt, & veniet dies, qua mare iſtud exundabit ſuper terram, & tranſcendet cacumina montium. *Judas.* Et paulò poſt, nempe poſt alios mille milliones annorum aſcendet mare lacrimarum ad lunam, ad ſolem, ad orbem Saturni, & denique aderit dies, cùm dicemus: lacrimare adhuc per annum, & aqua firmamentum continget! *Epulo.* Et deinde adhuc per menſem! *Phar.* Poſtea adhuc per hebdomadam! *Gesmas.* Demum per diem, & horam! *Omnes.* O dies beata! ô hora felix, qua in nihilum relabemur! *Ang.* Ridiculi eſtis, nam inanis hypotheſis eſt. At ecce! cœlum ſe aperit! ſupplicate Sanctis, ut orent pro vobis, & hanc hypotheſin Deus purificet.

§. IV.

Colloquium. *

Euſebius. EGo ſupplicabo, nam video, ab hoc aſpectu cruciatum miſerorum augeri. S. Disma, ſocium ſupplicii ardere ſic videas, & non miſereberis? S. Lazare, non charitas Chriſti urget, ut ores pro eo, qui perſecutus eſt te? S. Publicane! tui miſertus eſt Dominus: non decet, ut tu quoque miſerearis conſervi? *Omnes Beati.* Non eſt tempus miſerendi amplius! *Dismas.* Alleluja Deo, & Agno, quia vindicavit ſe de obſtinatione cordis lapidei! *Lazarus.* Alleluja Deo, & Agno, quia vindicavit ſe de licentia cordis carnei! *Publicanus.* Alleluja Deo & Agno, quia vindicavit ſe de malitia cordis perverſi! Triumpha Juſtitia! ſicut cœlum à ſtellis, ſic infernus à damnatis refulget tibi! *Dismas.* Odor victimarum tuarum odor ſuavitatis! *Laz.* Aſcendat, aſcendat ad nos in ſæcula ſæculorum! *Omnes damnati.* Sulphur, ignis, fumus involve atra nube aſpectum gravem: ſæviùs cœlum, quàm orcus cruciat! *Omnes Beati.* Digna factis recipitis! Cruciatus æternus erit!

§. V.

Reflexio.

Euſebius. CRuciatus æternus erit! ô infernus! ô æternitas! atrocia vocabula, ad quorum ſonum ipſæ columnæ cœli contremiſcant! ſed Angele mi! ardeant ſanè, æternùm ardeant Judas, Gesmas, Epulo, Phariſæus! inter Chriſtianos num eſt aliquis, cui timendus infernus ſit? *Syn.* Juſta eſt quæſtio: nam ſi quæras ex Chriſtianis, quis veniat in infernum? reſpondent

* Cœlum ſe aperit.

dent innocentes, *non merui!* reſpondent pœnitentes: *Jam ſum confeſſus!* reſpondent peccatores: *jam confitebor!* Quis igitur veniet in infernum? *Ang.* Chriſtianis *deceptis* plenus infernus erit. O miſeri, decipitis vos, qui dimidium tantùm Deum colentes BONUM laudatis, JUSTUM non timetis. Decepti, decepti damnantur, decepti *innocentes*, ſola innocentiæ ſpecie contenti: decepti *pœnitentes*, quibus dolor in ore, non in corde eſt natus: decepti *peccatores*, qui per ſtultam ſpem craſtinum ſibi promiſerunt: & *Juſtus es Domine!* decipiantur, qui decipere te voluerunt! vos ne inter deceptos ſitis, carbonem ex inferni rogo auferte hinc: non extinguetur: igne æterno ardet! *Syn.* Serviet ad memoriam! *Euſ.* Et ad terrorem! *Ang.* Salubris terror eſt: neque enim infernum effugit, niſi qui timet. *Euſ.* Timeo! ô infernus! ô æternitas!

O. A. M. D. G.

MISERICORDIA DEI
ARGUMENTUM QUATUOR MEDITATIONUM
ANNI M. DCC. XLVI.

MEDITATIO I.
MISERICORDIA CONNIVENS
SIVE
FILIUS PRODIGUS
in Regione longinqua.

ARGUMENTUM.

IN contemplando *quarto* ſeriæ converſionis *gradu*, qui conſiſtit IN SANCTA SPE, hoc anno figimus pedem. Nempe, poſtquam peccator CUM AUGUSTINO, quem veræ pœnitentiæ Prototypon jam olim fecimus, cœpit pro gratia ſuæ converſionis *orare*: poſtquam deinde ex perpenſa gravitate peccati didicit ſeipſum *horrere*: atque inſuper ad expli-

explicata malæ vitæ pericula commotus est, ut *metueret* sibi: proximè sequitur, ut animetur AD FIDUCIAM, ne fortè per desperationem aut *veniæ*, aut *constantiæ* à susceptо jamjam suæ conversionis consilio retrahatur. Argumentum affectui tam dulci excitando accommodatissimum suppeditat MISERICORDIA DEI teste Scriptura *nolentis* mortem peccatoris, *sed ut convertatur impius à via sua, & vivat*, Ezech. 33. Atque ideò *hujus voluntatis* actus quaterni quatuor Meditationum currentis anni materia sunto, sic, ut prima exhibeat Misericordiam *conniventem*, altera *punientem*, tertia *animantem*, quarta *recipientem* in gratiam omnes, qui *in tempore* superbam cervicem *invitanti* submittunt. Thema idem omnium erit FILIUS PRODIGUS decantatum omnibus sæculis Misericordiæ Divinæ emblema, quod si alicui exhibere videbimur nimis accommodè *ad mores nostri sæculi*, meminerit ille, *parabolam* omnium temporum & gentium *historiam* esse. His notatis, primæ Meditationis Idea, quam subscribo, legatur attentè.

Materia est: Filius Prodigus *in regione longinqua.*

Puncta duo: 1. Luxuriosè viventis scelerata *præsumptio.*
2. Post bona malè dissipata sceleratior *desperatio.*

Fructus, Adoratio gravissimi Mysterii *in Divina Conniventia* contenti.

Propositum, Detestatio barbaræ conclusionis: *Bonus est Deus, ergò licebit impunè esse malum.*

Chorus Exhibet terribile dubium, utrùm patientia Dei peccatorem ad tempus tolerantis, effectus Misericordiæ sæpiùs, an Justitiæ sit?

NOTANDA
Lectori, & Spectatori.

I. OMittimus exhibere Filium Prodigum *ante abitum* ex domo paterna, quia (quod attentiùs rem expendenti patebit) id argumenti genus materiam Comœdiæ aptiorem, quàm Meditationi ſuppeditabat.

II. Filius Prodigus in Evangelio ADOLESCENTIOR appellatur, adeóque non ſolùm Fratre *junior*, ſed ne quidem *adoleſcentiam egreſſus* ponitur, ſive ſedecim circiter, aut ſeptendecim annorum maſculus in ea ætate, quam ſibi ſuæ perverſionis fuiſſe principium Auguſtinus deplorat, quando l. 2. Conf. c. 1. & 2. *Decimum ſextum annum vitæ ſuæ* fuiſſe lamentatur, quo *computruerit* coram oculis Dei, totúmque ſe in hoc ſtudium effuderit, ut amaret, & amaretur. Addit l. 3. c. 6. *TUNC exceſſerunt caput meum vepres libidinum, & nulla erat eradícans manus, imò plaudebat Pater ex inquieta adoleſcentia, quaſi jam in nepotes geſtiret.* Confirmat noſtram opinionem ſpecies ſervitutis, & eſt veroſimile, herum barbarum non ad paſcendos porcos (qui puerilis eſt labor) ſed ad piſtrinum potiùs, aut ad ſtivam damnaturum fuiſſe hominem, niſi eum per ætatis teneritudinem ejusmodi mancipiorum oneribus eſſe imparem judicâſſet.

III. Credimus, Chriſtum in ætate tenera potiùs, quàm in adulta Divinæ Miſericordiæ exemplum ſtatuiſſe, ut diſceremus, facilem eſſe Deum ad veniam iis, qui *per imprudentiam* magis, quàm *per malitiam* peccant, neque diu in ſtatu peccati hærent, ſed ad primam correctionem reverſi *in ſe*, continuò etiam revertuntur *ad Patrem*. His notatis, quisque in perſona Prodigi conſideret *ſe* (non *alium*) & *delicta ſuæ juventutis* deplorans ſtatuat ſibi locum in cœlo, ſi jam *inter innocentes* ſperare nullum poteſt,

poteſt, ſaltem *inter pœnitentes* per uſum gratiæ, quam miſerans Deus offert, vendicare.

Nomina, Clavis, & Character Perſonarum.

NE puræ Parabolæ exhibitio vacua fructu ſit (quod futurum eſſet, ſi præter affectum *naturalem*, qualem paternus amor cum peripetia ſpectatus facilè excitat, pareret nihil) juvat ſenſui litterali *ſpiritualem* adjungere, & allegoriam apertis verbis miſcere. Hoc fine, quid in unaquaque perſona ſit attendendum, notamus.

1. FILIUS PRODIGUS (quem Anthropum vocamus) exhibet *animam peccatricem*, quæ ad morem imprudentis Juvenculi, accepta à Deo Patre *ſupra humanam prudentiam* nos amante (nam nullus ſapiens Pater faceret, quod Parabola factum eſſe narrat) talenta per vitæ licentiam peſſumdat *in Regione longinqua*, hoc eſt, longè diſſita *à terra ſancta*, ſive à moribus, & exemplis Sanctorum.

2. FRATER PRODIGI (Adelphus) imago eſt viri probi, & zelo ardentis, ſed *non ſecundùm ſcientiam*, neque cum illa *prudentia*, ac *patientia*, quam tantum opus exigeret, quantum eſt reducere ad Deum animam pertinaciter aberrantem.

3. MERCENARIUS repræſentat *Creaturas ratione carentes*, quæ ex Dei Lege ſervire hominibus etiam impiis debent, atque ad hunc finem, & non ad alium, *beneficium conſervationis ſuæ* tanquam famulatûs *mercedem* accipiunt. Interea dum corpori ſerviunt, animæ tacitis vocibus (quod SS. PP. notârunt) tria verba acclamant: ACCIPE! REDDE! FUGE! *Accipe beneficium*, quod tibi Deus facit per noſtrum mancipatum! *Redde officium* grati animi, nec abutere Creaturis adversùm Creatorem: *Fuge ſupplicium*, quod abuſuro decretum eſt.

4. PATERFAMILIAS, ſive hoſpes primùm, deinde HERUS Prodigi eſt malus Dæmon, qui hominem in peccata pertractum frau-

fraudibus, paulatim per vim consuetudinis mancipat sibi, gravibúsque impedimentis pœnitentiæ implicitum, nisi Deus singulariter caveat, in desperationem emendationis præcipitat.

5. FILII PATRISFAMILIAS sunt Mundus, & Caro, sive Consilia, & Desideria hominibus ex mundi usu viventibus, & carnis commoda sectantibus familiaria, dæmoníque ad scopum, in quem per artes suas tendit, optimè opportuna.

6. VILLICUS exhibet instrumentum diaboli, sive *creaturas*, quibus dæmon Deo permittente utitur ad nostram afflictionem, ut in desperationem præcipitet.

Hæc pauca qui notavit, fregit corticem: comedat nucleum, dulcis est, & miris, sed veris modis animam reficit.

PROLOGUS.

Ratio propter difficultates in executione pœnitentiæ occurrentes pusillanimis, à Fide excitatur ad spem figendam in auxiliis Divinæ Misericordiæ.

[*Fides. Ratio.*

Ratio. ITa, ita:
PECCATUM EST SUMMUM MALUM!
Hoc in Ieroboamo, & Nabuchodonosore, *
Hoc in Saule, & Ochozia,
Hoc in Deicidio,
(O horrendum spectaculum!)
Hoc in Deicidio video, horreo!.....
Ita, ita:
A PECCATO EST OMNE MALUM!

A pec-

* Exhibitio de Argumentis Meditationum huc usque exhibitarum.

A peccato eſt mala Mors, & terribile Judicium,
A peccato eſt jactura Cœli,
Et æternum ſupplicium:
Intelligo, timeo!...
Timeo, & tandem ſeriò peccâſſe pœnitet:
Amariſſimè doleo!

ARIA.

1.

Dolete mecum ſidera:
Peccavi!.... ô amentia!...
Et potui peccare!...
Protervo pede potui
Supremi Jura Domini
Inſaniens calcare?

2.

In iras ite Cœlites!
Ad arma mali dæmones!
Cur parcitis rebelli?
Sol ſta! ignita aureos
In tela verte radios
Ad uſum ſacri belli!

Fides. Sint Superis gratiæ!
Intelligis denique, quid merueris,
Quòd contra Omnipotentem
Inſano faſtu tumueris.
Ratio. Deteſtor infandum furorem!
Fungus herì natus per cœli favorem
Auſus eſt Cœli Domino in faciem dicere:
NOLO SERVIRE!... O voces diræ!
Horrenda audacia!
Et adhuc vivo!

Nondum in cineres provocata toties
Redegerunt me fulmina?

Fides. Adora Numinis patientiam:
Expectavit pœnitentiam.

Ratio. Pœnitet me!

Fides. *Pœnitet*, verbum est: opera exhibe,
Et fructus dignos pœnitentiæ.
Conversio est *cordis versio:*
Incendere necesse est, quod adorâsti,
Adorare, quod incendisti,
Amare, quod odisti,
Et *odisse*, quod amâsti:
Ita *Cor vertitur:* & hoc est proprium
Seriæ pœnitentiæ exercitium.

A R I A.

* En Cordis imago profani!...
Quid juvat lamento inani
Horrorem testari,
Si pergis cunctari,
Nec operi manum adjicere vis?
Quod sæpe *Pruina* est flori,
Non rarò est *hora* dolori:
Vis, credam, te verè
Ac seriò flere,
Necesse est, ipse ut SERIUS sis.

Ratio. Heù me! imperas hanc silvam exscindere?

Fides. Imperium est pœnitentiæ.
Conversio est *Cordis versio:*
Ergò necesse est, non solùm ut *evellas*,

Et

* Exhibitio cordis silvescentis.

Et *Deſtruas*, & *Diſperdas*, & *Diſſipes*,
Sed inſuper, ut *ædifices*, & *plantes*, Jer. 1.
Ratio. Ah! res eſt infiniti laboris!
Et ego neque *fodere* valeo,
Neque ſi *cœpero* ædificare, potero *conſummare*.
Fides. Modicæ fidei!
Nunquid abbreviata eſt manus Domini?
IN SPE ERIT FORTITUDO TUA, *Iſ. 30.*
In ſpe Divinæ Miſericordiæ,
Quæ ſicut dedit velle, ita dabit perficere
Per auxilia ſuæ gratiæ.
Erige animum, meditare,
Quàm ſeriò Deus te velit ſalvare.
Miſericordiæ conſideratio
Erit puſillanimitatis curatio.
Ratio. Argumentum dulciſſimum!
Surge anime, vires collige!
Fides. A Cœlo mecum expete.

DUETTO.

Miſericordia!
Hæc inter nubila
Serena luce emica:
Exoriatur ſpes!
O ſpes, ô bona ſpes,
Tu balſamum peccantium,
Tu robur pœnitentium,
Tu vera Pharus es!
Miſericordia
Hac luce emica!

MEDITATIONIS I
De Filio prodigo in Regione longinqua
PUNCTUM I.
Luxuriosè viventis scelerata Præsumptio.

SCENA I.
Satanas solus.

Horologium inspiciens. ENimverò decimam index loquitur: tandem evigilaverit, opinor, Endymion meus, & edormierit hesternam crapulam. Interest, ut primas cogitationes ego occupem: periit dies mihi, si quis prævenerit Solem ad Manna legendum sibi. *Hospes* hactenus meus hic adolescens fuit: Hodie faxo, ut *Servus* fiat. Malum! quòd cogere *invitum* nequeam. Efficere ut fiat *volens*, labor erit, non arduus labor tamen: Diuturnum hospitium desinere in famulatum solet *, & sequitur ex talibus præmissis talis conclusio fere semper. Nec fallit me artificium toties felix: *Per ipsam Spem* traho animas in desperationem, & *per desperationem* in mancipatum. Quòdsi non sufficio solus, ad nutum adjutant filii, Satanæque consilia Mundus ac Caro promovent. Favete furiæ, laboro vobis! *Pulsat*.. Auditus sum. **

SCE-

* Ex peccandi licentia fit consuetudo, & quasi servilis necessitas.

** Aperitur. Prodigo Cubicularius crines accommodat ex usu nostri sæculi: interea colloquuntur.

SCENA II.

Prodigus. Cubicularius. Satanas.

Cubicularius. MAtutinus hodie es nobis Satana! *Satanas.* Imò Meridianus: jam enim Sol in meridiem properat. *Prodigus.* Hora respondet horæ, bone vir: serò concessi cubitum, surrexi serò. *Cubic.* Utinam casu sic. Sed jam in morem casus abiit, Here, & vertisti naturæ ordinem: de nocte vigilas, de die dormis. Non sic in patria. *Prodig.* Si fueris Romæ, Romano vivito more! hìc ita vivitur, inter nobiles certè, quibus utique tu non eundem cum plebe ordinem diurnum scribes: distingui debent. Denique liber sum. *Sat.* Sic est: & ego hanc libertatem, nobilissime hospes, gratulatum venio, quippe cujus à te vindicatæ annua hodie recurrit memoria. *Prod.* Annua hodie? Superi! quàm celeri cursu tempus rapitur! nempe quia hilares dies viximus. *Cub.* Sanè, viximus! imò non viximus, sed *fuimus*: Neque enim vita inutilis nomen vitæ inter Sapientes meretur. Interea iterum annô integrô vicinior vitæ mors, feralem intentat falcem. *Prod.* Tu sententias spue: At ego rideo: nam donec mors adequitet mihi, adhuc quadragies saltem suam per orbitam se Phœbus volvet. Sed quid vult charta, hospes, quam manu præfers? *Sat.* Quod annuo more solent hujates Patresfamilias, scripsi computum sumptuum in menses singulos: offero, ne mea olim laboret fides. Defige, Domine, oculum in Rubricas, intelliges, nihil avarè taxatum esse, in tanta, quæ incolas premìt, fame. *Prod.* Amice, res nimis serias Scriptura habet: Differamus in crastinum: Hodie litandum est genio, & Sacra Libertati liberè agenda dies. Nihil tui filii nugarum habent, quibus comburamus tardigradas horas? pollent ingenio juvenes, & facti sunt ad meam indolem: pro fratribus amo.

Sat. Fortuna me amavit, & meos, quòd placeant tibi. Quotidie moneo, ut ſtudeant ex tua converſatione proficere, & ecce, ajo, ſic hoſpes noſter, ſic oculos, ſic manus, ſic ora tenet, ut corda rapiat! quàm facilis eſt acceſſu! quàm promptus obſequio! quàm comis! quàm facundus! quàm liberalis! vis ingenii ex oculis ſplendet! ſuada in labris conſidet! faciem amabilitas pinxit: Totum hominem expolivit humanitas: intùeri, venerari, imitari vos decet. Ita ego meos exhortor ſæpiſſimè. *Prod.* Lepidus es. *Sat.* Nihil ſupra verum exaggero: neque ſolus revereor: Suſpicit urbs univerſa magnitudinem animi tui, atque magnificentiam in veſtitu, in conviviis, in ludis, in donis: Omnium animos ſibi devinxit ipſe habitus membrorum tam ad omne exercitium factus, natúsque, ut, ſive ambules, ſive equites, ſive ſaltes, ſpectantium oculi in ſtuporem rapiantur. *Prod.* Amice, ſile, nam in ruborem me agis. *Sat.* Si ego ſileam, omnia compita loquentur: undique audiuntur voces gratulantium patriæ, quæ talem genuit, gratulantium parentibus in filio tantæ ſpei, gratulantium puellæ, quam tibi uxorem ſeliges, gratulantium mihi, meísque filiis, quibus licuit familiariùs frui te. *Prod.* Ceſſa Satana! obruis aures, & animum laude nimia! *Sat.* Quam hæc ipſa feliciſſimè coronat modeſtia. *Prod.* Si me amas, fac, ut adſint ambo filii, & diem liceat in deliciis agere. *Sat.* Prompti ad obſequia venient.

SCENA III.

Prodigus. Cubicularius.

Prodigus. EVax homo! iſti ſunt homines! herclè, me pæne pudet natum eſſe *in Terra ſancta:* Adeò noſtri cives, ſi cum iſtis compares, ſunt inculti, bardi, inepti: nihil loqui

loqui ſciunt, niſi *eſt, eſt, non, non!* utuntur hoc mundo, *quaſi non utantur!* ſunt ſimplices, *ſicut columbæ!* quid multa? Sic noſtri ab iſtis differunt, ut dubites, num omnes ſimus ex ſimili gleba formati. *Cub.* Here, tua Philoſophia Juvenismum ſapit: neque enim Sapiens contra effata Sapientiæ diſputat. *Prod.* Hem! tua cruditas probat, quod dixi. Verùm omiſſa diſputatione tandem perage, quod agis, & abſolve me. *Cub.* Jam ultimam manum admoveo: MEMENTO HOMO, QUIA PULVIS ES, ET IN PULVEREM REVERTERIS! *Prod.* Iterum inſulſe baubaris! ad ſenes hæc nænia pertinet. *Cub.* Imò tibi cantari hoc carmen optimus parens juſſit, quoties inſpergerem capiti pulverem Cyprium. *Prod.* Hìc aliæ cantilenæ perſonant, alii mores vigent: Domi *mancipium fui.* *Cub.* Atqui frater tuus, Here, ex iisdem tecum vivebat regulis, nec tamen vita acerba erat. *Prod.* Quid mihi eſt commune cum fratre? Certè de guſtibus non eſſe diſputandum, inquiunt. Affunde aquam manibus! *Cub.* QUIS ASCENDET IN MONTEM DOMINI? INNOCENS MANIBUS, ET MUNDO CORDE! *Prod.* Totus quantus hodie ſtulteſcit homo! Togam portige. *Cub.* INDUE ME, DOMINE, VIRTUTE EX ALTO, UT COMPAREAM CORAM TE IN VESTITU DEAURATO A CHARITATE! *Prod.* Fidelis memoria eſt tibi ad minutias adeò. Exhibe Speculum! *Cub.* Quis proſpicit, & CUJUS EST IMAGO HÆC? Dei, an Diaboli? *Prod.* Ridere ſtolonem juvat. Non tu Narciſſum vides? *Cub.* Certè teipſum amas, & opto, ut ames bene. *Prod.* Viden', quàm bellè impreſſus fronti me ornet pileus? & gladius, cùm hæret lateri, nunquid loquitur herois filium?... ſiles demum, & fateris nempe, in patria nihil veſtium confici poſſe iſtis ſimile, non pileum, non gladium, non togam, non calceum ſaltem. *Cubic.* Ah! STOLA PRIMA ornaret magis. *Prod.* Tace: non habet patria artifices pares hujatibus. Verùm mittamus nugas modò,

quas

quas tu sic vocas: Tractemus seria. *Cub.* O SS. Cœlites! vocem similem per trecentos sexaginta tres dies non audivi: Totus jam auris sum. *Prod.* Synopsin habe: cogito redire ad Patrem. *Cub.* Io! Sancta cogitatio! *Prod.* Expecta: cogito redire ad Patrem, sed non modò. *Cub.* Hem! & si aliquando, quare non modò? *Prod.* Aliquando Senior ero, nunc juvenis ferre jugum non possum. *Cub.* Est jugum paternum, suave. *Prod.* Jugum tamen. Tu audi porro: nam tuâ est opus operâ in rem meam. *Cub. Utinam* non ad injuriam Patris. *Prod.* Ecce! PORTIO SUBSTANTIÆ, quam dedit Pater, parum aberit, quin sit dissipata: & fortè propterea Paterfamilias inspectionem Rationum obtrusit de expensis totius anni. *Cub. Utinam* inspexisses pridem! Sæpe monui. *Prod.* Itaque providè ago, si mitto te, ut novas mihi pecunias à Patre postules. *Cub.* Heu! vulneratæ sunt aures mihi ab hac audacia! *Prod.* Fiduciam voca: nam Parens tenerrimè amat me. *Cub. Utinam* amantem sic redames tu! *Prod.* Per spem honoro. *Cubic.* Cruditas, temeritas, præsumptio, scelus est id, quod tu spem nominas. *Prod.* Non ibis? *Cub. Utinam* ires tu! nam si ego examen de malè perditis talentis subibo, quid vis, ut narrem? nempe quantum argenti in lauta convivia, in vestes splendidas, in ludos noxios, in socios infames, in impudentes parasitos, in luxum vanum, in servos inutiles, in procaces Helenas, in superbas Pelagias, in perfidas Thaides, denique in meras stultitias profuderis? *Prod.* Quid? talia narrabis tu, quasi nihil scires, quod laudes! *Cub. Utinam* aliquid saltem! *Prod.* Utinam! utinam non esses stolo! scilicet nescis, quanto pro pretio servierint mihi Magistri linguarum, Doctores Musicæ, & à quibus saltatoriam, equestrem, gladiatoriam didici ad Patris gloriam. Hæc sunt *Exercitia nobilium:* per hæc efferimur supra plebem. *Cub.* Hæc sunt *Exercitia corporis* (quanquam *utinam* vel in his eva-

evaſiſſes mediocris!) ego mallem, ut *per exercitia animi* à fæce hominum vos diſtingueretis! *Prod.* Non jam quæritur, quid tu malles, ſed quid ſit moris. *Cub.* In patria moris eſt id, quod ego mallem: de progreſſu in virtute & ſcientia rationem expoſcet Parens. *Prod.* Tunc tu ſi nihil narrare potes, ſaltem aliquid mentiri poteris: & tandem, quid altercari juvat? neceſſitas tale ſuggeſſit conſilium: niſi me juvet Pater, jam triſtis egeſtas mihi *quaſi vir armatus* imminet.

SCENA IV.

Prodigus. Cubicularius. Satanas. Prodigi frater perſonatus.

Satanas. DOmine, tabellarium adduco tibi de tua domo: opto, ut læta ſint nova, quæ affert. *Frater.* Imò deceptus ſum: non eſt hic, ad quem mittor: neque enim ſic veſtimur IN TERRA SANCTA. *Prodigus.* Nihil te veſtis turbet, bone vir: poſtquam hìc advena eſſe deſii, oportuit incolas imitari. Porrige litteras: inſcriptio docebit, utrùm ſis miſſus mihi. Non errâſti: Patris eſt iſta manus. O chare Pater! *Frater Seorſim.* Jo! hic mihi affectus placet! *Prod.* Quid tu exclamas? *Frater.* Domine, obſervare me juſſit Pater, quid ad primum Epiſtolæ aſpectum ageres, & nempe num adhuc aliqua ſui reverentia, aliquis amor viveret. *Prod.* Dubitat Parens? *Frater.* Cogitur: tanta de te narrantur crimina, ut, quibus tui cognitio fuit, perpetuis plorent lacrimis corruptionem indolis tantæ ſpei. *Prod.* Et Pater credit mendaci famæ? Amate me Superi! perditus ſum, ſi ceſſavit amare Pater. *Frater.* Imò amat vel ſic deſcriptum: teſtes amoris litteras tenes: lege. *Prod.* Teſtes innocentiæ cives huiates habeo: audies. Hilarem vitam vivo: ſed ſunt, qui hilaritatem cum improbitate confundunt Catones rigidi, & inimici ætatis teneræ: hi nimirum me talem pinxerint. Hic vir honeſtus, & urbis Conſul aliam

formabit de me ideam tibi: tutò credes, pro filio amat. *Sat.* Mendax fama eundo creſcit: ego domi meæ non alo ſcelera. *Frater.* Felix ſum. Sed tu lege litteras, here: merum amorem ſpirant, & merum Patrem. Invitat domum: ut redeas, cupit: difficilis non erit purgatio per teſtimonia conſciorum: amplexum offert: denique anxium rumor habet, quòd hanc regionem premat extrema fames, & quid? inquit, ſi famem, ùt ſolet, ſequatur peſtis? infelix Pater ſum, à cujus complexu procul morietur infelix filius! *Prud.* Ipſa adeò verba tenes: legiſti epiſtolam, amice, an perfidè rupiſti vinculum? *Frater.* Prælegit Pater, ut poſſem urgere fortiùs, ne iter differas. Age, reſponſum audiam, quod me oblectet! *Prod.* En! adſunt ſocii: cras dicam, quid ſim facturus. Salvete urbis ſidera, gemelli fratres! accinctum videtis: ducite, ubi hoſpitales Gratiæ delicias parârunt nobis in diem hanc.

SCENA V.

Prodigus. Frater Prodigi. Cubicularius. Satanas. Cosmus. Creon.

Creon. PArârunt in omnem diem illis, qui colunt Deas conſtante cultu. *Cosmus.* Nôſti morem: imus *per circuitum:* (*) hodie AD CORVUM conventus erit. Imperatum eſt prandium: invitatæ aſſidebunt omnes novem Muſæ, ſuum in te reverituræ Apollinem. *Prod.* Imus: colludemus ſuaviter in hoc Parnaſſo. *Creon.* Si modò nullus Marſyas turbet chorum. *Prod.* Excoriabitur. Quid metuitis tamen? *Cosm.* Hunc advenam. Nunquid te in patriam revocat? ah! quàm triſte erit à te avelli! *Creon.* Siles verò? age, liceat arbitrari epiſtolam. Prô! actum eſt, frater! legi clauſulam: IMPERAT PATER! REDI! *Cosm.* Rigidum Imperium eſt: noli

*. Impii in circuitu ambulant, Pſ. 11.

noli obedire! *Frater.* Cœlum parce! ſcandalum ponunt iſti in via bona! obſecro, Domine, quid agas, vide: alieni an præ Patre audiendi ſint, potésne etiam deliberare? *Cosm.* Tu quis es, homuncio, qui te nobis opponis? *Prod.* Omittite rixas, amici: nihil huc usque decretum eſt: cras conſultabimus. *Creon.* Imò liberiùs indulgebimus genio, ſi hodie concluſio fiat. Dic tabellarie, adhuc in urbe veſtra vigent ſeveræ leges, quarum rigor iſtum in fugam egit? *Frater.* Non rigor legum egit, ſed noxiæ libertatis puerilis amor. *Prod.* Nempe ſic diffamatus ſum. Et tu caleſcere incipis paulatim, nec quis, nec quibus loquaris, memor. *Cosm.* Sine, dedolemus crudum hominem, ut diſcat mores. Dic, morio, quot Deos colitis? *Frater.* Unus eſt DEUS, & una fides, DEUS ſanctus, fides ſancta: ſi quis vel nutu contradixerit, anáthema dicitur: captivari intellectus in obſequium teſtimonii divini debet. *Creon.* Hem! tyrannis! ſcilicet ut effodi oculos patiamini, imperatur. Apud nos credere, quod libet, licet: ex quavis fide ſperatur ſalus. *Frater.* Sed non à quavis habetur. Quæ DEO placeat, neceſſe eſt, non ut ſit facilis fides, ſed ut ſit prudens. *Cosm.* Et quid ſperatis pro obſequio? *Frater.* Jubemur animum ad æterna erigere, contemptis bonis, quæ afficiunt ſenſum. *Creon.* Nova tyrannis! *quod vides bonum, abjice! deſidera, quod non vides!* ſtultitia eſt! *Frater.* Ita, ſi ſumus pecora, quibus oculorum tantùm, & nullus Rationis eſt uſus. *Sat.* At unam maximè negare non potes eſſe intolerabilem legem. Audio, quòd vir bonus ſit herus tuus, potens, ſapiens, liberalis, magnificus, amore dignus: verùm poſtulat, ut ametur *ſolus*, & ametur *ex toto corde, ex totis viribus:* non intelligitis, quàm ſit hoc præceptum moleſtum indoli in amores propenſæ? *Creon.* Zelotypiam lex iſta loquitur. *Cosm.* Zeloſiſſimam. Nam vel oculum in forma mulieris figere, ſcelus putatur: verbum blandientis ſi audias cum leviculo riſu, ſuſpectus de perfidia eris: ipſe ſi loqua-

quaris sermonem verecundum minùs, lata sententia est: apperso ad collum molari lapide mergéris in profundum maris. *Creon.* Igitur Cæci, surdi, muti esse iubentur, qui serviunt hero tuo? *Frater.* Dominus est: obedire est necesse! *Sat.* Imò naturam exuere debent: parum dixi: odisse se ipsos debent, abnegare se sibi, crucifigere demum carnem suam cum concupiscentiis omnibus, quæcunque declinant animum à regula, quam ipse in tabulis lapideis scripsit. *Creon.* Utique pro hominibus lapideis. Nos aliam legem habemus sapientiùs accommodatam carni, & sanguini, ex quibus compacti sumus. *Frater.* Obedire est necesse! *Cosm.* Plura alia narrata sunt, quæ qui vel obiter audiat, tinniant ambæ aures præ horrore: puta, de contemptu divitiarum, & honorum, de condonatione injuriarum, de dilectione inimicorum, de confessione peccatorum, de obligatione restituendi ablata, solvendi debita, elargiendi superflua, & sexcentis ejusmodi. *Frater.* Obedire est necesse! & *vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat,* obedientium his legibus, gratiáque sucollante naturæ obedientium alacriter, perfectè, constanter: quod tot ac tot potuerunt, cur vos non poteritis? obedire est necesse! & si obedientia *vitæ pretiô* constet, *vitæ ac mortis Domino* necesse est obedire: *Illi vivimus, illi morimur,* nemo sibi. *Cosm.* Habe tibi oracula tua: nos non habemus regem, nisi nostrum arbitrium. Certum est, Domine, tua à Patre fuga nemini potest improbabilis videri. Eja! perge hærere Patri nostro: fœdus æternum siat! *Prod.* Hoc verò à me absit: nimium Cosme, petis. Tenebo viam mediam, & neque statim, neque nunquam, sed redibo ad Patrem *aliquando*, decretum est firmiter: nunquid sic & vobis satisfacio, & tibi? *Creon.* Ultrò ad tyrannum redibis: amice sapis? *Prod.* Redibo aliquando: nam iste verè dixit: obedire est necesse! timor adigit. *Fili*, sæpe dicebat Pater, *Fili, si totus caro esses, permitterem obsequi appetitui animali, & carnis motibus: sed quia pars nobilior*

nobilior tui est intelligens spiritus, necesse est, ut animal animæ pareat, neque se unquam efferat contra Rationis imperium: sic Pater imperat, futurus Judex, si secus feceris. Iste est metus mihi. *Creon.* Inanes minæ! metus vanus! in regione longinqua à Patre degis. *Prod.* Emissarium, ô boni, habet Pater, qui, qua hora non putabo, *ùt fur in nocte* opprimens me, Judici sistet reum: nisi rediero, *dum tempus est*, socordiam in igne æterno luam. *Cosm.* Redeuntem autem recipiet in gratiam Pater? *Prod.* Recipiet: promisit enim. *Creon.* Et tu quod adeò horrebas jugum, constanter deinceps feres? *Prod.* Non feram diu: nam si paucis ante mortem horis reversus fuero, satis est. *Cosm.* Si ita est, assentimur consilio; *redibis olim*, abeat in ultimam Thulen metus, revocandus denique, cùm eris senex! *Creon.* Ætatem viridem securus nobiscum ages. Eja! flos temporis nullus pereat! *Prod.* Eja! *Frater.* Abis? & ego tale à te responsum Patri frater feram!

SCENA VI.

Frater Prodigi. Cubicularius. Satanas.

Satanas. QUid audio? mei hospitis te fratrem vocas? *Frater.* Sum eheu! *Sat.* Cessa gemitus, & sine modò: cras reperies hominem meliùs dispositum ad tua consilia. *Frater.* Et quousque silebis tu? * Erubescis forsitan vultum heri servus complex scelerum, aut auctor etiam? *Cubicularius.* Parce! turpissimam servitutem invitus servio! Spes redemptionis à te exoritur: ut vidi, exilii gaudio, dissimulans tamen, quia, quòd velis latere, intellexi ex habitu. Obsecro, ne cedas, here, donec ex hac Babylone abstraxeris fratrem: non credis, quàm liberè hic scelus imperet: Sodomam dixissem meliùs, nisi dubium esset, num *confusio* magis, an *licentia* dominetur. *Sat.* Modestiùs loqui potes, audiente me? *Cub.* Sic est, here, nam hoc omisi: ne fortè impudentiam impudentiæ puderet, lata est

* Ad Cubicularium.

lex silentii, & nemini licet hiscere, aut obloqui saltem contra perversos mores. *Frater.* Ah! nihil opus est! infamiam urbis esse minorem verô, satis locutus est frater, satís digni hoc Patre filii, in sanctissimas leges tam blasphemè facundi. *Sat.* Tu opprobriis abstine in aliena domo: vestris vos, nos nostris moribus vivimus. Speculator, an Reformator venisti nobis? neuter titulus placet. Si verò reducendi ad Patrem fratris una intentio fuit, quo fine personam tegis? fraudem suspicor. Quid? non occultè rapiendi juvenis animus erat? nihil est his artibus opus: quis enim tenet? num vinximus? an non est liber? persuade, ut abeat tecum: non me oppono, modò priùs exolverit debita, quæ contraxit. *Frater.* Audio novum malum! ergo tantillo tempore dissipavit substantiam suam decoctor prodigus! *Sat.* Ridiculus es! quinque talenta attulit, (*) sexcenta sexaginta sex pessumdedit: computum inspice. *Frater.* Horrenda profusio! *Cub.* Incredibiles impensæ! *Sat.* Examinemus ACCEPTUM, talenta quinque: talentum argenti in vestra regione ter mille siclorum pondus habet: siclus verò apud nos fioreno Brabantico habetur par: itaque quinque talenta, quæ accepi, in moneta nostra quindecim millia florenorum conficiunt. *Frater.* Fideliter numerâsti. *Sat.* Nunc lege EXPENSUM. *Frater.* Pro habitatione floreni bis mille: grandis summa. *Sat.* Voluit splendidè habitare, & laxè: sic contraximus: testis adstat. *Cub.* Ut est amator inanis pompæ. *Frat.* Pro victu ordinario floreni septingenti. *Sat.* Valida nos vexat fames, nec licuit vivere parabili pretio. *Cub.* At modestiùs licuisset. *Frat.* In convivia extra ordinem ter mille trecenti: Vah! *Cub.* Et hospitibus immerentibus, inutilibus, nullis! *Frat.* In famulitium copiosum floreni duodecies centeni: cui bono? *Cub.* Ut otium aleret. *Frat.* Pro equis, & quotidiano usu rhedæ octingenti floreni. *Sat.* En manus Rhedarii. *Cub.* Tanti erat

* Allegoricè hæc intelligenda sunt de abusu talentorum.

erat circulus vitiosus. *Frat.* Pro vestibus Mercatori quinquies mille floreni, Sutori centum quinquaginta floreni! hìc obstupesco! *Sat.* Inspice. Hæc Mercatoris, hæc Sartoris, hæc Sutoris est Scheda: numera in hac calceos & sandalia pretiosa donata puellis nobilibus! *Cub.* Accersebat Judithæ infelix Holofernes in suum exitium! *Frat.* Heu! video plura huius generis. Pelagiæ pro inauribus quinquies mille floreni, Thaidi pro monili quater mille, Helenæ pro annulo mille quingenti, iterum Thaidi pro Horologio ex auro solido ter mille, rursum Pelagiæ pro pyxide ad usum tabacci mille ducenti, & Helenæ pro integra veste pretiosa bis mille floreni. Fatigatus sum: jam enim summa expensi excedit acceptum multis millibus florenorum. *Sat.* Adde summam, quam lusu perdidit per singulos menses, mense Januario, quando adhuc ludebat modestè, quadringentos florenos, mense Februario bis mille, mense Martio trecentos, mense Aprili quatuor millia. *Frat.* Cessa, obsecro: aures crucias! *Sat.* Accedunt expensæ meretriciæ: intuere! *Frat.* Prô! amove ab oculis horrendas sordes! TALIS VITA, O DEUS, NUNQUID VITA? Sed oro te, Domine Consul, quæ est vestra in hac urbe politia? Ergo per vos licet ex quæstu meretricio vivere? Licet contrahere debita, quibus solvendis contrahens nunquam erit? Licet ludere ludos non animi, sed lucri causâ, sic ut grandes summæ exponantur discrimini, imò fortunæ familiarum periclitentur? *Sat.* Quid in hac urbe liceat, jam non est quæstio: hoc agimus, utrùm ego à Patre vestro sperare solutionem debitorum queam, an non? habeo debitorem alium annosum magìs, & multò gravius oneratum: debet omnino *decem millia talenta*, Matth. 18. Conjeci hominem in carcerem, unde non exibit, donec reddat universum debitum. Simile malum, aut carcer nempe, aut servitus fratri imminet. Habes, quod Patri referas: Si amat filium, redimat. Dixi, quod scire vestrâ interest: Nunc in villam mea me negotia vocant.

SCE-

SCENA VII.

Frater Prodigi. Cubicularius.

Cubicul...... HEre, nihil loqueris? *Frat.* Attonuit animum horrendus computus, & grandia debita. Recténe lego? talenta sexcenta sexaginta sex annô unô dissipavit frater, & dissipavit in nugis, dissipavit ludens, dissipavit cum meretricibus! Heu! *Tantillus puer, & tantus peccator!* *Cub.* Tantum fecit insana spes. Scivit, se amari à Patre. *Frat.* Igitur poterat sperare veniam peccati primi. *Cub.* Sperat. *Frat.* Igitur ad Patrem redeat. *Cub.* Sæpe suasi. Ille, quid responderit, audi me, here, & contremisce. Si amat me Pater, dixit (& scio, quòd amet me) meas mihi delicias non invidebit. Vix anno absum, jam domum revocas, scilicet ad fastidia, ad vincula, ad pistrinum. Non eo: age, tu proficiscere mei causâ, & nuncia Patri, bene hìc esse mihi: per amorem, quo amat, obsecrare hoc unum, ut usum libertatis indulgeat diutius, & post consumptam pæne portionem substantiæ meæ, novis egentem pecuniis adjuvet. Addidit, hac conditione rediturum se *olim*: hoc spondere seriò, de hoc jurare. *Frat.* Audivi atrocem sibilum furentis viperæ! Actum de fratre est: pœna talionis impendet capiti, & amor libertatis suppliciô mancipatûs plectetur. Inspexi crudelem animum hospitis: non ætas tenera, non sanguis nobilis, non peccantis imprudentia abstrahet à sententia. Per sævitiem heri discet infelix, quàm bonum offenderit Patrem, & forsitan vexatio intellectum dabit. *Cub.* Putas, si habebitur malè, nulla miseratione tangendum Patrem, ut redimere velit? *Frat.* Nolentem redimat? Unum supereſt consilium, fugæ: Ingredere cubiculum, & scribe, quod suadeo: reversus à symposio reperiat salubre monitum, terreatur à periculo, provideat sibi, fugiat post nos! nam ego excusso pedum pulvere, jam nunc desero urbem impiam, ne dum fratri prædico,

ipse

ipse reprobus efficiar. Tu quoque accelera negotium, sede, scribe, & sequere me: Liberum à fratre reducam ad Patrem mecum, ut testem rectè acti laboris habeam. *Cub.* Here, felicem facis. Celeriter adero: ubi diversorium habes? *Frat.* Ad grandem aquilam. Festina! nescio, quis timor agit! nam quid: Si pro debitis fratris ego quoque tenerer obses? *Cub.* Fugiamus! in fuga salus. *Frat.* Vale infelix frater! Experieris, quid sit abuti amore Patris, experieris! utinam ad salutem!

CHORUS

Exhibet terribile dubium, utrùm Patientia Dei ad tempus conniventis effectus Justitiæ sæpius, an Misericordiæ sit.

Providentia. Genius Juventutis. Tutor.

*Provid.** BEne! bene omnia!....
Quidquid de Providentia
Humana garriat imperitia:
Ego mihi placeo
In hoc artificio .....
Displicet *Probis* mea CLEMENTIA,
Improbis non probatur JUSTITIA:
Sed ego studiô
Umbras coloribus misceo,
Ut, cùm opus absolvero,
Contraria juxta se posita
Suavius afficiant *Electorum* oculos,
Et recreent animos.

* Intenta operi Phrygio.

A R I A.

Ut Muſica plena
Ex arte ſi ſit,
Diverſis amœna
A modulis fit:
Sic debet laudare
Non una me vox:
Jubentur cantare
Et *dies*, & *nox*.

2.

Quæ ſtellæ fulgentes
In æthere *ſtant:*
Quæ cœlô *cadentes*
Jam lucem non dant:
Sic iſtæ, ùt illæ,
Si applicas te,
Pro linguis ſunt mille,
Quæ celebrant me.

Tutor. Diva! per te liceat, tutelam abdicare:
Pueri immorigeri contumacem impudentiam
Non poſſum diutius tolerare.

Provid. Quas iterum querelas audio?

Gen. Juv. Cramben centies repetitam à plagoſo Orbilio:
Nempe *inobediens ſum*,
Verbo habes accuſationis compendium.
Sed tu, Diva, conſidera,
Quis obedire velit homini tetrico,
Cui nulla eſt diſcretio?
Qui poſtulat virtutem â juvene,
Qualem in ſenibus vix invenio?

ARIA.

A R I A.

Prudentior ero,
Cùm ſenior ero:
Nunc Juvenis ſum!
Cùm aderit hyems ætatis,
Parabo me triſtibus fatis:
Nunc Juvenis ſum!
Nunc ver eſt: nunc juvat vagari,
Per florea prata,
Lætitiæ ſata,
Cum Damulis juvat jocari:
Nunc Juvenis ſum!

Tutor. Audis, Domina,
Petulantis proterviæ axiomata?
Audis, neque exurgis in iram temerariæ
Ultricem audaciæ?
Provid. Diſſimulo.
Imò, ut finem faciam veſtro litigio,
Tutorem à moleſtia libero:
Te, Fili mi, quoniam ita vis,
Tuo permitto arbitrio.
Gen. Juv. Jo: felix ſum: vive Mater optima!
Tutor. Attonuit me iſta ſententia!
Provid. Liber es: ſed & propterea
(Quod timeo, quia te diligo)
In proximo ſalutis periculo.
Ut caveas, ſi quid à te merui, ultima
Percipe monita.
Errabis, ſicut ovis, quæ perit facillimè,
Niſi didicerit, ab ovibus lupos diſcernere.
Itaque audi me!

ARIETTA.

Vivendum providè:
Non rarò rapax bellè
Ovina lupus pelle
Se ſolet tegere.
Ne facilè fallaris,
Tres dabo regulas,
Ex quibus, ſi notâris,
A fraude caveas.

2.

Hoc primùm reputa:
Vox ovis eſt *balare*,
Vox lupi *ululare*:
Ex voce judica.
Quid amet, quid ſectetur,
Vox prodit animum:
A pace qui tenetur,
Non canit claſſicum.

3.

Deinde cogita:
Luporum eſt *latere*:
Agnorum eſt tenere
Aperta paſcua.
Ab his qui te abducit
In denſa nemorum,
Eſt lupus, & ſeducit
In præcipitium.

4.

Poſtremùm moneo:
Ad herbas ovis currit,
In carnes lupus prurit
Cruentus helluo.
Vix conſpicit agnellum,
Jam vorant oculi:
Jam dentes parant bellum
Ad necem miſeri.

5.

Hæc, fili, recole:
Et liber à tutore,
Ne tamen usquam fore
Te crede, ſine me!
Pro te eſt cor in cura,
Eſt vigil oculus:
Non auferent te rura,
Non teget angulus.

Gen. Juv. Eſt brevis & ſolida hæc vitæ regula:
Ex hac decretum eſt mores componere,
Neque adeò in ipſo uſu libertatis
Liberè vivere.
Vale Miſanthrope! nunc emendabo me!....

Tutor.

Tutor. Ratio, aures, oculi num decipitis me?
Credam, quòd hæc conniventia
Sit actio Providentiæ?.....
Provid. *Putásne, bene iraſceris tu?*
Tutor. *Bene, Bene iraſcor ego usque ad mortem,* Jon. 4.
Nam quantum per pia monita ædificat Sapientia,
Tantum deſtruit indulgentia.
Provid. Nimirum velles, ut Nemeſis præſente continuo
Scelus quodlibet vindicaret ſupplicio?
Neſcis, cujus Spiritûs ſis!
Circumſpice, & admirabiles TOLERATI
Conſidera fructus peccati. *

A R I A.

1.

Hoc mali ſunt Eccleſiæ,
Quod fimus eſt telluri:
Ex fimo floſculi,
Quot nati ſunt (circumſpice!)
Et quot ſunt naſcituri,
Putredinis fœtorem
In balſami odorem
Vertente Geneſi?

2.

Ineptus hortulanus ſit,
Qui ſordes deteſtatur,
Et horto ejicit:
A fimo ſolum pingue fit,
A fimo ſuccus datur:
A fimo flos nutritur,
A fimo ſic veſtitur,
Si cœlum faverit.

* Exhibetur hortus.

Tutor. Enimverò in Ænigmate intelligo errâſſe me!
Myſterium patientiæ
Eſt opus Divinæ Providentiæ,
Et verum dixit, qui dixit:
Omnis impius aut ideò vivit, ut convertatur,
Aut ideò vivit, ut per eum Juſtus exerceatur! S. Aug.
Sanctus es Domine,
Etiam in exercitio patientiæ! ....
At enim in hac ipſa miſericordia
Quàm ſe exhibet ſerij timoris ferax materia!
DEUS ME TOLERAT! cauſa eſt GEMINA:
Quid! ſi PROPTER ALIOS,
Et non PROPTER ME, tolerat me?

A R I A.

1.

Toleror: eſt gratia:
Favor patet:
CAUSA latet:
O HORRENDA GRATIA!

2.

Toleror! ... an ideò
Ut exemplum placidæ
Sim Miſericordiæ!
Neſcio!
An ut ſerver rigidæ
Victima Juſtitiæ
Neſcio!
O triſtis dubitatio!

ME-

MEDITATIONIS I.

De Filio Prodigo In Regione longinqua

PUNCTUM II.

Post bona malè dissipata sceleratior desperatio.

SCENA I.

Satanas. Villicus.

Satanas. NIhil te angat, inquam, iste casus de morte pueri: quantumvis laudes eum, villice, & jacturam deplores, meliorem hodie porcorum custodem dabo. *Villicus.* Vix reperies, here, adeò vigilem, adeò fidelem, adeò sedulum, adeò patientem: doleo, quòd malè nimis habuerim hominem: fortè mortem acceleravit hæc durities. *Sat.* Factum bene: quò plures occideris, hoc eris hero gratior. *Vill.* Sic amas servos? *Sat.* Cur amen homines, quorum Dominum odi! Tu me intellige: quotquot ad fines territorii mei accedunt, illi à filiis meis invitantur in urbem hanc: excipio humaniter, lautè habeo: gaudent servire mihi, quia credunt servire se libertati. Sed nempe servire *ad tempus* vellent, & *ante mortem* saltem redire ad Dominum, cui sub ipsum vitæ diluculum jurârunt fidem: nam judicium post mortem metuunt. Rem deprehendi: propterea, ut spem noxiam mihi, fallam securiùs, non facilè permitto, ut in meo famulatu aliquis *consenescat*. Non tamen per vim occido (tyrannus audirem, nec esset ultrà, qui se mihi addiceret) sed

aliis

aliis venenum miſceo, ut ab ipſis deliciis ante tempus intereant: alios à voluptatum uſu jam enervatos repentè in ærumnas præcipito, ex quarum impatientia vel ſeipſos perimunt, vel celeriter moriuntur: Atque hac arte fit, ut, qui in vita mei ſunt, mei quoque poſt mortem maneant. *Vill.* Neque miſeriæ â te averſos in fugam agunt? *Sat.* Rarò ſanè, ſi quidem vos, quos illis cruciandis deſtino, officium agatis bene. Molliculi Sybaritæ nunquam didicerunt pati: itaque ab ærumnis conturbantur primùm, deinde immerguntur abyſſo triſtitiæ, quæ oſſa exedit, poſtea præcipitantur in impatientiam, & ab impatientia in blaſphemias, in execrationes, in odia, in artes malas, quas deſperatio docet, denique in præmaturæ mortis apertas fauces, antequam de reditu in terram Sanctam ſe cogitatio moveat. *Vill.* Laudas ergò, quòd graviter adeò afflixerim puerum paſcendis porcis à te addictum, u- fame, ac labo ibus ſubitò ſuccubuerit? *Sat.* Laudo, & ut mentura pari metiaris ſiliquas cum verberibus ei, quem ſucceſſorem dabo, volo, jubeo. Obſequium utilius mihi præſtabis nunquam: Probatum eſt. Hem! adeſt! ſile!.. Domine, qualem video!

SCENA II.

Prodigus, Satanas, Villicus.

Prod. VIndictam, ô chare hoſpes, vindictam poſtulo! Pater & Conſul es: utrumque imploro nomen! *Sat.* Fiat juſtitia! quis fecit injuriam? *Frod.* Latrones in ipſa urbe graſſantur: quis hoc putâſſet? In urbe autem? In ipſa domo conſulis habitant, à te aluntur: Heu! deceptus ſum! *Sat.* Latrones! in mea domo! quos deſignat tam dira vox? *Prod.* Filii, ſi neſcis, filii tui ſunt, amici nimirum mei! fulminate Sinones improbos Superi, ſi qui tenetis cœlum! *Sat.* Imprecatio atrox! quo facinore meruerunt? *Prod.* Non vides? Spoliatum, & pæne nudum

nudum ejecerunt *de domo convivii*: Offensus sum gravi injuria, affectus mille opprobriis, expositus ludibriis amicarum, prostitutus petulantiæ vulgi: nullus amicitiæ, nullus hospitalitatis, nullus sanguinis mei, nullus Parentis respectus fuit: vindica! *Sat.* Impera patientiam tibi, ut narres facinus: Pater & Consul sum: utroque titulo Judex ero. *Prod.* Nihil narratione est opus: tota civitas factum vidit. Prandium pacatum fuit: edimus, bibimus, jocati sumus! à mensa provocârunt ad ludum tui. Addico: infelix eram. Non fluxit horæ quadrans, cùm quadraginta florenos perdidi. Cessârunt, quòd defeciſſet crumena mihi. Ego reparandæ jacturæ avidus urgeo, ad tuam fidem provocans, qui totam meæ substantiæ portionem in deposito servares mihi. Illi negant, supereſſe teruntium. Obstupesco: sed mox, si nihil supersit argenti, ajo, at supersit annulus, gladius, pileus, vestis, denique superſum ego! iterum considemus: gladium, annulum, pileum, vestem, meipsum fortunæ expono: quid multa? Gladium, annulum, pileum, vestem, meipsum perdo. *Sat.* Feciſti jacturam gravem! *Prod.* Illi, cùm meminiſſe humanitatis debuiſſent, & miserari infortunium, continuò velut elatô in me vexillô insurgunt, plaudunt, raptant: ipsas adversùm me fœminas, quæ colluserant, animant: spolior per atrocem vim, & frustra tuam furentibus iram intentans, ejicior domo, jubeórque ad te deferre. Spreta est Patris reverentia, & authoritas consulis: injuriam crudelem passi uterque sumus: utrumque vindica! *Sat.* Difficilis sententia erit: Species facti meretur considerationem maturam. Audiatur tamen & altera pars, quod æquitas postulat. Tu interea reconde te in cubiculo hospes, ac contumeliæ subtrahe: ad filios propero. * Et tu hìc expecta.

* Ad Villicum.

SCENA III.

Prodigus. Villicus.

Prodigus. QUis es tu, bone vir? *Villicus.* Num bonus sim, alii judicent: cæterùm consulis villam curo. *Prod.* Audisti, quam egi, causam: quam putas Consul sententiam ferret? *Vill.* Consul quid sit facturus, nescio: ego tamen si Consul forem, ad mancipatum damnarem te. *Prod.* Cum homine crudo ago. Do veniam villico, nam si Consul fores, sapientiùs loquereris cum nobili. *Vill.* Domine, factum examinare Judex, non personam debet. *Prod.* Nisi persona speciem facti mutet. Miser sum! *Vill.* Tuâ culpâ hoc malum accidit. *Prod.* Imò* hæc causa est. Ite in mille frusta maledicta folia, toties infensa mihi! Heu! quò me abripuit insanus ludendi furor, & toties lamentis vanis deplorata amentia! nempe hæc prodigalitas voluptas vocabatur: vocabulum me decepit! Inferi, æterno carcere hanc insaniam plectite! *Vill.* Imminet. *Prod.* ** Sed quid hoc schediasma vult?.. Manus est Cubicularii: Cœlum! quod malum lego! *Here, paucis moneo: sub habitu tabellarii frater latuit tuus!* fulminor! nam si latuit frater, speculator fuit: totam vitæ seriem Parens sciet. *Ego cum ipso ad Patrem redeo: jam fugimus, ne pro debitis à te contractis obsides nos tecum teneat hospes tuus. Tu vide, cui fidas, & tibi consule!* Novum malum! immane malum! malum sine remedio! *jam fugimus!* Sic? Fugisti dilecte frater, nec ego amplexus sum! quæ cœcitas fascinavit oculos, ut præsentem non viderim? Per te ad se invitavit misericors Pater, & non audivi! quæ surditas aures tenuit?.. *Fugimus!* Ergò desertus sum! Villice, misereisce tu saltem miserrimi juvenis, quem Pater, frater, servus, amici, amicæ, omnes deseruerunt! opes, famam, vestes, libertatem, gratiam Dei, & hominum, omnia perdidi! anima supersest! anima quoque peri-

* Designat folia lusoria. ** Videt epistolam relictam à Cubiculario fugitivo.

periclitatur periculosissimè, nam hoc, opinor, hæc verba volunt: *Vide, cui fidas, & tibi consule!* Ah! jam experior, quibus confiderim me! juvenilis imprudentia, amor libertatis, stultissimus amor in has angustias agunt. *Tibi consule!* Quid faciam? Amice, non te miseret mei?.. Siles?.. Heu! redire cum fratre ad Patrem potui: INVITAVIT! cùm potui, nolui: vereor, ne dum volo, non possim! age, saltem consilio juva me! *Vill.* Quid dicam? ego non novi te! tu videris! *Prod.* De Patre tamen audieris aliquid: Est TERRÆ SANCTÆ DOMINUS, dives, potens, liberalis: monstra viam, qua revertar ad Patrem: Spondeo, ingens merces laboris erit. *Vill.* Nunquam ego ambulavi hanc viam: & quale hoc est consilium tuum? talem tanto te sistes Patri? & propriâ culpâ talem? non pro misericordia pudorem movebis, ac iram Patris? *Prod.* Rectè mones: Ah! non ibo ad Patrem! non possum ire! *Vill.* Insuper, quod intellexi, in ære es Domino domûs, & vis, ut fugam adjuvem? *Prod.* Nimirum metus est, ne servum me esse cogat. *Vill.* Propterea suadeo, ut ultrò te offeras. Novi virum: coactos servire crudeliter habet: Sponte dedentibus clemens est. *Prod.* Quid? servire hæ manus possint, servire? *Vill.* Docebit necessitas. Et en! redit herus. *Prod.* Quos video? Hem! jam ipso habitu profitentur latrones palam, & prædam jactant.

SCENA IV.

Prodigus. Satanas. Creon. Cosmus.

Satanas. PEracta est causa, ô bone juvenis, in favorem tuum: Tu (*ad Villicum*) vestes affer paratas in cubili meo! examinavi omnia, & lata sententia est. *Prod.* Io! pro Patre colo te, si ex inferno me extrahens ab istis dœmonibus liberas! *Creon.* Triumphum miser ante victoriam canis. *Cosmus.* Decreta damnatio est. *Sat.* Tolerabilis tamen, & nequaquam

condigna delictis, quæ patrâsti. *Prod.* Pater sic loquitur: appello ad consulem! injuriam passus sum juvenis nobilis, hospes, & ab amicis. *Cosmus.* Amici fuimus: hospes peccâsti: ignobilem fecerunt mores. Cessa tueri te: faventem si cupis Judicem, ad preces vertere. *Creon.* De quo accusas? gladium, & vestes tulimus: nostræ per Contractum erant: lucrati sumus. *Cosmus.* Te servum diximus: non ultrò addixisti? *Prod.* Nihil nego: sed necessitas huc adegit, & amicorum erat huc adacto non insultare. *Cosm.* Amicorum erat: igitur adversùm justitiam peccatum est nihil: *de modo* arguis. At modum mos defendit introductus in urbe hac: quoties redigimus ad incitas advenam, toties deridemus. Mores civitatis nostræ cæteros probâsti omnes, & dum hìc es, vixisti ex more nostro: cur modò improbas? *Prod.* Heu! deceptus sum! *Sat.* Gemitus non defendit. Egerunt filii, quod solent agere volente me: Tu juvari poteras, si fratrem habuisses magis amantem tui: nunc, ùt audio, dum ego in villa fui, ille per fugam eripuit se nobis & tibi, unà cum servo tuo. Dedi homini computum expensarum: sexcenta, sexaginta sex talenta hìc dissipâsti: quis solvet, quod debes? Frater exhibebit rationes Patri: qui à cubiculis fuit, narrabit vitæ methodum: ambo exaggerabunt contumaciam, qua restitisti invitanti ad reditum Patri: quid est sperandum? redimet? & tantô pretiô redimet? *Creon.* Obmutescit infelix, & desperantis animi suspiria verbis substituit. *Cosm.* Exequere sententiam Pater, & nos dimitte in novam prædam. *Prod.* Heu! deceptus sum! ô Cosme! ô Creon! ô Satana! cur credidi vobis, & tibi, Pater mi, tibi non credidi! *Sat.* Vulgaris nænia non movet nos. Dic: speras à Patre debita expunctum iri? *Prod.* Ah! Ah! quo merito sperem? *Sat.* Ego tamen sperare jubeo, si mihi servire potes: miserebitur servitutis tandem, & mittet pretium. *Prod.* Quid postules, vide: à Patre ad te fugi, ut servitutem effugerem: jam tu vis, ut ser-

viam

viam tibi? præ ſervitute eſt chara mors! *Sat.* Morieris igitur, & fame morieris: nam ego inutilem homuncionem non alam. Beneficium volebam facere, & tu recuſas? abi ex meis ædibus, pigra beſtia, abi, in ſilvis inter apros & urſos, quoniam ita vis, computreſce! *Creon.* Laborem horres, infamis onager, & per otium pingueſces nempe devota ventri victima! *Coſm.* Abis autem? & quorſum abis? *Prod.* Ad lupos, ad apros, ad urſos, ad leones, & tigrides, felicior inter feroces belluas, quàm inter vos victurus. *Coſm.* Adhuc ferocit pupus, & contra lunam coaxat rana. *Sat.* Quid tenes? ire, quà lubet, ſine: coget redire fames, modeſtiæ magiſtra fames, quæ etiam tauros cicurat. *Prod.* At honeſti ſaltem ſervitii imperabis genus? *Sat.* Mortuus eſt herì puer, qui cuſtodivit porcos in villa; ſuccedere in officio potes: vis? *Prod.* Ah! tu redis?

SCENA V.

Accedit Villicus.

Villicus. CUm veſte redeo, quam puero mortuo paraverat herus novam planè, & elegantem in diligentiæ præmium: paruiſti conſilio meo? indues? *Prod.* Ecqua hodie de cœlo micuit lux inimica mihi! Here... reſorbe vocabulum incauta lingua! Hoſpes, volebam dicere! *Sat.* Here, dices, ſi vis audiri. *Creon.* Superbe puer, quousque tumidi Spiritus animum inflant? *Coſm.* Here, dic: aut, niſi ſubeſſe vis, i, crepa! non jam audiſti? *Prod.* Silete vos auctores ruinæ meæ, inſtrumenta diaboli, magiſtri ſcelerum! non hodie primùm ablégor ad porcos: à quo tempore vobiscum vivo, jam inter porcos vixi! Silete! nullam à vobis miſerationem expecto: at tu debebas, hoſpes! *Sat.* Non dices: Here! *Prod.* Sine, ut indulgeam aliquid dolori meo! tu debebas limites ponere impudenti audaciæ

ciæ liberorum! heu! deceptus ſum ſimplex puer! hæc demum eſt veſtra gloria, hic triumphus improbitatis! *Coſm.* Fure, fure! furor tuus jucundum ſpectaculum facit! *Creon.* Viden', ut fremit homo! ùt ſpumat! ùt ſtridet! *Prod.* Summa miſeriæ eſt, quòd ne à cœlo quidem vocare vindictam audeam! *Coſm.* Fruſtra per has ſtultitias movere Patrem deſideras vafer, in miſerationis affectum: quid trahis moram? Officium ſubulci offertur: gratia eſt! *Creon.* Et ſi ſatisfacis expectationi, ſpes promotionis oſtenditur: poteris bubulcus fieri: adhuc deliberas? *Prod.* Ridete vos! erit, qui riſum vindicet: nec enim miſer æternùm ero. Here!... iterum erravit lingua! *Sat.* Eloquere tamen. *Prod.* Indulge noctem domi tuæ: nox conſilium dabit. *Sat.* Tanti miſericordiam æſtimas, ut longo conſilio opus ſit, acceptare num velis? *Coſm.* Inſignia officii vides: ſi nolis, habebit alius, & tu peribis fame. *Prod.* Dura neceſſitas! hæc toga veſtiet filium ſupremi Domini! aureos reconde radios ſol, ne probrum mundus videat! *Vill.* Imò videat mundus, & ab exemplo ſapiat. *Sat.* Vos perſequimini fugitivos, antequam exeant territorio, ut miſer ſocios fortunæ habeat. *Coſm. Creon.* Facimus. *Vill.* Appendo peram, & addo pileum! *Coſm.* Jam ſic veſtitum nemo, qui ſis, agnoſcet: ceſſet pudor! *Creon.* Ut tamen tu *te* agnoſcas, ſpeculum habe: nunquam veriùs proſpexiſti. *Prod.* O ſaxea corda, quæ me vident ex tali talem, & non miſereſcunt! *Sat.* Dic: O ſtulti, & tardi corde, qui in tali tales ſe eſſe vident, & non exhorrent!

MEDI-

MEDITATIO II.

MISERICORDIA PUNIENS

SIVE

FILIUS PRODIGUS

in Servitute.

ARGUMENTUM.

QUem nuper exhibuimus FILIUM PRODIGUM, connivente Misericordia Divina in omne scelus effusum, hodie spectabimus redactum ad incitas, & cum extremis miseriis luctantem. Nempe peccatores, quos Deus non *ad perniciem suam*, sed *ad salutem* tolerat, denique *per adversa* compellit ad se redire. Erit igitur Meditationis

Materia: Filius Prodigus *in servitute.*

Puncta duo: 1. Servitutis dura conditio.
2. Salubris effectus.

Fructus, Augustini suspirium: *O felix necessitas, quæ ad meliora compellit!*

Propositum Osculandi manum Domini ferientis, nec contra stimulum calcitrandi.

Chorus Exhibet Bona Malorum Malos prementium.

PRO-

PERSONÆ.

Philanthropus, seu Filius Dei sub habitu boni Pastoris.
Filius Prodigus.
Paterfamilias seu Satanas.
Villicus.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad præsentem.

Fides. Ratio. Viator.

Ratio. O Regio horridis plena mysteriis! *
Fides. Sed salubrium ferax affectuum,
Si attentiùs inspicis.
Ecce! hæc via Innocentiæ,
Ista est Pœnitentiæ:
VIA PECCATI est *media*,
Quia plerique à via Innocentiæ
In viam peccati abeunt
EX SPE pertingendi denique
In viam pœnitentiæ.
Verùm ô quanti falluntur!
Est enim *via impiorum tenebrosa:*
Nesciunt, ubi corruunt! Prov. 4.
Et offenso pede *ad montes caliginosos*, Jerem. 13.
In latè hiantem, quam vides, voraginem
Præcipite lapsu incidunt.
Et en! qualem descripsi infert se obviàm! **

Ratio.

* Theatrum exhibet Regionem montosam, & in medio hiatum igni-vomum. ** Prodit Viator per montana, abysso imminens.

Ratio. Prô! homo temerarie, qui ambulas in tenebris,
Neſcius, quàm plenam periculis
Ingreſſus ſis ſemitam!
Fides. Siſte gradum: vel paſſum ſi promoves,
In ultimum exitium te projicies.
Viat. Quis me terret timore panico?
Ivi, & redivi hanc viam ſæpiùs:
Et *quid unquam mihi accidit triſtius?* Eccl. 5.
Fides. Cœco, & ſurdo loquimur: Clamabo altiùs!...,
Cœlum fulminea luce emica,
Et voce ſaxa frangente intona!..... *
Audior!... audis infelix murmur ferale?
Vides incenſi ſulphuris lumen fatale?
Viat. Audio, video, rideo!

TRIO.

Viator. Aſſuetæ ſunt aures his minis:
Fides. Sed tandem minarum eſt finis,
Ratio. Armata eſt Nemeſis manus:
Viator. Nil terret me ſtrepitus vanus,
Sæpe jam tonuit:
Ratio. Fides. Ultimùm monuit,
Iratus audaciæ Deus:
Viator. Eſt bonus, eſt optimus Deus!
Ratio. Fides. Feriet te!
Viator. Non feriet me! **
Fides. Imò jam ferit!
Viator. Heu me! *Ratio.* Periît!
Fides. Non periit: fuit amabile fulmen,
Quod hominem attonuit, non enecuit.

* Tonat, & fulgurat. ** Attonatur.

Hoc est ingenium Divinæ Misericordiæ:
PUNIENS parcit, *prosternens* erigit;
Hoc meditaberis hodie.

A R I A.

1.

Connivere Peccatori
Actus est Clementiæ,
Sed actus noxius,
Ni seriùs, aut citiùs
Comes conniventiæ
RIGOR metam figere
Cœperit Furori.

2.

Res periculi est plena,
Neque Patri proprium,
Cùm peccat filius,
Dissimulare longiùs:
Fornax bonum figulum,
Ignis pium Medicum,
Patrem probat pœna.

Ratio. Paradoxa veritas docet me,
Quòd PECCATUM IMPUNE
Timendum sit maximè.
Fides. Rectè colligis. At en! redit ad se viator,
Intellige, quàm felix sit, qui punitur, peccator.
Viat. Heu me! heu me!
Quàm ab ultimo exitio abfui proximè!
Video horrendam abyssum, in quam incidissem,
Nisi Dominus prostravisset me!
Bonum, bonum mihi, quia afflictus sum!

Sur-

Surgam, & ibo ad Dominum,
Ibo à via peccati in viam pœnitentiæ:
Domine, venientem ſuſcipe!

Fides. Viden', ut à ſe alius repentè formatur,
Quem cœlum percellit!

Ratio. O felix infelicitas, quæ ad meliora compellit!
Igitur laudent alii *Miſericordiam conniventem*,
Ego amo *Miſericordiam punientem*.

Fides. Ama! lauda!

A R I A.

Ratio. MISERICORDIA!
Quanquam ſis irata,
Et abjecta oleâ,
Truci ferox galea
Siſtas te armata:
Tamen ego amo te!
Feri, ure, ſeca me:
Tamen te amabo!
Dulcia ſunt verbera
A Miſericordia:
Dorſum inclinabo:
Feri!... à JUSTITIA
Feriendo vindica,
MISERICORDIA!

MEDITATIONIS II
De Filio prodigo in servitute
PUNCTUM I.
Servitutis dura conditio.

SCENA I.
Prodigus. Villicus.

Villicus. SUpereſt pugillus de ſiliquis, tres, quatuor, quinque, ſex, & rurſum ſex, omnino duodecim: lautè haberis hodie, collige, & helluare! *Prodigus.* Dure! jam in veſperum vergit dies, & tandem prandium adnumeras: vix tulit moram fames, quin deficerem præ inedia. *Vill.* Prandebis hodie, & cœnabis ſimul: propterea duplum attuli. *Prod.* Crudelis homo es! & quousque inſultabis extremæ miſeriæ! *Neſcis, quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, & ego hìc fame pereo?* *Vill.* Tuâ culpâ hæc accidunt: quare abiiſti à Patre? abundantia petulantiam peperit: inopia docebit modeſtiam. *Prod.* Heu! deceptus ſum! *Vill.* Lamenta ſera! comede, & morere! *Prod.* Æquali ſaltem cum porcis in pretio habe me: duodecim ſiliquæ nequidem nefrendi in diem ſufficiunt. *Vill.* Decem herus conſtituit tibi: quòd ſuperadjecerim duas glandes, gratias debes meæ liberalitati. *Prod.* Ut fame peream, herus cupit? *Vill.* Hoc egit hactenus: ſed quoniam ſine noxa concoquis ſiliquas aliàs fatales ſtomacho delicato, iratus, quòd diutius, quàm vellet, vivas, hodie violentas forſitan manus inferet. *Prod.* Sic? quo facinore enim hoc malum merui? non ſedulus officio fungor? non diu, no-

noctúque invigilo ſuibus? non hero, non tibi, Villice, per omnia obedio? *Vill.* Laudavi etiam: & certum eſt, nunquam futurum fuiſſe, ut hìc tabeſceres, ſi ita ad nutum obedire Patri voluiſſes, ùt mihi obtemperas: ſed nimirum quod amor Patris efficere non potuit, timor flagrorum præſtat. Cæterùm herum in furorem egit porcelli mors, quam herì nuntiavi ei. Tuæ ſocordiæ infortunium tribuit, imò malitiam ſuſpicatur, ne fortè appetitus carnis audacem fecerit, aut malè ſuada fames adegerit auferre glandes ſuculo, ut tu vorares. Rapieris in quæſtionem, & niſi te reum ultrò fateberis, per tormenta confeſſio extorquebitur, in quibus ſi occubueris, plaudet. *Prod.* Porcelli cauſa moriendum erit? attigit apicem ſceleris tyrannis veſtra. *Vill.* Hero tu iſta querere, ego, quod jubet, exequor.

SCENA II.

Prodigus ſolus.

TIbi hoc queror cœlum, ſurdum, æneum cœlum! cœlum lentum ad fulmina contra me! quoties provocavi? iterum provoco! eja! coge atra nubila! excute ignem vindicem! feri! nihil nictantibus oculis inſpiciam accenſum ſulphur pallentis flammæ: ſtantem feries! feri!.. non audis?.. aut fortè pronior ad vota orcus faciliùs exeret miſericordem ſævitiem? irruite furiæ! lacerate me Mænades! ad ſtygem rapite!.. etiam ceſſatis? vah!.. Quanquam quò me abripis furor! quieſce anime! orco, & cœlo melior herus meus hodie finem faciet prementibus malis! ô dies felix! Io! prandere hilariter juvat apud inferos cænaturum!... Apud inferos autem? quid? felicior ibi expectat me vitæ conditio? finis malorum mors mea, an initium majorum erit?.. Triſtis cogitatio! nam ſi vivere inter grunnientes porcos miſeria videtur diutiùs intolerabilis mihi, quid erit vi-

vere inter frementes diabolos, & fame æterna confici!... Sed cui bono nunc de futuris angor? medebor præsenti malo! Eja! fruere deliciis, dum licet, tuis delicate Pusio! comede! epulare!... Ah! dentem pæne fregit durus cortex!.. ô nucleus dulcis!.. Pater! Pater mi! utinam videres filium sic helluantem! fleres! scio, fleres!.. imò vanus sum! pridem Pater oblitus est degeneris filii! frater, cùm exhibuit computum debitorum, quæ contraxi, amoris, siqua superfuit, scintillam ultimam extinxit penitus: cessa sperare miser, cessa!

SCENA III.

Prodigus. Philanthropus.

Philantr. O Pastor infelix! *Prodigus.* Quem audio? *Phil.* O misera ovis! *Prod.* Resume animum, miser: etiam alius gemit. *Phil.* Ovicula mea, chara ovicula, ubi es! per montes & valles, per silvas & campos, per avia & devia, in fame & siti, in laboribus plurimis quæsivi te! pæne ad mortem sum lassus: *O ut tantus labor non sit cassus!* *Prod.* Amice, video te tristem esse: socium malorum habes: narremus alter alteri infortunia sua: est aliquod solatii genus, habere, qui possit compati. *Phil.* O quisquis es, humanus es certè, qui te mihi tam benevolè offers. Age, si te miseret mei, *da mihi bibere!* Joan. 4. quia oppidò fessus sum. *Prod.* Paulò ante frigidam ex puteo hausi: ebibe! *Phil.* Turbidam aquam offers! *Prod.* Nempe semper *potum meum cum fletu misceo*, Psal. 101. *Phil.* Sic bene: nam lacrimas cum gustu bibo. *Prod.* Ego ad satietatem. Etiam de siliquis dabo partem, si non fastidis. *Phil.* Pro porco me habes? nec enim humanus est iste cibus. *Prod.* Ignosce! fames extrema regionem premit: panis non datur mihi. *Phil.* Ego dabo, ut mutuum obsequium præstem. Gusta!

Prod.

Prod. Superi! quis candor est!.. & quæ dulcedo! *Phil.* Communis est refectio in domo Heri, etiam pro mercenariis. *Prod.* Olim, ah! recordor! olim & ego comedi talem domi meæ. Cæterùm ovem perditam, si bene intellexi lamenta, requiris anxius? nunquid? *Phil.* Rem dicis. O si fortè vidisti errantem, doce, quà persequi misellam debeam. Herus meus centum oves habet: una subtraxit se caulæ petulans: continuò jussus sum relictis nonaginta novem in deserto, requirere fugitivam, neque donec invenero, reverti licet. *Prod.* Hem! paris pæne rigoris Domini utrumque premunt. Meus centum porcos herì habuit: unum occidit casus: reus damni agor, & licèt nonaginta novem supersint integri, ac valentes, de uno tamen damnabor mortis: tanta est crudelitas Heri. Sed mihi mors in votis est, & laudo tyrannidem, quæ me occidit. Satur vitæ sum, quam in tantis miseriis vivo, quantas si narrare vellem, obstupesceres, ô bone, neque crederes, hanc ætatem affligi tot calamitatibus, ac tantis potuisse. *Phil.* Me plus, quàm ærumnæ quælibet, malè habet jactura oviculæ, quam requiro. Age, non fortasse se tuis porcis immiscuit petulcum pecus? aut non induit porcum potiùs, ut securiùs delitescat? *Prod.* Atrociter habita sit à vobis, est necesse, hæc ovicula, si inter sues maluit, quàm inter agnos vivere. *Phil.* Errâsti: ex centenis charissima ipsa fuit, non aliter, ac si fuisset unica. Emerat eam Herus, & nutrierat lautè: creverat cum filio ejus simul, *de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, & in sinu illius dormiens: erátque illi sicut filia*, 2. Reg. 12. Verùm noxiæ libertatis stultissimus amor fecit, ut ovium societatem aversata, amicitiam cum porcis expeteret: hæc fuit fugæ causa. *Prod.* Indignum est stolidum animal, ut à te requiratur. Sinite inter immundas bestias experiri, quale discrimen sit inter mensam Domini, & glandes porcorum. *Phil.* Ex ore tuo damnatus es. TU ES HÆC OVICULA! Te

sic

sic amavit Herus meus, ut adoptaverit in filium suum, & jus hæreditatis æquale cum filio, quem habet, unico constituerit: Tu verò amore contempto deseruisti amantem: abiisti in regionem longinquam, ut procul à Patris oculis luxuriæ vacares liberiùs: adhæsisti *uni civium*, & invitatus etiam ad reditum, ne legibus paternis iterum subjicereris, elegisti servitutem tyranni. Anthrope! *Prod.* Heu! audio nomen meum! quis es tu? & quis me prodidit tibi? pudor in fugam agit.

SCENA IV.

Philanthropus. Satanas. Villicus.

Philanthr. SAlubris pudor est, impudentiæ pœna, pœnitentiæ radix. O peccatores insensati, quis vos fascinavit? *sic Deus dilexit* vos, ut filium suum Unigenitum miserit, qui vos reduceret in viam bonam, *ad æterna bona:* & vos, ne *à siliquis* avellamini, *æterna bona* contemnitis, nec me auditis! *sic vos diligitis* Deum? *Sat.* Mori cogam, antequam fugiat. Quem video? *Phil.* Fallor, an Dominus villæ est, qui occurrit? *Sat.* Non errâsti: habes, quod postules me? *Phil.* Ah! oviculam perdidi: labor in requirendo exhausit vires, & quoniam advesperascit, circumspicio, ubi liceat pernoctare. *Vill.* Apud nos *non est locus in diversorio*, Luc. 2. Nisi in stabulo propè puerum, qui porcos custodit. *Sat.* Tu crudus homo es. *Phil.* Accepto conditionem: nam ingenuus adolescens est, qui servit tibi. *Sat.* Tu vidisti? *Phil.* Sedebam ad puteum lassus: ùt vidit, accurrit ultrò, neque *calicem solùm aquæ frigidæ*, sed & de siliquis, quas edebat, partem abstulit, ut me reficerem. *Sat.* Liberaliter egit: sed multò tu dignior laude es, qui tantillum obsequium tanti habes, ut commendes etiam. Erro? an alium, quàm præ te fers, loquuntur hi mores elegantuli,

tuli, hic suavis sermo, hæc tenera facies? Eja! pastorcule, in urbem te mecum ducam: mereris, ut usque ad delicias recreem, ne in via deficias. *Phil.* Parce: nec enim delicias amo, quippe quæ enervant magis, quàm adjuvant robur artuum: *in laboribus à juventute mea*, Ps. 87. assuevi duris: concede in stabulo angulum: sic antelucanus potero iter statutum persequi, priusquam ex urbe porta pateret mihi. *Sat.* Perdita ovis angit. Ne sis sollicitus: mittam ex meis, qui requirant feliciùs, quippe præ te viarum gnari, & anfractuum, per quos à recto tramite aberrat pecus. *Phil.* Mihi negotium commisit herus meus: obedire est necesse: ego quæram. *Sat.* Utinam puer meus hausisset aliquid ex ista indole! ubi est? *Phil.* Siliquas cùm exhiberet, panem ego porrexi, miserans duram sortem. Gustavit, & cum gemitu gravi: *Heu! olim comedi similem!* dixit, flevit, intrò abiit. Mihi commota sunt viscera ab hoc suspirio: solari cuperem. *Sat.* Indignus est tua miseratione nequissimus flagrio: ignoras mores rabulæ: idem cum suis porcis ingenium habet: *vorare & grunnire* unus est labor curæ: alios negligit. Rursum heri periit porcellus mihi: nequitiæ an negligentiæ pueri tribuam, ambiguus hæreo: utrúmvis siat, culpam plagis trecentis luet. Si deficiat sub ictibus gaudeo, facile erit substituere servum utiliorem. *Phil.* Rigidus herus es, & reperis, qui velint servire? *Sat.* Non tot, quin plures. Sed nempe ampla est merces, quam promitto fidelibus, & sedulis mihi: nullam conditionem in contractu excipio, vel si *omnia regna mundi* paciscì vellent. Verùm hic puer, postquam placandi Patris, à quo aufugit, spes omnis concidit, sexcentis sexaginta sex talentis obæratus mihi, consilium, ut se haræ addiceret, *à desperatione* accepit. Invitus ac reluctans servit: unde meretur haberi bene? ô! tu si meus esses, pro filio amareris. *Phil.* Habeo, & amo Dominum, cui addixi fidem: mutandi nulla est causa mihi. *Sat.* Liberalem tamen quòd Dominum habeas, nec vestis, nec vultus loqui-

tur, hic à fame pallidus, illa de vili lana. *Phil.* Contentus sum, quia diligo Dominum, & Dominus me: præter amorem Domini, sordities est, aliam mercedem exigere: ipse est merces mea, merces magna nimis! *Sat.* Verè bonus es servus tu! perge, quære tibi locum intus, ubi pernoctes cum meo. Suadâ mirabili polles: si te miseret adolescentis, sponde, usurum meliore Domino, si melior servus erit. *Phil.* Et si fortasse inter porcos mea se mihi abscondisset ovicula, reducere ad Dominum per te licet? *Sat.* Nihil tibi negare possum: præter morem sentio inclinari me in tua vota propè per violentiam. *Phil.* Æquus es: gaudens eo.

SCENA V.

Satanas. Villicus.

Villicus. MOmordit hamum piscículus novus, tuísque inescatus blanditiis trahetur scilicet in istud littus. *Satanas.* Puer iste placet: Si persuasus mecum intrâsset urbem, meus foret. Et ô ut foret! talibus insidior præ aliis magìs, quos præ aliis natura, & gratia suis ditârunt donis. Nunc dubium eventum conatus habet: didicit pugnare Masculus. Suo placere Domino contentus, aliud nihil appetit: quo illicio traham? omnem tentaturi solertiam CONTEMPTUS vincet, contemptus, pugnæ genus, præ ceteris invisum mihi! nam quid efficiam, si ne audior quidem? sed est alia cogitatio insuper, quæ non tollit solùm conceptam spem, villice, de puero asserendo mihi, verùm insuper timorem incutit, ne prodigum sibi auferat novus hospes. Mysterium, vereor, ne ista persona tegat. *Vill.* Quem igitur sub Pastoris habitu latere suspicio est tibi? *Sat.* Rem ab ovo docebo te. Uranius, qui terræ sanctæ imperium tenet, filium hæredem regni unicum *à sæculis æternis* genuit: postea *in tempore* geminos in spem eandem adopta-

adoptavit, alterum *ex Judæa* natum, alterum vocatum *ex gentibus*, desiderante id filio, qui *fratres cupiebat*, atque ideò Philanthropus vocabatur. Ex adoptatis junior est Anthropus noster, qui procul ab Uranio auferens se, dissipavit substantiam suam cum meretricibus, quod vidisti, indéque redactus ad incitas adhæsit mihi. Pater, sicut odio extremo odit me, ita filium servire inimico sibi probrosum ducens, quantúmvis degenerem reducere ad se voluit, misso fratre Seniore in tabellarii persona cum litteris, quibus invitabat ad reditum. Adelphus (hoc nomen est Senioris) legatione sua sive per fratris pervicaciam, sive per suam inertiam parùm prosperè functus est: nunc, suspicor, adornatam esse alteram, & in veste pastoritia ipsum adesse Philanthropum. *Vill.* Hoc suspicaris? non est verisimilis tanta demissio in filio naturali tanti Monarchæ! homo nauci unde mereri possit tanti amoris prodigium? *Sat.* Tu nescis quidquam. Nihil meretur Anthropus, sed Philantropus AMAT: hoc satis est: magno amori nullum prodigium magnum est. Rem clarissimi vates pridem decantaverunt: & hodie an non vidisti, quàm tenero in Prodigum sensu Pastorculus raptus fuerit? *Vill.* Rectè observas. Nam quantis præconiis leviſſimum obsequium, haustum frigidæ extulit? *ut tactus est dolore cordis intrinsecus*, cùm vidit siliquas manducantem? ùt deinde tanquam per ambitum expetiit sibi stabulum hominis, in quo pernoctaret? *Sat.* Et oviculæ, quam perdidisse se gemit, nunquid à Prodigo diversa erit? audisti Epiphonema colloquii: *Si fortâsse inter porcos tuos mea se mihi abscondisset ovicula, reducere ad Dominum per te licet? Vill.* Firmata gravibus argumentis suspicio est. Licebit autem? *Sat.* Minimè gentium licebit: jura mea, dum vivo, infringi mihi, non feram, non patiar. Prætendat, quod vult, MISERICORDIA, me JUSTITIA tuetur, à qua DECRETUM habeo, quo ipse Uranius constituit, semel à se fugitivos *ipso jure* servos mihi æternùm fore: Decreto huic, & obligationi Prodi-

gus *ſua manu*, & nempe ipſo facto ſubſcripſit: CHIROGRAPHUM teneo: liquida cauſa eſt: non cedo! *Vill.* Contra filium Uranii quid valebis? *Sat.* Valebit JUSTITIA, cujus ſententiæ ne quidem pro amore filii ſe opponet Uranius. *De jure* Anthropus meus eſt, donec debiti ſui noviſſimum quadrantem ſolverit: & quia ſolvere nunquam poterit, meus æternùm erit, niſi filius Uranii pro ipſo ſolvat. *Vill.* Igitur ſecurus es de poſſeſſione: nam tantô pretiô quòd rebelle mancipium Philanthropus redempturus ſit Patri, non eſt credibile. *Sat.* Iterum oblitus es, quod jam monui: Philanthropus amat, & *majorem charitatem nemo habet*. Joan. 15. Charitas autem *operit multitudinem peccatorum*, 1. Pet. 4. Et nihil eſt incredibile de amante. Itaque ſi vera ſuſpicio eſt, quòd Philanthropum Paſtor tegat, in hoc uno puncto mea ſe verſat ſpes, & noſter poſthac ſudabit labor, ut ipſe Prodigus *nolit redimi*. *Vill.* Spes exigua! labor arduus! quis enim non optet ſibi miſeriæ finem? *Sat.* Stupidus homo es. *Miſeriæ finem* ego promittam: *Amor libertatis*, quam nunquam concedet Pater, adhuc viget in juvene: non intelligis, quid ſequatur? *Vill.* Nempe hac ſpe illectus renuet reverti ad Patrem: capio tandem. *Sat.* Et *pro renuente* nonerit fidejuſſor Philanthropus: quid? etiam hoc capis? *Vill.* Optimè. *Sat.* Igitur quid agendum ſit tibi, attende modò. Cænam utrique ut pares, velim, non opiperam quidem, ne ſuſpicio fraudis ſit, honeſtam tamen in hoſpitis gratiam nempe. *Vill.* Notavi. *Sat.* Porro potui miſceb is philtrum, quo excitatur amor in me: atque inter legumina herbam ſoporiferam pones. Ita uterque ſuavia inter ſomnia multam in diem dormiet ſecurus ſui: ego verò *per hanc moram* tenebo Prodigum mihi, & fortè hoſpitem ſimul: nam, niſi *qui principiis obſtant*, alii vix vincunt tentationis illicium. Quodſi fraus tua ſuboluerit paſtorculo, certus ſum, quòd Philanthropus lateat, atque ex hac notitia ordinabo conſilium. Habes, quid velim: cætera ego cum filiis exequar, quos requiſitum eo.

SCE-

SCENA VI.

Villicus. Philanthropus. Prodigus.

Villicus. CUm cura faciam, quod jussisti. Anthrope! bona nova! Anthrope, progredere de stabulo tuo! herum propitium habes! *Prod.* Quid tu nuntias mihi, bone vir? *Vill.* Progredere! nec enim cum porcis cænabis hodie: lautior imperata est mensa in hospitis gratiam. *Prod.* Hem! quantum debeo tibi, amice, si propter te pacatior mihi herus erit! *Phil.* Iterum blanditiis credes improvide! ego verò, villice, ut beneficium acceptem à Satana, non admittam. *Habeo alium cibum, quem vos nescitis*, Jo. 4. Cænam tuam aliis para, qui non gustârunt, quàm suavis sit Dominus, cui servio: *Cibus meus est facere voluntatem ejus*, cibus dulcis, fortis, regius. *Prod.* Frater, quid agis! hæc tua erga me miseratio est? inediâ confectus stomachus jam spe devoraverat pinguem offam, & eripis mihi? *Phil.* Non possumus esse *participes mensæ Domini, & mensæ Dæmoniorum.* 1. Cor. 10. Veneno turget, quemcunque aliquod Dæmonium pascit: inflatur, non nutritur: dulcedo in ore est, in stomacho mordens coluber, à cujus toxico infectus venter intumescit, ac crepat. *Prod.* Quas tragædias loqueris? *Phil.* Quas exhibent fugitivi ab Uranio, quibus in fastidio manna, & in deliciis sunt ollæ carnium, & cepæ, & allia Ægyptiorum. Circumspice orbem: cæmeterium vides plenum *sepulchris concupiscentiæ:* adhuc cùm erant escæ in ore, *ecce furor Domini*, Num. 11. Neque tu sapis ab his exemplis? *Prod.* Vis, ut fame peream? *Phil.* Ne fame pereas, bufones comedes? *Vill.* Mysteria garritis vos, quæ ego non intelligo: si cænare non vultis, esurite! ego abeo.

SCENA VII.

Philanthropus. Prodigus.

Prodigus. HOc habeo. Judicate Superi, quis inimicus sit mihi, si hic est amicus, qualem se jactat. Abi, dure, abi vias tuas, & nuntia Patri, inter quas delicias inveneris filium: nuntia, quàm acerbè me cruciet horrenda oblivio dissimulantis meas calamitates, quasi alienus pateretur, & non filius olim obsequens illi, & dilectus! intelligo, quid sibi repetiti nuntii velint, per quos ad se revocat: gaudet, si ab oculatis testibus audiat narrari longam seriem ærumnarum, quibuscum conflictor: & vos applauditis subsannanti! hæc commiseratio est? Abi, nuntia! postremam gratiam miserabili filio hanc saltem faciat, & supersedeat revocare ad se. Quoties mittit, durior fit mea conditio. Nuper adfuit frater, quid profuit? præpropera fuga hominis herum in furorem egit, me mancipatui addixit: hodie tu malis avibus advectus es: placidus esse Satanas cœpit, cœnam imperavit: quo animo rejicientis superbiam feret? novis suppliciis tua erit mihi luenda durities. Abi, liberas à cruciatu oculos saltem, si nemo ultra se objiciat de Patris domo. Oblitus est Pater mei, oblitus sum Patris! Abi! aut cur subsistis? audisti, porci causâ subeundum examen esse, & moriendum fortasse: hoc spectaculum nimirum tenet? bene habet: expecta! moriar, & ad inferos ibo: vix erit ibi deterior mea conditio. *Phil.* Anthrope, quis te impatiens furor agit? *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, Act. 9. neque hæc animi impotentia misericordiam provocat. *Prod.* Nullam spero. Misereri si vellet Pater, tantis affligi malis, tanto tempore an tulisset? *Phil.* Invitavit, ut redeas: rursum invitat: an non audîsti? *Prod.* Venter non habet aures: & siliquæ meliùs, quàm verba saturant. Comedam reliquias porcini prandii, quoniam iste mihi meliorem cænam invidit. *Phil.* Ah! fuit amica vis: nescis fraudes Satanæ,

Satanæ, & dulce venenum amas, Potiùs reliquum panem dabo, paternum panem! cape! *Prod.* Habe tu tibi, quod habes: ego dapsiliter vivo! eja! suffocate animam bonæ glandes, ne rursum esuriam! *Phil.* In domo Patris nemo esurit. *Prod.* Cessa nomen tam malè rebus conveniens meis! *Phil.* Affligi permittit Pater, ut redire compellat! *Prod.* Heu! *quanta* sum passus! & *quàm diu?* *Phil.* De pæna quereris, de culpa siles? dic: *quanta* sum meritus pati, & *quàm diu?* adde insuper tertiam quæstionem: *quo modo* es passus? debebas osculari manum ferientem, & intelligere, quid vellent verbera te amantis: *percussit filium suum virgâ Pater, ut animam ejus ab inferno liberaret,* Prov. 21. & blasphemâsti: calcaribus fodit latera furentis equi, & recalcitrâsti: culpam geminabat pæna, quæ urgere pœnitentiam debuisset. Continuanti peccata continuâsse flagra beneficium fuit: væ tibi, si citiùs suspendisset flagellum malè miserans Pater: vulnus quod cessat urere prudens medicus, non habet remedium. Recordare, *qui fueris,* & adorabis clementiam punientis. *Prod.* Recordor: peccavi utique, *peccavi in cælum! & coram te, Pater!* *Phil.* Io! tandem sonuit optata vox! felix confessio! dolorem adde! *Prod.* Peccavi, non nego: sed minor est iniquitas mea, quàm ut tanta supplicia merear, minor est! *Phil.* Vah! quid audio? faxo, ut experiaris, quid merueris, cæce, infelix, scelestе homule! eja, subside terra! * absorbe monstrum! *Prod.* Prô Superi boni, quò abripior miser! *Phil.* In infernum descendis vivens, ne mortuus rapiaris. *Prod.* Heu! quæ facies rerum, horrenda! misera! *Phil.* Hìc tuorum gravitatem scelerum meditare: intelliges, quid merueris.

CHO-

* Subsidente terra sorbetur à tartaro.

CHORUS

Exhibet bona Malorum Malos prementium.

Chriſtus venator. Anima. Adamides.

Adam. SAtis eſt: ſudore diffluo! *
Sol attigit meridiem: eo,
Et laſſata membra pane doloris reficio.
O Adame, imprudens Adame, quid feciſti!
Tua me gula de paradiſo expulit:
In hac valle lacrimarum
Tua me culpa poſuit.
Heu! quot mala circumſtant me undique!
Supra modum gravatus ſum,
Ita ut tædeat etiam vivere! 2. Cor. 1.

A R I A.

O Mors!
O bona Mors!
Accelera!
Poſt perdita
Paradiſi gaudia
Malorum me prementium
Tu unicum ſolatium,
Tu una ſpes,
Tu medicina es!

2.

O ſors!
O dira ſors,
Quid perdidi?...
Quò decidi?...

Vepres

* Theatrum exhibet ſilvam ex crucibus, & opticè agros refertos ſpinis ac tribulis.

Vepres rigant oculi! ...
Rigati vepres triſtium
In truncos creſcunt crucium:
O regio,
Infelix regio!

Intra Theatrum Clamores venatorii paulatim creſcentes audiuntur. Hé hé, hé hé, hé hé!

Adam. Quid audio?

Anima. Hàc fugio! vir bone,
Miſit Dominus multos venatores,
Et venabuntur me, Jer. 16.
Obſecro, quæ tegent latebræ?
Heu! imminet!....

Chriſtus. Adamida! nunquid hàc fugit dilecta mea?

Adam. Domine, dilectam appellas,
Quam perſequeris ſub hac imagine?

Chriſtus. Fugerit, non effugiet:
Omnes vias *ſepivi ſpinis*, Oſ. 2.
Cogetur redire ad me:
Hæc placet ſtatio, huc traham, quam diligo:
Et tu eris teſtis meæ peritiæ.

ARIA venatoria.

Erravit ſagitta amoris,
Jam paro ſagittam timoris:
I ferrum, & age
(Sunt utiles plagæ)
Age, age in viſcera te!
Bibe, noxium bibe cruorem,
Lethalem inflige dolorem!
Non ſervis furori,
Sed ſancto amori:
Age, age, exátura me!

Anima. Me miseram! sic erro per avia,
Nec reperio, nisi horridam à sentibus semitam!
Verè *ambulavi vias difficiles,*
Et in via iniquitatis lassata sum! Sap. 5.
Christus. Huc conde te, Adamida:
Utile tibi videbis spectaculum.
Anima. Quid faciam? angustiæ sunt mihi undique:
Obseptæ sunt viæ tribulis: fugere non valeo,
Redire ad Dominum non audeo?
Usquequò, ah! usquequò persequéris me, Domine!

A R I A.

1.

Satis est, satis:
Parce peccatis!
In leve *folium,*
Quod ventus abripit,
In siccam stipulam, Job. 13.
Quam passer proterit,
Non satis dignam te,
Exerces iram, Domine:
Satis est!

2.

Quid te juvabit?
Laudem quis dabit,
Si me occideris?
Me *canem mortuum,* 1. Reg. 24.
Si Leo dederis
In escam volucrum?
Vivens laudabo te, Is. 38.
Irasci, quæso, desine,
Satis est!

Christus.

Chriſtus. Vidiſti Adamida, humiliatum
A tribulationibus animum?
Vicimus! abite tela ſanguinea:
Inermia in amplexum tendo brachia!
Anima, chara anima!
Ecce Dilectus tuus, & *ad te converſio ejus!* Cant. 7.
Fornicata es cum amatoribus multis:
Tamen revertere ad me! dicit Dominus,
Et ego ſuſcipiam te! Jerem. 3.
Anima. Superi! *Vox dilecti in auribus meis!* Cant. 2.
Fallor? an gratiam inveni? *Chriſtus.* Veni!
Anima. Ludor miſera!
Vocem audivi Nymphæ,
Quod clamabam, reclamantis!
Chriſtus. Amantis!
Anima. O vox ſuaviſſima!
Sed, ſi tu es, Domine, quare abſcondis te?
Chriſtus. Abſcondis te?
Anima. Ah! pudor prohibet occurrere:
Peccavi, nec adhuc impetravi
Pro peccato veniam!
Chriſtus. Do veniam!.....

DUETTO.

Age, rue in amplexus!
Stringat nos amoris nexus
Sempiterno fœdere!
Anima. Adſum: ruo in amplexus!
Sine per doloris nexus
Sacros pedes ſtringere!

Christus. Cesset dolor! vepres ite! *
Versa crux in lignum vitæ
Nova fronde floreat!
Anima. Terra stupe! Cœlum gaude,
Plenô chorô mihi plaude:
Nova scena postulat!
Felix est miseria,
Christus. Felix pœnitentia
Per quam ibis,
Anima. Per quam ibo
Ambo. Ad æterna gaudia!
Adam. Vigilo, an somnio?
Nam solatio dulcissimo
Replet animum ista visio.
Intelligo, quàm bona sint mala malos prementia:
Colligo, quantum homini Dominus
Præstiterit beneficium,
Quòd *post peccatum* de paradiso voluptatis
Expulerit in exilium.

A R I A.

I.

Muliebria suspiria,
Quousque dira nomina:
Clades, *infortunium*,
Dolor, *crux*, *supplicium*
Stultè acervatis?
Ipsa vos decipitis:
Mala hujus temporis
Mala dum vocatis,
Erratis!

Væ

* Exhibitio: silva crucium vertitur in Paradisum.

2.

Væ *peccatori* homini,
Si per parcentis Domini
Sævam indulgentiam
Paradisi gratiam
Nunquam perdidisset!
Ebrius delicijs
Nunquam se à vitijs
Verè avertisset:
Periisset.

MEDITATIONIS II
De Filio Prodigo
In servitute

PUNCTUM II.
Salubris Effectus Miseriæ.

SCENA I.
Philanthropus solus.

MIseranda cæcitas! pœnam omnes, pauciſſimi culpam metuunt, cùm tamen culpa sit causa pænæ, & pæna æquô animo tolerata tollat reatum culpæ, æternùm torturæ animam, quæ in tempore pænam fugit. Quid agitis Mortales miseri, quos miseriæ non corrigunt, sed indurant? Quid faciat vobis Deus? impertitur bona: prodigitis! imò quasi parùm sit malè prodigere, abutimini contra datorem: profunditis opes ad luxum, auctoritatem impenditis sceleri, sanitatem,

vires, & vitam longam confecratis otio, ventri, licentiæ. Immittit adversa, quid fit? quotusquisque à plagis emendatur? Quanquam quid hoc quæro? quæro, quotusquisque non à plagis fit pejor? in quàm tetra consilia paupertas præcipitat? quas tempestates, quas rixas, quæ jurgia, quas cædes contemptus efficit? infortunia quælibet in quas blasphemias & murmura adversùs cœlum, in quas contumelias & imprecationes contra proximum desinunt? Dicite, quos nec beneficia curant, nec pœnæ corrigunt, non merentur inter incorrigibiles numerari? Si nunquam peccâstis, ægrè pœnam ferre, dissimulem fortasse (quanquam plùs omnibus peccatoribus afflicti sint mecum sancti, quoniam hæc ad cœlum via securissima, & brevissima est) sed quòd impatienter jactent ærumnas suas, qui pridem reos se fecerunt æterni supplicii, non est ferendum. Nescitis, quid sit infernus, quotquot infernum meriti de pœnis temporis conquerimini. Patientior ab inferis resurget Prodigus meus, opinor, cùm *quid sit passus in tempore*, & *quid sit meritus* in æternitate, consideravit. Revocabo. Discede terra!.... *Adolescens, tibi dico: Surge!*

SCENA II.

Philanthropus. Prodigus.

Prodigus. *Surgam*, Domine, *surgam, & ibo ad Patrem!* Heu! *peccavi, & ùt eram dignus, non recepi!* Job. 33. Surgam, ibo. *Phil.* Surge, en porrigo manum, in qua descripsi te, ne obliviscerer tui! *Prod.* Quid video! ô manus perfossa pro me! Heu! Domine, quousque tenebantur oculi mei, ne te agnoscerem! *Tu es Christus Filius Dei vivi, Dominus meus, & Deus meus!* quousque celâsti te mihi, Deus redemptor meus ab inferno inferiore! *Phil.* Surge! narra, quo animi sensu es, & quid vidisti? *Prod. Locum tormentorum* vidi,

paratum

paratum illis, quos pæna temporalis non emendat. Vidi, quàm pro merito meorum scelerum huc usque delicatè sim habitus! Quid egi imprudens? odi Patrem, quia puniebat filium contumacem! ô punitio felix! ô stultum odium! amâsti me, Pater, cùm puniviſti! laudo amorem denique, & in flagella deinceps offero. Si essem incorrigibilis, væ mihi! sub flagris rabidorum dæmonum æternùm gemerem. *Phil.* Intelligis modò Providentiæ Divinæ consilia? *Prod.* Tota series ordinis ante oculos est: intelligo, quàm singulariter sim amatus. Vidi involutos igne tartareo adolescentes post primum peccatum grave præcipitatos in abyssum miseriæ, & ego tot millium reus adhuc vivo! vidi juvenes post primam contumaciam relictos sibi, & casu perpetuo deorsum lapsos, donec eos orcus exceperit: mihi ne profundiùs ruerem, obex est positus! vidi viros ac senes insignes officiis, ac meritis graves, denique per constantiæ defectum infelices, obliteratâ omnium, quæ fecerunt, bonorum memoriâ perpetuis cruciatibus horrendô Dei judiciô adjudicatos: & ego, qui multa mala feci, boni nihil, in hanc diem ad gloriam Misericordiæ servor! Ah! sit confessionis meæ cælum, & terra testis, *peccavi! & ùt eram dignus, non recepi!* injustæ querelæ erant, quibus Patris duritiem infamavi impius: stulta suspiria, quibus sortis mutationem deploravi futurorum improvidus: æternùm fuissem miser, si fuissem diutiùs felix. *Phil.* Bene habet: fuit operæ pretium ad inferna descendere: fregit contumaciam inspectio tetri carceris, & impatientiam correctionis pænarum considerata acerbitas domuit: nunc tandem subibit animum vitæ malè actæ nausea, horror, pœnitentia. *Prod.* Subiit nausea gravis, horror ingens, pœnitentia amara! *Phil.* Pœnitenti licet redire ad Patrem: vis? *Prod.* Heu me! an velim, interrogor! gratia est non nisi per te speranda, ut liceat. *Phil.* Audes? *Prod.* Te Duce, audeo, quanquam timor, & pudor pugnent. *Phil.* Quid dices autem? *Prod.* Dicam ei: PATER!

Phil.

Phil. Cui tu nullam præstitisti obedientiam! *Prod.* PECCAVI! *Phil.* Et tota pæne vita unum peccatum fuit! *Prod.* PECCAVI IN COELUM! *Phil.* Quod tibi promiserat Pater, si non peccares: & contempsisti. *Prod.* PECCAVI CORAM TE! *Phil.* Neque Sanctissimos oculos erubuisti impudens! *Prod.* JAM NON SUM DIGNUS VOCARI FILIUS TUUS! *Phil.* Nimirum postquam ultrò elegisti esse servus diaboli! doles? *Prod.* Doleo! *Phil.* Quantum doles? *Prod.* Lingua explicare non potest: rumpe costas pectus! loquatur cor. *Phil.* Imò loquatur res: abrenuntias diabolo, & omnibus pompis ejus? ecce intrat! nunc, quod sentis, age.

SCENA III.

Philanthropus. Prodigus. Satanas. Villicus.

Satanas. NEmpe est, quod dixi, villice, *fortior armatus venit,* Luc. 11. Sed ego à vi ad jus provoco: nondum est debellatum. Adsunt. Hospes, *quousque animam nostram tolles? si tu es Christus, dic nobis palàm,* Joan. 10. *Venisti perdere nos.* *Phil.* Ego sum Pastor bonus: inveni inter porcos ovem, quam quæsivi: vitam habeat, & abundantiùs habeat! villice, functus officio es, quod tibi imposuit is, qui armat omnem creaturam contra insensatos. Afflixisti Anthropum meum afflictione justa: satìs est: jam in alios huic similes robur, ac vires verte. *Vill.* Cœlo & orco servio ad nutum tuum, nec ultrà, quàm tu permittis. *Sat.* Sic tu abibis? at ego signum mihi de cælo expeto. Eja! *Si Filius Dei es, dic, ut istæ siliquæ panis fiant!* *Phil.* *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, qaod procedit de ore Dei,* Matth. 4. *Vade retrò Satana!* Marc. 8. Neque posthac scandalum huic animæ pone! *Sat.* Utùt Philanthropus sis, non est tuum justitiæ contradicere: mea est hæc anima: ultrò addixit fidem! *Prod.* Abrenuntio.

Sat.

Sat. Tradidit se voluptatibus carnis! *Prod.* Abrenuntio! *Sat.* Vixit ad mundi sensum! *Prod.* Abrenuntio! *Sat.* Chirographum servitutis manu sua subscripsit, firmavit operibus! *Phil.* Chirographum decreti ego delevi pridem *affigens illud cruci.* Col. 2. Sublata est tetri mancipatûs obligatio, si Anthropus sublatam velit. *Prod.* Volo, abrenuntio! *Sat.* Cur vis autem? redibis ad Patrem, credo, annosus transfuga? I, non jam teneo: sed video, quid sit futurum: novi hominem, Philanthrope! tædium servitutis meæ concepit modò, quia sic meritum paulò asperiùs habui: cùm senserit jugum Uranii, aufugiet iterum, & redibit ad me, ùt primùm fames regionis cessaverit. *Phil.* Sic? quid dicis de te ipso? hæc à te levitas, hæc inconstantia timenda sit mihi, ut te celeriter tuæ pœnitentiæ pœniteat? *Sat.* Ego tamen hoc vitium non exprobro tibi: perge! servire Uranio per me licet, sed & ab Uranio, quoties lubebit, redire ad me licebit, promptum habebis Satanam semper, ut in gratiam fugitivum recipiat: opes, voluptates, delicias, libertatem, honores, omnia tibi dabo, ùt nuper dedi, sic, quasi nunquam violâsses fidem, & à me discessisses. Scio connivere, & indulgere humano genio prono ad inconstantiam. *Phil.* Age, frater, hæc ùt promissa placent? *Prod.* Detestor simulatoris sceleſtam spem! adhuc superbus tumet insano fastu, quo jam olim supra Dominum se extulit rebelle mancipium, rudentibus inferni propterea alligatum devorantibus flammis. Ictus piscator sapit: & per infelicem experientiam tandem novi te, Satana, & scio, qui sis. *Pro gratia* offers iteratum amplexum, si velim à Patre rursum ad te reverti: quis fastus est? gratiam pauperrimus diabolus jactet! gratiam crudelis tyrannus! *Phil.* Sic places, Anthrope! urge, urge iram nobilem, & in faciem exprobra sævo Domino injurias, quibus affecit te! narra dolos, quibus implicuit incautum! mendacia numera, quibus simplicem decepit! odio, sancto odio, æterno odio sævitiem ut vin-

dices, velim. Non est, quod metuas: torqueat os efferum! oculos & fauces armet! spiret rabiem pectus! pruriant in cædem dentes! canis est, qui latrare potest, mordere non potest, nisi accedentem: ego ligavi. *Prod.* Et ego accessi demens, ut possem teneri! sed nempe simplicem oviculam joculari specie, & caudæ blandimentis decepit perfidus adulator, postquam cum filiis simul juraverat in exitium meum. Aut age, quid mentior? Dic: quo vultu fugitivum à Patre excepisti? non amicum te mihi fingebas, & aureos montes promiseras? dedisti? imò quod meum erat, per varias artes abstulisti mihi: & quid supereſt? tristis egestas docet, quàm non *utile* peccatum fuerit. Insuper quanta gratulatione amplexus es Hospitem? quàm magnifica laude res ac spes meas putidus blatero prædicâsti? quàm amplos honores, quàm splendidam gloriam spopondisti? dedisti? imò cùm in honore essem, & gratiâ pollerem apud Deum, & homines, utrâque gratiâ per te excidi miser! quid supereſt? grunnitus porcorum clamat, quàm *infamem* peccatum fecerit. Delicias verò tuas quantis encomiis extulisti! non pro famulatu addixisti paradisum? dedisti vel pomum saltem? ita, dedisti, sed putrida, Sodomitica poma! quid supereſt? cinis, vermis, nihil. Experimentum ex his glandibus habeo, quàm *tristes fructus* peccatum ferat. *Sat.* Garri, clama, vociferare, ego rideo: nihil hac ira citiùs refrigescit: post octiduum rursum istam prensabis manum, impatiens jugi: repeto. *Prod.* Imò, ut desperes de me, maledicte Satana, hostis jurate Dei & hominum! ecce ego me tibi hodie inimicum perpetuum solenni declaratione profiteor: & hoc Philanthropo teste, firmiter statuo ac propono, me tibi semper adversaturum: neque juxta tuum beneplacitum aliquid unquam deinceps dicturum, aut facturum, aut permissurum, ut à meis subditis quidquam agatur. Sic me Deus adjuvet, & hæc, quam osculor, divina manus! *Phil.* Satis est: probâsti seriam volun-

voluntatem! opere consummetur! *vade retrò Satana! vade retrò! Sat. Recedo usque ad tempus!* Luc. 4. Revertar autem, ne ambige, revertar cum omnibus meis: *Et erunt novissima tua pejora prioribus.* Luc. 11. *Prod.* Faxo, ut, qui hactenus fuisti mendax mihi, deinceps teipsum fallas.

SCENA Ultima.

Philanthropus. Prodigus.

Philanthrop. TIme tamen, frater mi, time! *Prod.* Quem tu dignaris fratris nomine, in filium propter te recipiet Pater: quid timeam! Satanam contemnere & odisse jussisti tu; Patrem vis, ut tenero amore amem: quid timeam? *Phil.* Te time, Anthrope, tuam ignaviam, tuam levitatem, tua vitia time, & affectiones effrænes, quarum petulantiam consuetudo peccandi firmavit: ita dico tibi: TE TIME! Per viam pœnitentiæ redeundum est ad Patrem: *arcta est via*, amen dico tibi, *& pauci, pauci sunt, qui inveniunt eam*, Matth 7. Plenus est infernus à pœnitentiis falsis, & ex centum denique *super uno pœnitente* habent Angeli, unde gaudent, Luc. 15. *Prod.* Heu! in quos fluctus me retrahis jam propè exilientem in littus! siccíne fieri potest, ut me in damnatas stultitias rursum præcipitem? *Phil.* Fieri potest, nisi te timeas. A dextris, & à sinistris insidiæ sunt: *à prosperis*, & *ab adversis* periculum imminet: *audacia*, qua te occasioni admoves, & *ignavia*, qua trepidas, cùm tentaris, fatalis est: medium tene, si errare non vis. *Terminus à quo* peccatum est: deserere peccatum primus est pœnitentiæ gradus; ultrà non progredi erit regredi. *Terminus ad quem* amplexus paternus est: huc si aspiras, neque tenere euntem debent camporum, aut silvarum deliciæ, neque terrere, quæ se objicient cautes, & scopuli: insuper sive rideat cœlum, sive tonet, eundum erit. *Prod.* Ah ibo, ibo ad Pa-

trem, quocûnque labore conſtet. PECCAVI IN COELUM! & CORAM TE PECCAVI, Pater mi! INFERNUM MERUI! hæc cogitatio ſufficiet, ut graviſſimæ difficultates ſint leves. Perite cum porcis ſtabula, infelix diverſorium hominis ab homine degenerantis! peri longinqua Regio, ſceleſta Sodoma! pluat Dominus ſulphur & ignem ſuper te: tota ſubſide in cineres, ne quem poſthac fucata amœnitas capiat! *Phil.** Audivit Dominus vocem imprecantis! ſed tu *ſalva animam tuam, noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni circa regione!* Geneſ. 19. *Frod.* Præi Philanthrope, præi, & monſtra viam! *Phil. Ego ſum via!* Joan. 14. SEQUERE ME!

MEDITATIO III.

MISERICORDIA ANIMANS

SIVE

FILIUS PRODIGUS

in Reditu.

ARGUMENTUM.

Reſolutio Converſionis facilè à puniente Miſericordia per immiſſas adverſitates extorquetur: ſed RESOLUTIONIS EXECUTIO ab occurrentibus *in praxi* difficultatibus ſæpe in diſcrimen adducitur. Propterea Filium Prodigum hodie exhibemus *in ipſo ad Patrem reditu* per objecta obſtacula puſillanimem, & de proſequendo itinere hæſitantem, deni-

* Ignis de cœlo conſumit omnia.

denique tamen ope gratiæ vincentem se, atque consilio sanctè suscepto fortiter insistentem. Et verò nemo Peccatorum Pœnitentiæ molestias, nimirum dolendi, confitendi, satisfaciendi obligationem aut susciperet, aut prosequeretur diutius, nisi Divina gratia, de qua pius Asceta optimè dixit: *Suaviter equitat, quem gratia Dei portat*, deficientem in via animaret, confortarétque: Væ nolenti cooperari! Erit igitur hodiernæ Meditationis

Materia Filius Prodigus *in reditu.*

Puncta duo. 1. Tentationes in via.
2. Tentationum victoria.

Fructus, Generosa obfirmatio animi in hoc decreto: *Salvari volo, quocunque labore constet!*

Propositum Nunquam cedendi pusillanimitati, quæ novæ vitæ molestias nimium quantum exaggerat, sed semper objiciendi sibi illud Augustini: *Potuerunt isti, & istæ, cur ego non possim?* EGO, addit Apostolus, *& gratia Dei mecum?* 1. Cor. 15.

Chorus, Expendit Mysterium formidabile DE GRATIA CRITICA.

PERSONÆ.

Philanthropus.
Filius Prodigus.
Satanas.
Cosmus.
Creon.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad præsentem.

Fides. Ratio.

Ratio. *RE vera, fides, terra, quam promisisti,
Fluit lacte, & melle!
Sed via difficilis est:
Maria se objiciunt mihi, & vasta flumina,
Desertum horridum, solatiô vacuum,
Plena periculis, longáque itinera:
Insuper *urbes grandes, atque muratas* video,
Et monstra quædam filiorum Enac,
De genere giganteo, Num. 13.
Quibus si ego me comparo,
Locustâ nihilô major appareo.
Heu me! cur *de Ægypto* me eduxisti,
Imò per tribulationes, & miserias expulisti?
Nunquid, ut in hac solitudine interficeres me?

ARIA.

Spes vana,
Spes lusit me stultam insana!
Da veniam Deus!
Fefellit me animus meus:
Sunt vires impares
Conatui.
Instabo,
Et infans giganti pugnabo?

Ah!

* Ex montis vertice terram promissam contemplans, & omnia in textu expressa.

Ah! *Leo eſt foris!* Prov. 22.
Proſternere robur furoris
Puſilli non eſt res
Lepuſculi.

Fides. Fallor? ſic loquitur Ratio? an imaginatio?
Ratio. Ratio! Ratio! nam *plus ultra*
Quò licet progredi,
Quando tot, ac tantæ difficultates
Se opponunt itineri?
Fides. *O ſtulta, & tarda corde!* Sic credis fidei? Luc. 24.
Nunquid *abbreviata eſt manus Domini?* Iſ. 59.
Aut, num, *qui dedit velle, non dabit perficere?* Phil. 2.
Et fruſtra clamat Apoſtolus:
Omnia poſſum in eo, qui me confortat! Phil. 4.
Ego, & gratia Dei mecum, 1. Cor. 15.
Ego, & gratia poſſumus omnia!
Soláne iter peragis, an comite gratia?
Circumſpice, & vires gratiæ
* *Ex Arca fœderis*
Tanquam ex Symbolo intellige.
Ecce gratia ſiſtit, & ſiccat flumina! Joſ. 3.
Gratia evertit
Superba impiæ Jerichuntis mœnia! Joſ. 6.
Gratia caſtrorum hoſtilium
Ordinatam ad cædes aciem disjicit, Joſ. 10.
Et puerum gigantis victorem conſtituit. 1. Reg. 17.
Reſume animum! omnia,
Quibus non cedis, obſtacula removebit gratia.

ARIA.

* Exhibitio.

A R I A.

1.

Habet hoc hoſtis infernus in more,
Animos panico implet terrore:
Umbras horribiles armat pro ſe!
Umbras ſi metuis, actum eſt: peris,
Riſui larvis ridiculis eris:
Ride tu illas, & metuent te!

2.

Ride, & perge, quà gratiæ lubet:
Viam per invia ire ſi jubet,
Perge ſecurè: fidelis eſt Dux!
Solis ùt vultum non ferunt bubones:
Ita phantaſticos fugat latrones,
Prima quæ gratiæ fulſerit lux.

Ratio. Obſecro, quis animum faſcinavit error?
Quæ oppreſſit ſtupiditas?
Potuíne, Domine,
Aut viam ſalutis ingredi, ſine te,
Aut poſtquam ingreſſa ſum,
Diffidere tuæ gratiæ?
Sed rediit mens bona, Soror, & ſenſus ſanior:
MISERICORDIA,
Quæ *toleravit* in peccáto hærentem,
Quæ deinde clementer ſæviens
In viam *compulit* propè nolentem:
Jam *non deſtituet* currentem.
Pudet trepidâſſe! ite larvæ! ite ſpectra!
Ite inania difficultatum phantasmata!
Jam didici veſtras deridere minacias:

Ego

Ego, & gratia Dei mecum!
Ego, & gratia possumus omnia!
Fides. Hic placet animus: plaudite sidera!

ARIA.

1.

Ambæ. Firma Deus, firma mentem,
Et potentem
Clavum cordi adhibe!
Ratio. Vis, quæ meum tuo figit,
Non affligit:
Ambæ. Est vis dulcis gratiæ.

2.

Ratio. Qua ùt levis volvor rota,
(Audi vota!)
Tolle inconstantiam!
Fides. Ire viam circulorum, *
Reproborum
Est tenere semitam.

MEDITATIONIS III
De Filio prodigo in Reditu
PUNCTUM I.
Tentationes in via.
SCENA I.
Philanthropus. Prodigus.

Prodigus. PHilanthrope, ah! Philanthrope! *Phil.* Quid iterum ingemis? *Prod.* Iterum offendi pedem ad lapidem graviter. *Phil.* Tua culpa est: quare non

* Impii in circuitu ambulant, Psal. 11.

premis mea vestigia? exemplum dedi tibi, ut sicut ego facio, ita facias tu, & eas, quà ego eo. Viam commodiorem hac quæris, quam ego ambulo: ideò cespitas. Inter commoda plura se inferunt offendicula, quàm inter molestias, propterea has præ illis elegi mihi, ut à me disceres sapere. *Prod.* Mitiùs propera saltem. *Exultas ut gigas ad currendam viam*, Psal. 18. Quis assequatur? *Phil.* Ignavia loquitur. Eja! VINCE TEIPSUM! sequere, sequere me! *Prod.* Da veniam fesso: sequar alacriter, si modicam quietem indulseris. *Phil.* Adhuc intra limites *terræ longinquæ* consistis: non licet quiescere, donec hunc montem superaveris, in cujus vertice sita est NOVA JERUSALEM, Regia Civitas Patris. *Prod.* Hunc montem vis, ut conscendam? obsecro, compara vires prostratas à difficili via, cum arduo labore in ascensu. Nisi post quietem, non possum pergere. *Phil.* Non possum, inquis: *non volo*, diceres verius: confundis vocabula, & quod *difficile* est, *impossibile* vocas. VINCE TEIPSUM! experire, quid excitata, & adjuta per gratiam possit VOLUNTAS IMPERIOSA. *Prod. Voluntas imperiosa!* quid hac phrasi intelligis? *Phil.* Intelligo generosum imperium, quo voluntas subjectis sibi potentiis dominatur, dicítque *pedi*, vade! & vadit: *manui*, fac hoc! & facit: Neque facilè admittit excusationem, cùm executionem postulat periculum animæ. Nihil est in homine turpius, quàm LIBERUM ARBITRIUM SERVUS vitiorum, pravorúmque affectuum: hoc enim est porcos pascere, & fœdum mancipatum amare. Atque hic est casus, in quo versaris: *Caro* quietem postulat, *Spiritus* prosecutionem itineris: cui obedis? Age, IMPERA TIBI! Surge, & ambula! *Prod.* Equidem promptus est Spiritus, sed *caro infirma*: ecce hunc cespitem quasi de industria hìc mihi natura paravit. Parce! dandum est aliquid infirmitati: dormiam modicùm, aliquantulùm! *Phil.* Siquidem ita vis, dormi! & cui imperare debe-

deberes, obseqûere appetitui: temerariam mollitiem gravibus pœnis lues. *Prod.* Modicùm, aliquantulùm!

SCENA II.

Philanthropus solus.

HEm! Acedia hominis, cui meum exemplum non sufficit, ut excutiat tædium, ac torporem, quem viæ difficultas concivit! O stultitia credentium, soli mihi laborandum pro cœlo fuisse: se dormientes illuc translatum iri! Erratis! *A diebus Joannis Baptistæ*, qui baptismum pœnitentiæ prædicavit, ut animos præpararet ad meæ gratiæ, ac meritorum participationem, *à diebus Joannis Baptistæ usque nunc Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matth. 11. Sine vi nihil fit, & amen dico vobis: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis*, Luc. 13. Quæ est autem pœnitentia *sine pœna?* igitur qui pœnam fugit, pœnitentiam fugit: ex hoc principio verum pœnitentem distinguetis ab Hypocrita. Pœnitentia est BAPTISMUS LABORIOSUS: igitur qui odit laborem, pœnitentiam non facit, sed fingit. Aqua, quæ lavat animam post baptismum iterum inquinatam, non hauritur ex obvio fonte, sed *de profundis* contriti cordis meditando collecta, per oculos fluit. Deus, qui studiosè amaritiem medicinis aspersit, ut intentiorem in hominibus excitaret curam sanitatis, idem pœnitentiæ exercitium voluit acerbum esse: voluit, ut esset amarus dolor, molesta confessio, difficilis satisfactio, ut horror remedii acueret horrorem peccati. Igitur homo verè pœnitens est HOMO SERIO SIBI IRASCENS: & POENITENS DELICATUS est vir non vir, ens non ens, chimæra! Anthrope, *antequam peccabas*, de pœnitentiæ molestiis cogitandum fuit: *postquam peccâsti*, strenuè ferenda sunt onera peccato annexa, adeo, ut si opus fuerit, ipse tibi *eruere oculum* debeas,

manúmque aut pedem abscindere, qui scandalizat, Matth. 5. & tu dormis? sed dormi, dormi! fugam laboris gravior labor plectet, & experieris, quàm noxia pœnitenti acedia sit. Dormi!

SCENA III.

Satanas. Cosmus. Creon. Prodigus.

Satanas. DOrmi! dormi! at ego dudum invigilavi huic occasioni: non est aliud vitium opportunius ad mea consilia, quàm ACEDIA. Mens occupata tædio molestiarum, quæ comitantur pœnitentiam, prona est in phantasmata dormientium, à quibus intellectus decipitur, & rapitur animus, ut repentè pœnitentiæ pœniteat hominem, resiliátque à via, quam ingredi cœpit: saltem sic occupatum in dubia præcipito de novo in peccatum consensu: quod si obtineo, vix decimus quisque lancinantis conscientiæ morsum sustinet diu: ad impatientiam cruciantis scrupuli jugum excutiunt, & *respicientes retrò* ineptos regno Dei se faciunt. Rem ago... *Sibilat... Prod...* Audivi serpentis Sibilum: quid? si sub herba lateat?.., nihil se movet: somnium fuit. Compono me iterum: adhuc gravedo caput premit, & membra ligat languor. *Sat.* Sic fieri solet: qui concedit horam pigritiæ, duas dabit. Perge bone! *pulvinar diaboli* premis: læta somnia somniabis... *Iterum sibilat.* Cosme! Creon! agite personam vestram! Aucupio tempus & locus favent. *Cosm. Creon.* Uterque paravimus omnia ex nutu tuo. *Sat.* Ergò ad opus. Cantate aves illices!... *fit cantus avium...** Io! patet area in capturam! escam injicio!... capiendis cordibus sufficit *pugillum hordei, modici boni spes*..... Ezech. 13. Amitem tene Cosme!... preme!... habes. O stultæ volucres, quibus libertas & vita sua tantulæ cupiditatis est pretium!.. Stultiores homines, qui dum inhiant perituris, animam exponunt periculo æternùm victuram!... cessatis! cantate illices, cantate!

* Exhibentur singula.

te! nihil efficaciùs trahit in exitium, quàm *exempla* impiorum exultantium in rebus peſſimis!... cantate! habent & *verba* viſcum!... perge blandiri Creon! præda imminet!... viciſti! hæret!... Sic! ſic implicantur animi tenaci luto!... hem! turba inſidet! concludite retia!.. feliciter!.. Sic! ſic mihi Creon, & Cosmus ſerviunt: hic eſcam, ille viſcum ſuppeditat: uterque retia, decipulas, & induſtriam: *Caro* & *Mundus* abſint, *Satanas* nihil capit. St.! evigilat homo: ceſſemus ludere! agendum eſt ſeriò.

SCENA IV.

Prodigus ſolus.

HEm! repentè ſilentium eſt: nullam jam video volucrem, nullam audio. Nempe ſomniavi. Fuit tamen jucundum ſomnium, lætiſſimus concentus: lepidus eſt artifex Phantaſus, qui ſic oblectat nos ſuis mendaciis, ùt ſi rerum imagines eſſent res.... MENDACIA appello autem? interdum etiam myſteria loquitur. Aucupium videre mihi ſum viſus, quo corda capiebantur: quis eſt auceps cordis mei?... In via ad Patrem ſum: nunquid in area? ineſcavit Philanthropus dulci ſpe: quid? Si, ut capiat? & capto utique peribit libertas? Ita, Anthrope, ita eſt: caveæ includet te Pater, ne rurſum exerres liberè, ſilveſtribus immixtus volucribus, & inter carnivoras adeò fœtentibus etiam cadaveribus inhians... Ah! fœtuerunt! ſapuerunt tamen! & deinceps abſtinendum æternùm erit?... moleſta cogitatio!... Quò abripior autem? procul in ultimam Thulen ite nugæ nugarum, flagitioſæ deliciæ! ego ad Patrem ibo... & in caveam nempe?... ita, in caveam, nam etiam captivæ aviculæ Domino, à quo aluntur, hilariter cantant... at liberæ aves jucundiùs vivunt?.. vivant jucundiùs! etiam inter graviora diſcrimina vivunt, expoſitæ inſidiis vulturum, & fraudibus au-

cupum!.. & quæ ſunt demum libertatis deliciæ? utique nugæ ſunt, inaniſſimæ nugæ!... nugæ quidem, ſed jucundæ nugæ!.. vah! turbæ animi ab inerti quiete!.. quanquam num ſapio, qui ſic mecum pugno? Timeo libertati meæ, ſi Parenti ſubjicior: quid? majórne libertas eſt in ſervitute porcorum, & porcinorum affectuum, an intra ſepta Decalogi? ſtulta interrogatio! ibo. Philanthrope!.. chare Philanthrope, ubi es?.. non reſpondes clamanti?... væ mihi, ſi me Dux meus deſeruit! ſine Philanthropo reverti ad Patrem non licet, non poſſum. Philanthrope, chariſſime frater! quò abiiſti? Ah! *ſonet vox tua in auribus meis!...* Silet! ibo, *quæram, quem diligit anima mea!* Cant. 3. Maledicta inertia, quæ me ad novum laborem condemnat!.. ubi quæram verò? Dilecte mi, *indica mihi, ubi paſcas! ubi cubes in meridie amoris tui,* Cant. 1. Scilicet offenſus ſomnolentiæ jam ſuperâſti montana hæc, ſtitiſti te Patri, accusâſti frigus pœnitentiæ meæ?.... Heu! ſi ita eſt, exul æternùm ero.... Quanquam quid ago? nunquid rurſum me decipit ſtolidus AMOR MEI, amor fraudum artifex, & Pater hypocriſis? ſub ſpecie deteſtantis ignaviam, novæ ignaviæ hìc reus conſides, & ſterili affectu crimen plangis, Anthrope, quod plectere per laboris geminationem deberes! Eja! in viam! in viam! nullum dubium eſt, quin Dilectus huc aſcenderit, *ſaliátque in montibus ſimilis capreæ, hinnulóque cervorum,* Cant. 2. Eluctari in verticem debes, velis, nolis!... Debeo: potero etiam?... equidem difficulter potero: potero tamen. VINCE TEIPSUM anime! experire, quid poſſit VOLUNTAS IMPERIOSA.

SCENA V.

Prodigus. Cosmus.

Cosmus. Hìc video hominem. Heus puer! hinnulus cervorum captus à me rupit retia, fugit: non vidiſti hàc auferen-

rentem se mihi? *Prod.* Quid ais? Dilectum meum persequeris? *Cosm.* Hinnulum ego persequor: Hinnulum tu diligis? *Prod.* Dilectus meus similis hinnulo, heu! fugit à me: Dic, obsecro, *num quem diligit anima mea vidisti?* *Cosm.* Lepidus es. Quis enim est Dilectus tuus, ut agnoscam ex millibus? *Prod.* Dilectus meus est VIA, est VERITAS, est VITA: sine ipso ruo per devia, sine ipso cœcutio in meridie, sine ipso æternùm morior. *Cosm.* Video te præ amore desipere. Quem sic amas, num te redamat etiam? *Prod.* Ah! prior ipse *in charitate perpetua dilexit me*, Jer. 31. Adhuc *cùm inimicus essem*, Rom. 5. *Attraxit me miserans*, Jer. 31. & pro fratre amavit. Crede mihi, bone vir, cresco in magnas spes, & opum immensarum Dominum hæ laciniæ tegunt: nam Dilectus meus est FILIUS MAGNI REGIS, qui voluit, ut æquali cum ipso jure essem *hæres universorum*, quæ ipse possidet. *Cosm.* Obstupesco. Sed qui sic amat, quare deseruit te? *Prod.* Heu! tangis punctum doloris mei! quia *prior ego deserui*, per ignaviam sequi præeuntem detrectans. O si VINCERE MEIPSUM potuissem, quàm essem ab hoc infortunio procul! *Cosm.* Miserationem mihi tui gemitus movent. Mitiùs tamen jacturam ferres, si scires, quid ego suspicer. *Prod. Tenes me multis verbis*, nec juvas tamen? hæc miseratio est? interea tempus perdo, & longiùs à me Dilectus abit. *Cosm.* Absolvam paucis: Dilectus tuus, ô bone juvenis, videtur impostor esse. *Prod.* O cœlum! lapidescit animus ex horrore blasphemiæ! *Cosm.* Parcius excandesce. Ajebas, Dilectum tuum esse Filium Magni Regis, & te amari pro fratre: si ita se habet res, cur instar viliſſimi mediastini pannosus incedis? *Prod.* Sile, obsecro! ignoras indolem me amantis. Ultrò ut me requireret, descendit de Patris solio, & vestem Pastoris induit: decere credis, ut aliter ego vestiar, donec reduxerit Patri? *Cosm.* Repeto: impostor est. Neque enim, si universum mundum percurras, reperies Regis Filium, qui sic vestiri velit.

Prod.

Prod. Iterum falleris, qui disputas ab hoc exemplo. Regnum Dilecti mei *non est de hoc mundo*: miraris, quòd nec mores sint? *Cosm.* Ridicula simplicitas pueri! non palpas denique, quàm imposuerit nequam amator nimis credulo tibi? cùm egens ipse *bona præsentia* non posset dare, *bona futura* promisit vafer, ut per speciosam spem pellectum in sui amorem, traheret in hoc desertum horridum, & inaquosum, atque ita fame, sitique contabescentem occideret. Propterea postquam huc adduxit, repentè deseruit. *Prod.* Juvate Superi! lethalibus angustiis pectus opprimit hæc calumnia! veni Dilecte mi! veni, vindica execrandam injuriam illatam sancto nomini! *Cosm.* Irritus clamor est: nam quis se movet? Sapientiùs capies à me consilium. Me tui miseret: peribis in hac eremo, aut enectus fame, aut devorandus à bestiis: utrique periculo subducam te, si vis servire. Canibus venaticis meis custodem dabo, liberaliter habiturus, si sedulum habeam. *Prod.* Philanthrope, ô Philanthrope! jam à porcis ablégor ad canes: hoc tu audis, & non misereris!

SCENA VI.

Prodigus. Creon. Cosmus.

Creon. QUis inclamat Philanthropum? Dulce nomen est! novi Filium magni Uranii: dicite, ô boni! fortè ingressus est saltum, & me requirit. *Prod.* Te, filius Uranii? ô si veniret! *Cosm.* Quid tu vis, fratercule! etiam desipis? ego novi Philanthropum: Filium Dei se temere facit, non est (*ad Prodigum*) Tu mihi adhære. *Creon.* Imò mihi crede, adolescens, aut potiùs operibus, & prodigiis Philanthropi, quibus Filium Dei se probat. Iste venator est, qui in silvis silvescens mentem feris, non veritati affixit. Equidem fratres sumus, sed contrariæ indolis: nam ille *præsentibus* tantùm bonis inhiat, ego

futu-

futuris præterea. *Cosm.* Fruor bonis, dum sunt: pòst mortem nihil timeo, nihil spero. *Creon.* Ego verò *credo, quia Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & IN CARNE MEA videbo Deum!* Job. 19. ita locutus est mihi, qui veritas est. *Cosm.* Vos alite vos vestris spebus, ego res amo. *Prod.* Tu mihi eremicola places, qui amas Philanthropum. O si dicere posses, *quò declinaverit Dilectus meus,* Cant. 5. à me, quantô beneficiô obstringeres tibi! *Creon.* Tecum fuit? *Prod.* Fuit, eheu! sed cùm dormirem, abscondit se. Qua via modò ad Uranium pergam? *Creon.* Ad Uranium tu? scis, ô bone, cujus hoc nomen sit? *Prod.* Est nomen Patris mei, qui per Philanthropum in filium adoptavit me sibi, à quo ego demens abii in regionem longinquam, ad quem post dissipatam scelerate substantiam pœnitens revertor, Philanthropo duce! perii, si ille me deserit. *Creon.* Nunc intelligo mysterium fugæ. Tu es famosus ille Prodigus nempe, qui sexcenta sexaginta sex talenta in tantula ætate devoravit! *Prod.* Doleo! *Creon.* Meritò doles. Sed heus! quid cogitas? quid audes? qui recèns à porcis, & adhuc malè olens oculis Uranii exhibere te non erubescis, imò amplexum fortè paternum speras? *Prod.* Non hoc ago, sed *stans à longè, submissis oculis, percutiens pectus* clamabo: DEUS PROPITIUS ESTO MIHI PECCATORI! rogabo, ut me faciat *unum de mercenariis suis! Creon.* Et in hac ipsa audacia ingens præsumptio latet. O si vis cum fructu dicere: *Deus, propitius esto mihi!* noli *propitius esse tibi!* post multorum annorum severam pœnitentiam denique sperare veniam, & gratiam licet: irruere in conspectum offensæ Majestatis, adhuc calentem, & pæne fumantem à scelere, novum scelus est. Crede mihi, ex hac causa, postquam in hanc eremum adduxit, deseruit te Philanthropus, ut rigidæ pœnitentiæ consilium ex ipsa necessitate conciperes: neque adeò ut in me incideres, casus fuit: ipse sic dispo-

ſuiſſe credendus eſt, ut docereris pœnitentiæ modum. Ingredere cellam mecum: nam & ego homo peccator ſum! hic quot annis *per quadraginta dies* recondo me, ut in jejunio pœnitentiam agam: ſic diſponor paulatim ad veniam, de qua ſolari quoque mærentem Philanthropus ſolet, *ſub tempus paſchale* inviſens ad me. *Prod.* Attentum habuiſti me, hoſpes, ſermoni tuo: unus ſcrupulus angit: conſcendere hunc montem Philanthropus juſſit: ſi tecum manſero, dic, non offendetur per moram? *Creon.* Scrupulum abjice! pœnitentiam amat Philanthropus, & jejuniô delectatur, quod ſuô exemplô docuit. Mane mecum usque ad Paſcha: redibit Dilectus noſter, & invenies, quem quæris. *Prod.* Ah! inveniam ſub Paſcha demum! at ille juſſit HODIE huc aſcendere: eundum eſt. Vince te, Anthrope, VINCE TE! *Creon.* Pertinax puer! interpretari voluntatem Philanthropi annoſô aſcetâ meliús didiciſti? *Prod.* Timeo, ne ſervanda ſit ad litteram, & ſine Gloſſa, ſine Gloſſa! *Creon.* Pueriliter times. Credis, Uranium tyrannum eſſe, qui tantum laborem tantillæ ætati imperet?

SCENA VII.

Satanas. Prodigus. Creon.

Satanas, in transfugæ forma. TAta, ita, tyrannus eſt Uranius, & quis es tu, quem de hoc audio dubitantem? Ejectus à facie viri per atrocem vim, quacunque per orbem vagor, hoc obvio cuivis narro, hoc palam prædico! Tyrannus eſt Uranius! hoc mihi placet vindictæ genus, quoniam non ſuppetit aliud adverſùs omnipotentem. Tu quid hìc agis eremicola vecors? pœnitentem hic habitus loquitur, & iſte cellulæ apparatus: cui bono? Et fallor! nunquid hunc juvenem in ſimile conſilium trahis, ætatis florem ad jejunium, & melancholiam condemnans! O ſtolidi homines, quibus ita miſerè illudit placandi

Uranii

Uranii inanis ſpes! ſi peccâſtis vel ſemel ſolùm, actum eſt! pereundum erit, æternùm pereundum! qui ſapit, ne bis ſit miſer, nunc ſaltem *agit in bonis dies ſuos*, ut hilariùs tandem ad inferna deſcendat. Vale terra ſancta: ego in Jericho, in Sodomam, in Ægyptum, in Babylonem proficiſcor! habeat ſibi cœlum ſuum Uranius: terram dedit filiis hominum ad tempus tandem: dum tempus eſt, fruamur terrâ! *Creon.* Totus expaveo ad voces ignoti hominis! *Prod.* Et mihi gelidus ſudor fluit ad has blasphemias. Ubi ſum? *Creon.* Et quis es tu, qui ſic intonas contra Tonantem? *Sat.* Quis fuerim, quærite. De ſtirpe illuſtriſſima natus ſum: officiô primus miniſter eram, *ſignaculum ſimilitudinis Dei, plenus ſapientiâ & perfectus decore: in deliciis paradiſi Dei fui: omnis lapis pretioſus operimentum meum: in medio lapidum ignitorum ambulabam, perfectus in viis meis à die conditionis meæ*, Ezech. 28. ſemel tantùm ingreſſa eſt animum iniqua cogitatio: dedi locum vix per momentum: reſcivit (ùt ſcit omnia) Uranius, continuò privor dignitate, ejicior aula, exilio ſempiterno addicor. *Creon.* Nulla admiſſa eſt excuſatio? *Sat.* Nulla! *Creon.* Neque deprecatio ſaltem? *Sat.* Nihil. *Creon.* Quid? ſi ſpatium pœnitentiæ poſtulâſſes? *Sat.* Negatum fuit. *Creon.* Credidiſſem habiturum rationem nobilitatis! *Sat.* Uranio omnis nobilitas vilis eſt: ſufficit ſolus ſibi. *Creon.* Neque merita attendit, quæ collegeras, neque officia, quæ, ſi peperciſſet, præſtiturus fuiſſes? *Sat.* Nihil. *Prod.* At filius ſaltem deprecator acceſſit? *Sat.* Philanthropus nempe? tace inviſum nomen! acceſſit utique, ſed non pro me deprecator: acceſſit pro homine, quem ex luto Damaſceno formaverat Parens, pro neſcio quo Prodigo, reo ſcelerum plurimorum, & talentis pluries centenis obærato. *Prod.* Prodigo illi veniam impetravit? *Sat.* Impetravit, ſub conditionibus tamen, quæ ſi fuiſſent oblatæ mihi, ego acceptâſſem, ſed Prodigus nunquam exequi poterit: adeò duræ ſunt. *Creon.* Igitur hæc ſimu-

latio Misericordiæ, non Misericordia est. Prodige, quid expectas? ... imò, quid ego hìc expecto? tanto Ministro qui non pepercit, nec mihi parcet. Frustra pœnitentiam ago: tristis ereme vale! Prodige, nobiscum perge! *Sat.* Tu es ille? ô te puerum vesanæ spei! scio enim, quàm asperi montes sint, quos superare debes, ut ad Patrem pervenias: & pœnitentia, quam supplici imperabit rigor Uranii, non erit mitior istis cautibus. *Creon.* Ego gratiam Uranii tanti non emo. Ereme vale! perstabis tu? *Sat.* Sequetur: imus: pereat, si sequi nolit! *Prod.* Superi juvate me! obruitur decumanis fluctibus jactatus animus! Philanthrope, ubi es?

CHORUS

Expendit Mysterium formidabile de gratia Critica, in illud: *curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam!* Jer. 51.

Babylon, sive anima peccatrix. Misericordia intenta parando pharmaco à Providentia destinato. Gratia illuminans, & *Gratia excitans* sub specie epheborum Misericordiæ ministrantium. *

Misericordia. PRetiosa est medicina,
Quam præscripsit Providentia:
Sapientissimè ordinatum *Recipe,*
Mixtura nobilis, efficacissima *ingredientia*
Etiam singula!

Gratia ill. Est gratia, sed GRATIA CRITICA:
Nam monuit Diva,

Ægram

* Theatrum exhibet in medio cubile animæ lethargo oppressæ: ex uno latere pharmacopolium, ex altero hortum pharmaceuticum, cum laboratorio.

Ægram esse morituram certissimè,
Nisi ab hoc medicamine
Cœperit *in sudorem copiosum* diffluere.
Misericordia. Lacrima Christi unciæ duæ,
Legit Recipe. Cremor tartari, caput mortuum,
Uncia una,
Aloë optima, & Myrrhæ uncia semis...
Ita est: hæc erit crisis à pharmaco:
Aut per sudorem
Expellet peccantem humorem,
Aut actum est, ô chara anima!
Peribis, æternùm peribis misera!
Ah! peccatores, nolite errare,
Nolite, sine modo, sine fine sperare!
Infinita est MISERICORDIA,
Sed MISERATIONES
Definit Providentia:
Datur gratia ultima, gratia Critica.

ARIA.

Ad salutem peccatorum
Omnis servit creatura:
Sed est *pondus*, est mensura:
Est decretus *numerus*, Sap. 11.
Prudens *dosin* pharmacorum
Trutinavit Medicus.

2.

Ad libellam expenduntur
As, semissis, unciáque,
Granum, drachma, siliquáque:

Et est causa studii:
Sæpe ægri moriuntur
Ex contemptu *scrupuli.*
Misericordia. Sed agite!
Exequamur voluntatem Providentiæ.
Ego medicinam parabo:
Vos lethargum excutite,
Et animam ad potionem salutiferam
Fortiter hauriendam disponite.
Gratia excit. Aggredimur negotium totis viribus,
Gratia illum. Arguendo, obsecrando, increpando,
Modis omnibus.

DUETTO.

Gratia. Eja surge sine mora!
Vocat Deus, monet hora: *
Hora (audis?) est *secunda,*
Gratiis pro te fæcunda:
Surge! surge, ambula,
Non sequetur alia!
Somnum dormis pessimum:
Anima. Sine, sine, paululùm!

2.

Gratiæ. Somnum dormis, qualis fuit,
Quem infamî pænâ luit
Samson decus Palæstinæ:
Tantæ memor tu ruinæ
Surge, vince, vince te,
Pare voci gratiæ!
Somnum dormis pessimum!
Anima. Sine adhuc modicùm.

Gratia

* Sonat hora.

Gratia excit. Heu modicùm! heu paululum!
Repete horologium, repete,
Et propiore ſonitu
Percute aures inertiæ * ....
Addo impetum: præcipito malleum ** ...
Anima. Adhuc modicùm! paululum!
Gratia illum. Vah! ... quousque ſurdo canemus fabulam?
Aures habet in carne:
Carni admoveo faculam:
Ignis pellat Lethargum feralem,
Et vincat inſanam pigritiam ....
Anima. Oh! uror! uror!
Gratia excit. Urere! experire,
Quid ſit flammas inferni ſentire.
Anima. *** Ubi ſum? ...
Sic deprehendo te! oh! dolor!
Gratia illum. Io! veternum excuſſimus! vicimus!
Anima. Quis in me vos agitat furor?
Gratia excit. Amor, amor coegit
Adhibere extrema remedia,
Ut velles à ſomno ſurgere.
Anima. Ah! importuniſſimè!
Nam dormiebam ſuaviſſimè,
Et tenebat animum
Somnium multò lætiſſimum,
Quod non debebatis abrumpere.

A R I A.

1.

Vidi hortum ſplendidum:
Dicerem Heſperidum:
Niſi pro draconibus

Mille

* Rurſum ſonat. ** Etiam ſuſcitabulum. *** Evigilat uſta per facem.

Mille mihi veneres,
Mille mihi Charites
Occurriſſent blandientes,
Et tenentes
Dulcibus ſermonibus.

2.

Ambulantem aurei
Salutabant floſculi,
Sic jubente Zephyro:
Alludebant alacres,
Omne genus, volucres,
Concinentes animante,
Et juvante
Rivulorum ſibilo.

3.

Senſus omnes mulceo
Innatabant fluvio
Ebrii deliciis:
Et quàm felix crapula
Adhuc intra viſcera,
(Modò per vos licuiſſet)
Adhuc iſſet
Plenis tumens alveis!

Gratia illum. O ſtulta anima, quam paſcunt ſomnia!
Gratia excit. Vana, vaniſſima ſomnia!
Anima. Læta, jucundiſſima.
Sinite, obſecro, ut revocem iterum
Amabilem Morpheum.

Ariosè.

Ariosè.

Anima. Somne veni
Tinge leni
Tempora papavere!
Gratiæ. Somne fuge!
Tuæ nugæ
Sunt lethales animæ!
Anima. Reduc læta ſomnia!
Gratiæ. Deſinant deliria!
Miſericordia. Siccíne: & quousque, vecors anima
Reſiſtes gratiæ?
Non eſt jam tempus dormiendi,
Et indulgendi inertiæ:
Dum tempus eſt,
Utere tempore:
Evigilâſti:
Lethargus eſt morbus fatalis:
Utere pharmaco, & ne reincidas,
Occurre in tempore imminentibus malis.
Ecce Medicinam efficacem, divinam
Præſcripſit Providentia,
Propinat Miſericordia:
Ebibe! ſanabere.
Anima. Apage! ſine dormire me!
Somnum interciperes novis cruciatibus:
Apage! Apage!
Miſeric. Sanari non vis?
Anima. Sana ſum: non indigeo te.
Miſeric. Bene eſt: ergò *quod facis, fac citiùs*, Jo. 13.

ARIETTA.

Dormi! dormi!
Non jam turbabo:
Tibi compoſitum,
Quod non vis, pharmacum
Alteri dabo.
Dormi! dormi!
Eja! *curavimus Babylonem, & non eſt ſanata:*
Derelinquamus, Jer. 51.
Et noſtram ad alios
Induſtriam vertamus!
Gratiæ. Derelinquamus! ad alios nos vertamus!

TRIO.

Omnes tres. O Animæ,
Quæ temere
Urgenti gratiæ
Audetis vos opponere,
Væ!.. gratia
Si fuerit CRITICA!....
Cùm *ſæpiùs*,
Cùm *fortiùs*
Movetur animus
Ad ſanctum quoddam facinus,
Attendite!
Eſt CRISIS gratiæ,
Aliis,
Si vos negligitis,
Impertituræ ſe.

ME-

MEDITATIONIS III.
De Filio Prodigo
In Reditu
PUNCTUM II.
Tentationum victoria.

SCENA I.
Prodigus. Cosmus.

Prodigus. O Lucta gravis! ... Et quousque hærebo ad montis pedem? aut *sursum* eundum est, Anthrope, aut redeundum *deorsum*: subsistere diutiu in horrida solitudine nec libet, nec si vivere velim, licet. Quid eligis anime? ... *Cosmus.** Vah infeliciter! .. errâsti sclope infortunate! evasit præda. Quis hìc? Hem! adhuc te video affixum loco, in quo deserui? *Prod.* Ah! .. *Cosm.* Quid vis? nam gravi tristitiâ oppressum cerno: condoleam tibi, an derideam miserum? certè commiseratione indignus est, qui pertinaciter miseriam amat. Desertum te vides â dilecto Philanthropo, & necdum sapis: Auxilii inopem ego juvabo, si vis servire. *Prod.* Ad majora sum natus, quàm ut canibus famuler. Desine insultare misero, ipse miser: nihil spero à te. *Cosm.* Ridiculus es. Unde enim ego tibi infelix videor? *Prod.* Tu dixisti: audivi gementem de voto frustrato, & spe delusa. *Cosm.* Ha! fuit gemitus levis. Ecce arma fistulam in prædam novam: facilis est erroris correctio. *Prod.* Nunquam aliàs aberravit à

* Cosmus venator exhibet inanes labores mundi bona sectantium per sclopi ejaculationem infelicem.

ſcopo plumbum, niſi hodie tantum? *Coſm.* Etiam ſæpius: ſed non ideò nullæ ſunt venatorum deliciæ. *Prod.* Scilicet quia inanes quoque bombi oblectant vos. Quid tamen? cùm per ſcopulos & cautes reptatis, cùm æſtu anhelantes, aut gelu enecti veſtigia feræ teritis, cùm ſub Jove frigido vigilatis amaras noctes, famem atro pane conſolantes, & reſtinguentes ex obvia lacuna ardentem ſitim: non denique torquet animum poſt tot ærumnas deluſa ſpes? *Coſm.* Torquet ſanè, ſed non ideò vita venantium infelix creditur: memoriam laborum poſtremò hinnulus aut cervus obliterat, tandem ſub ictum veniens. *Prod.* Aut lepus, vel vulpes ſaltem. Verùm tantíne fera eſt, ut emi mereatur tantô impendiô, tot faſtidiis, neque rarò ipſius ſanitatis, & vitæ periculô? *Coſm.* Tanti non eſt fera, ſed tanti eſt delectatio, quæ afficit animum ex feræ cæde. Verùm tu non intelliges noſtra gaudia, niſi expertus fueris. Vis experiri? veni mecum! *Prod.* Dilectus meus ſimilis eſt *capreæ, hinnulôque cervorum*, ipſum venabor. *Coſm.* Ubi ſunt arma tibi, venabula, ſclopi, tela? *Prod.* Sagittæ meæ ſuſpiria mea! tandem poſt tot errores aliquod feriet Dilecti cor, & patientiæ ſolatium feram. *Coſm.* Opto, ut nullum feras, Contemno, qui me contemnunt. *

SCENA II.

Prodigus ſolus.

Prodigus. CContemptu dignus ſum, qui meipſum ad porcos damnavi: ita, contemptu dignus ſum, & irâ inſuper, quæ me adverſùm meipſum armet! .. Sancti Cœlites, quod repentè lumen ſe animo infert? .. Erravi, erravi, *Suſpiriis* huc usque intentus, ut fugitivum Philanthropum

* Abit. Prodigus ad montana conſiſtit, in quibus Stationes de Paſſione Domini exhibentur.

pum revocarem! Occurrit memoriæ, quod monuerat: HOMO POENITENS EST HOMO SIBI IRASCENS! Ira, ira adversùm me præ omnibus suspiriis placet: Suspiria emolliunt animum, & effæminant: ira incendit in Heroicos ausus, & omne obstaculum vincit. Et verò cui irascar potiùs, quàm mihi? quis mihi nocuit magis? .. Confudit segnitiem meam venatoris alacritas. Homuncio ignave! sursum, deorsum venator cucurrit, ut nihil caperet: fatigatus est: num consedit? num somnum admisit oculis? imò quietem suadenti irasceretur, opinor, neque mentionem ferret, priusquam sperata prædâ potitus fuerit: & ego, frustra exprobrante pigritiam Philanthropo, in profundum soporem me dedi! .. In soporem me dedi, cui respicere post tergum, & vel *stare* in omni circa regione disertè prohibitum fuerat! Merui, merui indignationem tuam, Dilecte mi, & justa est pœna damni, qua subtraxisti te mihi! .. Quid? recordor enim: quasi dormire parva culpa fuisset, etiam evigilans periculosa somnia diu animo volvi, propè deliberabundus, num expediat, iter ad Patrem prosequi! .. Inde quibus hominibus aures imprudens dedi? non, qui essent, lingua manifestos reddidit satis? quas stultitias venator effutiit? quàm horrendas blasphemias expuit transfuga? & eremicolam fuisse impostorem nónne prodidit levissima fuga? .. Quantillum abfuit, ut me socium adderem? ut novâ perfidiâ Patrem offenderem? Quid? mentiórne, si dico sub aliena specie condidisse insidias Satanam, cum Creonte, & Cosmo? ... O maledicta inertia! ô execranda mollities! ô abominabilis conversatio, in quam atrox periculum me conjecistis! .. Et adhuc torpor ligat vitales spiritus! fatigata membra obsequium negant! .. Negent! ira, sancta ira vires suffice! ascendam in montem Domini, IBO AD PATREM, vel si in via deficiam, ibo! .. Intende in adjutorium meum, chare Philanthrope!

SCENA III.

Philanthropus. Prodigus.

*Philanthr.** EJa! incepit se vincere Prodigus meus: occurro, ut juvem! *Prod.* Philanthrope, ad adjuvandum me festina! *Phil.* Anthrope, ascende ad me! *Prod.* Superi! vox dilecti in auribus meis! vox dulcis! O anima animæ meæ, ubi es? *Phil.* Huc, huc te urge! *Prod.* O cælum! jam in apice te video! Ah! quis mihi dabit pennas, & volabo ad te! *Phil.* Falleris! volare innocenti licet: pœnitenti eundum est pedibus, & nec recta quidem via, *sed per ambages.* Circumspice! Quam positæ columnæ signant, illa est via, qua ego prævi. *Prod.* Heu! via signata sanguine, & tristi memoria cruciatuum, quos tulisti pro me! *Phil.* Hinc erit robur tibi. Placuit heroica resolutio tandem. Perge! *initium pœnitentiæ* solet esse difficile, sed *prosecutio* plena solatio. *Prod.* Ecce facio, quod possum! tu fac, quod ego non possum. *Phil.* Ad singula monumenta subsiste: quævis statio firmabit vires. Postquam deserta est regio longinqua, quietem non veto: imò impero, ut per moram haurias aquas salutis *de fontibus Salvatoris*, Is. 12. *Prod.* Sto, ubi te video jacentem, & sudori sanguineo innatantem! O triste spectaculum! tristis erat anima tua usque ad mortem, propter peccata mea: & ego cùm obiter percussi pectus, putem dolere me satis? INTENDE TE DOLOR! dolendi causa Deus est, graviter offensus Deus, quem ut placaret tibi Filius DEI, voluit cum sanguineis lacrimis deprecari pro te. Sed ô Philanthrope, donum utilium lacrimarum est donum tuum? ego frustra percutio hanc petram cordis: anima mea est sicut terra sine aqua tibi, arida, exucca, hians! rumpe cataractas! *da oculis meis fontem lacrimarum*, & *fac me verè tecum flere!* *Phil.* Audio votum sanctum.

* Ex monte inclamat.

ſanctum. O guſta guttulam ſanguinis exſudantis, & eris mei doloris particeps. *Prod.* Prô amariſſima amaritudo! heu! qui *bibi ſicut aquam iniquitatem*, quàm ſtupido ſenſu fui! delectare me potuit *uva fellis*, Deut. 31. *Uva acerba nimis?* Ez. 18. Æquum eſt, ut, quantum in ſtolidis deliciis fui, tantùm ſim in dolore. Cœpi dolere: INTENDE TE DOLOR, & cum doloribus dolentis Dilecti creſce! *Phil.* Creſcet in Aſcenſu Dolor: aſcende! ecce deſcendo, ut juvem.

SCENA IV.

Philanthropus. Prodigus. Satanas. Creon. Coſmus.

*Satanas.** AUdivi ſuſpiria, quæ mihi non placent! .. Vah! abiit: .. Inferi! deorſum, an ſurſum ivit? .. Prô! video in aſcenſu: Filii, actum eſt: VICIT SEIPSUM Prodigus: victi ſumus! *Creon.* Nondum Pater: adhuc tentare aſſultum placet. *Coſm.* Sæpe jam ingreſſis limen pœnitentiæ, perſuaſimus, ut retraherent pedem, & clauſimus januam. *Creon.* Imò aliquos ex ipſo Patris gremio rapuimus tibi. *Sat.* Ergò quid poſſitis, tentate. *Prod.* O cruentum ſpectaculum! *Sat.* Arbitremur, quid gemat. *Prod.* Video JESUM à flagris lacerum: INTENDE TE DOLOR! meas petulantias ſic luit Dilectus meus! .. O Caro, belluina caro, in quàm pudenda ſcelera pertraxiſti! .. Obſtupeſcite Cœlites horrendum diſcrimen inter ſervum, & Dominum: Dominus pro ſervo in atrocia flagella, ſervus contra Dominum in quævis flagitia ſemper paratus fuit! .. *Creon.* Anthrope, unde abis, & quò pergis? *Prod.* Fallor: an Creontis eſt iſta vox? *Phil.* Noli reſpicere: dignus non eſt reſponſo improbus Creon: tace & FUGE: in fuga CARNIS victoria. Fuge! nec metue, ne moleſta ſit nimis vita ſtultitiis vacua: NON TOLLO delicias, ſed MUTO, & veras falſis, ſpirituales carnalibus ſubſtituo.

* Ad pedem montis.

ſubſtituo. *Creon.* Vah!.. *Prod.* Te ſequor, Dilecte mi, trahe me, & curram etiam ... Prô! nova tragœdia! Rex meus ſpinis redimitus! INTENDE TE DOLOR! DEUM video in medio rubi! hoc honore affeci Dominum, cui obedire nolui, libertatem inclamans rebelle mancipium! & tolerâſti!.. *Nolumus hunc regnare ſuper nos!* dixiſtis effrænes affectus, quibus ego imperare modeſtiam debuiſſem, & ſilui! O facinus nec ignibus inferni piandum ſatis!.. *Coſm.* Anthrope, ridiculus homo es! *Quid dicent homines* de te, cùm audient, quòd ultrò redieris ſub jugum Patris, pueriliter oſculaturus ferulam, qua te cædet? *Phil.* Audis impiam Coſmi vocem! ſed nunquid melius eſt virgâ, quàm ſcorpionibus cædi! RIDENTEM RIDE, & riſum petulantem riſu prudente vindica! *Prod.* Si Regi meo placeo, cur metuam riſum lixarum? *Coſm.* Vah!... *Phil.* Vides, quàm ægrè MUNDUS ſui contemptum ferat! contemptu ego vici, contemptu vinces tu. *Prod.* Quid mihi cum mundo eſt, qui colo regem non de hoc mundo!.. *Phil.* Nova ſtatio novos affectus cieat. *Prod.* Sub crucis onere fatiſcens cadis, Servator mi! Imago triſtis! nempe ferre crucem tecum ego nolui, impatiens moleſtiæ: onus omne in te rejeci! INTENDE TE DOLOR, & impatientiam plora tam indecoram homini, qui DEUM patientem adorat! ubi ſenſus? ubi ratio! ubi fides fuit, quando punitus à te inſurrexi contra punientem, & à plagis pejor fui!... *Sat.* Anthrope, in via deficies! pœnitentiæ aſperitas quanta ſit, non expendiſti, neque intelligis, quanta in peccantes tyrannide Uranius furat: Det veniam culpæ: non ideò dimittit pœnam, moriendum in cruce erit! *Phil.* Mortem in cruce times? *Prod.* Retrò Sarana, retrò! mortem in cruce amo! crux ſcala ad cœlum erit. *Sat.* Vah!... *Phil.* Rectè pugnas. Ad iram impellit SATANAS, per ir m vincis! Iraſcere Satanæ, ſed tibi magis, IRASCERE TIBI, inquam!

inquam! ira appetitûs vindictæ est: igitur qui sibi irascitur, pati gaudet, & in cruciatibus plaudit. *Prod.* Adsum! amplector crucem! suprema statio lacrimas iræ miscet. Quid video? In cruce expiras, Philanthrope! quis affixit? *Phil.* Amor, & furor fixit. *Prod.* Ita, *Amor tuus*, & *meus furor*. INTENDE TE DOLOR! dolorem summum amor & furor exigit, amor immensus, furor propè amori par. *Creon.* Siccine! seriò dimittis nos! *Cosm.* Et ultrà non erimus tecum in æternùm! in æternùm! *Sat.* Nihil metuite: ITE NUGÆ! lingua clamat: cor tamen vos adhuc amat! *Phil.* Latrantes *infra te* canes negligè! *Prod.* Ego affigo me cruci! confundantur, & erubescant, qui dicunt mihi, Euge! *Cosm. Creon. Sat.* Vah!

SCENA V.

Philanthropus. Prodigus. Mercenarius.

Mercenarius. IO! tandem sum felix! quanquam num hic est ille? *Prod.* Ah! amice, per Philanthropi gratiam jam non sum ille! *Phil.* A Patre ades? *Merc.* Ut occurrerem, jussit. *Prod.* Nempe ne paternæ ditionis fines intrare sineres? meritò, ah! meritò prohibet offensus Pater! ô Philanthrope, in quàm temerariæ spei audaciam adduxisti infelicem Prodigum! obstupesco de stupore, quo credere potui, fore, ut liceat subire vultum Patris. Non tamen redibo in Regionem longinquam, unde abii: sed ad hanc crucem moriar: ita, ad hanc crucem! compone te anime in amplexum! salve ô bona crux! persequatur me Pater, & hìc deprehendat! hìc occidat! hìc victima Justitiæ cadam! *Phil.* Modicæ fidei! tanti est tibi meus labor, ut tantillam non videar mereri mercedem? sic notus Patris amor in me, & te? *Merc.*

Mihi tamen hic animus placet. Sed errâsti, ô bone! nam, ut explorarem, præmisit me Pater, & properare juberem, redire si velles: Dies & horas numerat, dum videat reduces: tantum desiderium est amplectendi pœnitentem. *Phil.* Intelligis miser, quem Patrem habeas? *Prod.* Velut ex gravi somno evigilans nescio, ubi sim: Pater, inquis, desiderat me? *Merc.* Ajo: festinate, obsecro, neque diutius amoris impetum longa expectatione suspendite. Præcedo: cùm nuntiavero adventum Prodigi, ipse accinget se in occursum. *Prod.* Ipse in occursum! anime, in quas dulcedines me abripis mihi! *Phil.* Perge celer, & convoca amicos, ac vicinos, ut congratulentur mihi, quia inveni ovem, quæ perierat. *Merc.* Obedio, Domine: festivum gaudium totam tenebit domum. *Phil.* Tu verò meminisin', quid dicere Patri velis, in amplexum ruenti? *Prod.* O Pater! ô amplexus! paravi verba, dicam: *Pater, peccavi in cœlum! & coram te!* Dicam autem? ah! lacrimæ non sinent loqui! tu Verbum es! tu pro me loquere!

Phil. Lacrimæ loquentur satis. Veni post me! propera! *Prod.* Venio. Dicam: *Pater! peccavi in cœlum! & coram te!*

MEDI-

MEDITATIO IV.

MISERICORDIA RECIPIENS

SIVE

FILIUS PRODIGUS

in amplexu paterno.

ARGUMENTUM.

Andem victoria difficultatis, quæ pœnitentiæ consilium ad tempus sufflaminat, gaudium parit, nascituram ab experientia Misericordiæ, qua Deus recipit peccatorem redeuntem ad se. Rem exhibet, qui est præsentis Meditationis

Materia: Filius Prodigus *in amplexu paterno.*

Puncta duo: 1. Gaudium Patris.
2. Felicitas Filii.

Fructus, Læta spes veniæ de peccatis.

Propositum, Exercitium doloris de vita malè acta continuandum usque ad mortem.

Chorus Exhibet Solatia Pœnitentium.

PERSONÆ.

Uranius.
Philanthropus.
Prodigus.
Frater Prodigi.
Mercenarius.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad præsentem.

Fides. Ratio.

Ratio. JO! * quàm alia subitò se aperit Regio!
Prava in directa, aspera in vias planas, Luc. 3.
Mutata invenio.
Fides. Tantum potuit heroica resolutio.
Nunquid prædixi tibi:
Fac, quod potes:
Et faciet Deus, quod tu non potes!
Initium pœnitentiæ solet esse difficile,
Sed prosecutio plena solatio.
Pergamus:
Pergentibus, obvium se feret Dominus.
Ratio. Quid? obvius erit Dominus?
Heu me! & nullos video montes,
Qui cadant super me!
Nulli sunt colles, qui operiant me!

A R I A.

1.

Subtrahe radios, auree Phæbe!
Irrue supra me, squalida nox!
Terra te aperi, latebras præbe,
Aures ne feriat Domini vox!
Oculos Dei offensi subire
Ego ut velim (ah! obsecro te)

* Exhibetur jucunda planities.

Im-

Improperantem ut cogar audire,
(Mori nam malim) ne adige me!

2.

Deus est DEUS (ô Nomen tremendum!)
Deus supremus Regentium Rex,
Vilis cui Homulus (scelus horrendum!)
Dixit: *Rex nullus, & nulla est lex!*
Timor, & Horror, & Dolor, & Pudor
Impete uno obruite me!
Opprime animum gelide Sudor,
Deum ne videam, opprime me!

Fides. Quid tristia adeò sibi volunt lamenta?
Deum cùm nomino,
Nunquid Tyrannum nomino,
Quem juvant ejulatus, & oblectant tormenta?
Ratio. Magnus est Dominus, & *offensus à me!*
Judex est rigidus, & *iratus in me!*
Non *horream?* non *doleam?*
Non *erubescam*, Domine? non *timeam* te?
Fides. Talis est Deus, qualis es tu,
Cum peccatore *rigidus*, cum innocente *innocens*,
Cùm pœnitente *pœnitens.*

A R I A.

1.

Color Ictericus
Decipit oculum:
Ludit te Phantasus,
Corrige animum:
Vera de Deo *idea* non fit,
Nisi tranquilla, & pura mens sit.

2.

Quæ à te picta est
Species Numinis,
Rigidi vera est
Species *Judicis:*
Faciem *Patris* induere scit,
Homo ex Reo si pœnitens fit.

Ratio. Ah! credam spei suavissimæ?
Fides. Modicæ fidei!
Quousque non cessabis ambigere?
Qui tam diu te exspectavit patienter *connivens*,
Qui tot modis restitantem ursit
Misericorditer *puniens*,
Qui tot gratiis *animavit*
Cum primis pœnitentiæ molestiis pugnantem,
Nunquid jam dubitabit clementer *recipere*
Seipsum triumphantem?
Define vani timoris, & me sequere. *
Ratio. Heu argumentum exhibes novi mæroris.
Peccatum meum est contra me!
Peccatum grande nimis, *Dei Filius occisus à me!*
Fides. Nunquid occidisse, pœnitet te?
Ratio. Pœnitet amarissimè!
Fides. Satis est: *Vade in pace!*
Ecce talis pœnitenti occurrit Dominus,
O quàm ab illo, quem tibi finxeras, alius.
Nunquid stringit gladium, aut vibrat fulmina?
Imò ne possint ferire, affixa cruci sunt Brachia:
In amplexum extendit, irrue,
Et, quod offert inclinato capite,
Pacis osculum accipe.

* Exhibitio Crucifixi. *Ratio.*

Ratio. Deficio ex amoris dulcedine!
Fides. Optabile deliquium ad pedes Misericordiæ.

A R I A.

1.

O homines, non homines,
Præ belluis feroces,
Non cicurat vos tanta spes?...
Non animos atroces
Frangit clementia,
Quæ post millena crimina,
Quæ ausi sunt patrare,
Reos *de venia*
Æterna per supplicia
Vetat *desperare!*

2.

Stupenda res! clementia
Dum vetat desperare,
Hac nónne indulgentia
Vos cogit se amare?...
Sed, heu! fallo me!
Dilata nocet ultio:
Et quos, si fulminare
Vult Deus propere,
Damnabit *Desperatio*,
Jam solet *Spes* damnare.

MEDI-

MEDITATIONIS IV
De Filio Prodigo in amplexu paterno
PUNCTUM I.
Patris Gaudium.

SCENA I.
Uranius. Adelphus.

URanius *in horto deambulans ad auram post meridiem*, Gen. 3. Sic curas lenio, quibus premitur paternum Cor, Fili mi, ex fratris tui junioris absentia. *Usque modò operor*, Joan. 5. Et quod *ad sensum* in horto ago, idem *in animo* Anthropi per gratiam præsto. Fodio, puto, rigo! & ô quanti pretii succus est, quem affundo!... Sed tandem nec impensarum pœnitet, nec laboris: vides in hac arbore, quid sperem? * Ecce *flores apparuerunt*, Cant. 2. *Flores fructus parturiunt*, Cant. 7. *Fructus dignos pœnitentiæ*, Luc. 3. Redibit Prodigus meus, redibit ad Patrem, Philanthropo Duce. Expectans expecto, & desiderio desidero revertentem amplecti. *Adelphus.* Spem tuam, optime Pater, nimius amor alit. Ego verò nihil de fratre spero: neque si rediret etiam pœnitens, recipiendum esse in gratiam judico. Vel enim bene est illi cum Satana, cui servit, vel malè? *Si bene*, quæ spes est deserturum infame servitium, quod delectat? *Si malè*, scilicet non ab amore illectus, sed à tristi necessitate coactus respiciet Patrem: Quid? dignus est, ut respiciatur? *Uran.* Dignus est, modò redeat

* Arbor flores habens in medio horti prostat.

seriò

ſeriò pœnitens. Tu argutaris: Sed qui amat, non diſputat: Neſcis, quid ſit eſſe Patrem, & Patrem Filii tantô pretiô adoptati, quantiſ eſt ſanguis mei Philanthropi. *Adelph.* Adoro *amorem*, ſed timeo *honori*. Memento, quòd Pater ſis, ſed nec obliviſcere, quòd ſis Dominus, Rex, & Judex: nimia clementia exponit contemptui: neque conſulit Majeſtati, quem ſubditi impunè offendunt. Tu jubes ire nos per univerſum mundum, & prædicare Evangelium omni Creaturæ: imus: & in fame ac ſiti, in laboribus multis, in ærumnis ſupra modum, in mortibus frequenter annuntiamus populo tuo ſcelera eorum: Quid fit? (da veniam, Pater, loquenti ferventiùs! nam *tabeſcere me fecit Zelus meus!* Pſal. 118.) Ridemur! *aporiamur!* tanquam *peripſema* hujus mundi facti ſumus! 1. Cor. 4. Arma, quibus tueamur ſive nos, ſive te, alia non dediſti, NISI HUNC CRUCIFIXUM: atque ſperabas nempe, *in hoc ſigno* univerſum orbem debellatum iri! verùm Deum inermem, Deum in cruce quis reveretur? Equidem amor tam admirabilis debebat emollire etiam lapidea pectora, ut liqueſcerent in lacrimas pœnitentiæ: contrarium experimur, & expanſa in amplexum brachia, caput inclinatum ad pacis oſculum, cor apertum in amoris affectum audaciam non frangunt, ſed animant: plerique propterea temerariè mali ſunt, quia ex cruce cognoſcunt, quàm bonus ſis. *Uran.* Quos bonitas non movet, illis prædicate ſeveritatem: Filium, quem Salvatorem eſſe volui, eundem conſtitui Judicem univerſorum. Dicite peccatoribus: Ecce HIC JESUS, quem *inſtar agni* videtis immolatum pro vobis in cruce, hic idem *venturus eſt judicare vivos & mortuos!* deſcribite horrendam illam diem, in qua mutatus in leonem Agnus irrugiet rugitu horribili, everſuro orbem terrarum! narrate terrificum apparatum, rigidiſſimum proceſſum, inevitabilem executionem ſententiæ morte æterna perempturæ, quotquot offenſam juſtitiam in tempore non

placaverint sibi: Eja! non habetis arma alia, præter nudam crucem? non hic gladius utraque parte acutus animos lethali vulnere per aures transverberat? *Adelph.* Ah! *de futuris* peccator non angitur. Si vis, Pater, ut cum fructu prædicemus, da potestatem vindices scelerum flammas evocandi de Cœlo, igne devorante consumpturas obstinatos ad reliquorum terrorem. Imò (neque enim citiùs finem habebit peccatum) si tuo honori efficaciter consultum cupis, jam nunc finem tempori ponis. Sonet, obsecro, novissima tuba! surgant mortui de monumentis! descendat de cruce JESUS, & fulminantibus nubibus insidens, in valle Josaphat tribunal impiis ferale constituat! Diutius connivere si placet, desine mirari, Pater, quòd pauci tui verbi Præcones hilariter labore fungantur. Prædicant minas: minarum nulla se veritas exhibet: irasci poteris, si cum Jona missi ad Ninivitas fugiant in Tharsis, ne te, & se exponant risui civitatum? parcius, ajunt, clama, ô bone! nondum obscuravit se sol! nondum argentea luna sanguineo colore se pinxit! cùm stellæ de cœlo cadent, tunc audiemus, quid dicas. Ipse ille Prodigus tuus, cujus reditum adeò cupidè ambis, cùm sub tabellarii persona reducere vellem hominem, quid respondit? recitavi verba: *si paucis ante mortem horis reversus fuero, satis est!* dicebat: recole animo Pater tam crudum responsum: colliges, quid sperandum sit tibi: repeto: etiam Philanthropus mecum oleam, ac operam perdidit: Prodigus aut non redibit, aut non nisi coactus redibit à necessitate, quæ forsitan interea decoctorem oppressit: à pœnitentia coacta autem quæ in tuum amorem redundare gloria possit, ego non intelligo. *Uran.* Itaque reducem quoque ut excludam à mea domo, neque pro filio recipiam ultrà, hoc tu judicas mihi honori fore? *Adelph.* Amplius desidero. Venientem ut tradas tortoribus velim, formatóque judicio ex computo expensarum, quem attuli tibi, condem-

nes

nes ad ſupplicium, donec qui ſatisfacere non poteſt pro peccatis ſuis, ſaltem ſatis patiatur. *Uran.* Rigidam ſententiam in fratrem dicis. *Adelph.* Amo fratrem: ſed magis te amo, Pater mi, & tuam gloriam. Luat delicta ſua frater, pœna atroce luat, ut qui ſequuntur exemplum luxuriæ, exitum perhorreſcant. *Uran.* Quid? ex duobus extremis ſi *medium* eligens, *inter mercenarios* tandem adſciſcam hominem, non filii dignitate exutum per tantam degradationem videor tibi puniviſſe ſatis? *Adelph.* Heu ſatis! beneficium pro pœna decernes? & quid audio? igitur non recipere in gratiam ſolùm, ſed recipere in filium cogitabas Anthropum, priſtinóque honore dignari? *Uran.* Pœnitentem! *Adelph.* Itaque eundem ego rurſum, ut olim, jubebor pro fratre colere, pro fratre amare, hominem chariſſimo Patri tam atrociter injurium? *Uran.* Pœnitentem! exemplum in Philanthropo habes. *Adelph.* At differes ſaltem tantæ gratiæ profuſionem, donec conſtantiam amoris homo infidelis probaverit? *Uran.* Pœnitentem recipiam ſtatim. O ut adſit! jam enim brachia pruriunt in amplexum! *Adelph.* In ſtuporem me abripit hæc exclamatio, & mens cum lingua deficit. Sine Pater, ut admirationi tanti amoris Solitarius me indulgeam! ſic enim me Zelus urit, ut verear, ne verbô labar, ſi diutius contendam tibi. *Uran.* Contentione quid opus eſt? quæro, ſi arbor, quam tu plantâſti, diu arida, repentè in frondes ac flores germinet, non ponis iram? non ſententiam, quam tuliſti: *Exſcindatur & in ignem mittatur!* continuò revocas? non à fructuum ſpe lætus priore in pretio lignum habes, & quam, priusquam exaruerat, curam impenderas, rurſum impendis?.. Siles? *Adelph.* Pater, à prodigio argumentum capis, quod nunquam fiet. *Uran.* A prodigio, quod opus gratiæ quotidianum eſt. Ecce! rigavi exuccam arborem, & iam *floret:* rigo iterum!... * *Adelph.* Superi! quanti & quale *fructus!* *Uran.* Ita dico vobis, *ô ani-*

* Arbor repentè fructus habet.

mæ innocentes! si vestra innocentia præter flosculos nihil ferat, POENITENTES FERVENTER *Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei!* Matth. 21.

SCENA II.

Adelphus. Mercenarius.

Adelphus. AUdivi grave tonitru, & video horrendum Symbolum!... itáne hoc malum expectandum sit mihi, ut frater non solùm pristinæ reddatur gratiæ, sed insuper præ me ametur?... Intueor virtutem gratiæ!... si pœnitens frater non accipiet in vanum gratiam, tam erit dives meritis, quàm fructibus ista arbor... & ego qui huc usque in floribus, quos plantavi, mihi placui, jam Patri placebo minùs!... tamen hoc etiam scio, quòd nulla gratia vim inferat libertati: igitur non cooperabitur frater quantiscunque stimulis: non redibit!... scelesta spes! quò ruis anime? etiam optabis, credo, ut cassus sit Philanthropi labor, & frustretur cupido Uranii?... absit à me tam tetrum crimen! damno damnabile votum! redeat Prodigus, modò redeat citra damnum meum!... Amari ab Uranio summa est meæ felicitatis: ut alius ametur etiam, fero, opto, gaudeo: sed ut aliquis plùs me ametur, non possum ferre!... & nisi fallor, est hæc justa invidia! est sancta ambitio! est appetitus excellentiæ veræ, non vanæ, est appetitus ex lege rectæ rationis optimè ordinatus: *ut aliquis ab Uranio præ me ametur, non possum ferre!...* *Mercenarius.* Salve Here! festina in occursum Philanthropo! congratulare! invenit ovem, quæ perierat! *Adelph.* Prodigus redit? *Merc.* Propere uterque aderit: præcurro, ut Patri nuntiem: nam & ipse se feret obviàm in amplexum filii redivivi. *Adelph.* Uranius obviàm ibit! Nimia est demissio tantæ Majestatis. *Merc.* Imò quasi hoc parum esset, festivam diem imperare toti viciniæ Philanthropus jussit;

jussit: gratiam inibis non modicam, Here, si ex gratulaturis primus occurreris. *Adelph.* Tantine est recipere homulum fugitivum? *Merc.* Tanti est Heris, amantibus nempe. Sed tibi, Adelphe, video pro gaudio tulisse fastidium. *Adelph.* Nihil ad te. Credis verò, seriò tot facinorum pœnitentem Anthropum reverti ad Patrem? *Merc.* Non serium tantùm, sed FERVIDE SERIUM loquuntur calentes lacrimæ, quæ rigant genas. *Adelph.* Fortè sunt Crocodili. *Merc.* Meliora spero: vexatio enim intellectum dederit, & reverti *ad se* primùm, deinde *ad Patrem* docuerit. Vera fuit fama de misero: post nostrum discessum coactus est à Satana porcos pascere, & ex siliquis vivere. *Adelph.* Erat pœna conveniens culpæ. Et ex hara audet protervus puer rectà se in Patris regiam ferre? *Merc.* Philanthropus ducit, talem stiturus Patri, qualem reperit, tectum centone rustico, exhaustum fame, confectum macie, vix ossibus hærentem, & ad mortem pallidum, nisi quòd oculi rubeant: Miserationem movebit tibi, cùm videris. Non ibis Philanthropo obviam? *Adelph.* Aliæ curæ vocant. Tu fac, quod imperatum est tibi: Uranius in horto deambulat. *Merc.* Abit homo; quid cogitem?

SCENA III.

Philanthropus. Prodigus. Mercenarius.

Philanthropus. EJa! adhuc in limine domûs hæres? *Merc.* Eo, Domine, properantem longiore sermone Adelphus detinuit. *Prod.* Adelphus! O dulce fratris nomen! *Phil.* Expecta modò, & dic, cur Adelphus non sistit se mihi? nuntiâsti, quid velim? *Merc.* Monui. Negavit, iturum se obviàm, & videbatur mihi aut tristis, aut subiratus. *Phil.* Homo est præproperi zeli: & tu, mi Anthrope, infelix esses, nisi

Pater & ego amaremus te magis, quàm frater tuus. *Prod.* Propter vos iraſcitur frater mihi: juſta eſt iræ cauſa! *Merc.* Sed ego metuo, ne, dum abeſt Philanthropus, ira fratris etiam iram Patris concitaverit: certè nihil pacificè loquebatur, neque miſerationis notam adverti: narrantem de ſuis miſeriis ſine motu audivit. *Prod. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei!* Mich. 7. *Phil.* Et putas, Patrem ſeverius aliquid ſtatuiſſe? *Merc.* Si Adelphum audivit, metuo. Turbatus enim & calens ex horto prodiit, in quo ajebat, Patrem deambulare. *Prod.* Miſereſce cœlum! nam hic eſt hortus, in quo arbor mala malos fructus feci, *in terra Sanctorum* iniqua gerens! *Phil.* Quid video?.... *Merc.* Tecum ſtupeo ex hoc aſpectu. Cùm ad te mitterer, Here, adhuc ſtetit arbor arida, nec niſi fructibus acerbis gravis: hìc nunc quæ mutatio eſt! *Phil.* Volebat exſcindere lignum noxium ſeverus Pater: ego impetravi inducias. *Merc.* Alia à priore eſt arbor: quid? ſi Adelphus precibus preces oppoſuit? *Phil.* Induciis certè offenſus fuit, nec tolerare potuit tam diuturnam tolerantiam Patris. *Merc.* Igitur ſine dubio ignis pabulum facta es miſeranda arbor, & *melior* ſubſtituta eſt tibi! *Prod.* O triſte omen pro me! *Phil.* Nihil animo cade, Anthrope! Advocatum apud Patrem Philanthropum habes. Ingrediar prior, & loquar pro te! tu hic expecta, donec vocatus fueris. *Prod.* JEſu! tu mihi ſis JEſus! tu Salvator! *Phil.* Confide, ero. Interea ruminare ſermonem, quem Patri loquéris. Hìc ſta, à longè, in angulo! vultum dejice! humilia Deo caput! cor ad gemitus, oculos ad fletum compara!.., hoc ſitu, hac mente expecta, donec te intrò ducam. Tu mecum. *Merc.* Anthrope, ſpera bene! quem amat Filius, odiſſe non poteſt Pater.

SCE-

SCENA IV.

Prodigus.

SPero trepidè. In ipso limine Paternæ domûs timor & tremor venerunt super me, ita ut pectus palpitet, & genua collidantur. Heu! malè conscia mens sibi quàm grave tormentum est!... Sed quæcunque me manet sors, trado me arbitrio Patris: vinciat! flageliet! urat! secet! omnia merui! modò non projiciat me à facie sua! modò in æternum parcat!... VINCE TE, Prodige, perstà! præparandus est animus ad primum alloquium: ruminari Philanthropus jussit, quæ sum dicturus, nempe ut cor verbis respondeat. Et, quid dicam? Universæ vitæ series ante oculos se mihi ponit! ô retra imago!.. & hanc imaginem ego Patri exhibebo?.. ita, exhibebo! VINCE TEIPSUM anime, & noxium pudorem vince! placet humilis confessio: *malè agere* turpe fuit, malè acta *confiteri* laudabile erit. Igitur *confitebor*, & admissus in conspectum Patris recogitabo ei omnes annos meos *in amaritudine animæ meæ!* dicam ei: PATER!.. erro! donec receptus in gratiam fuero, non licet sic appellare! rectiùs dicam: *Domine!* aut: *Rex meus!* vel: *Deus meus!*.. imò habent ista nomina plus terroris, quàm spei: nomen *Patris* tenerum affectum movet: dicam ei: PATER, PECCAVI! & mox à primis pueritiæ annis vitæ meæ historiam retexens, narrabo delicta mea. Horrenda narratio erit! & ego sanctissimas aures meis turpitudinibus contaminabo?... Ah! quæ confusio cooperiet faciem meam?.. cooperiat! VINCAM MEIPSUM, & loquar adversùm me contradictiones: dicam audacter, sed flens dicam: PATER, PECCAVI!... *Uranius à longè auscultans cum Philanthropo.* Audivi Davidis vocem: satis est! irruo in amplexum! *Phil.* Tene affectum Pater, nec tibi tuas delicias invide!... *Prod.* PECCAVI *puer*, heu! inobe

diens

diens nimis, & contumax ad Patris imperia: *tantillus* cùm essem, ô quoties paternum cor coëgi in graves gemitus, secuturæ ætatis flagitia præsagientes!.. MEA CULPA! *Uran.* Nova suspiria cies! nam qualem te video? *Phil.* Qualem peccatum fecit! *Prod.* PECCAVI *adolescens*, cùm per audaciam nunquam auditam petii portionem substantiæ, pertæsus obedientiam legibus Sanctissimis debitam, quas scripseras domui tuæ tuo digito, instar petulci onagri me liberum natum clamitans! ô tristis libertas! ô fallax verbum! ô vera servitus, quam *sub nomine libertatis* appetii! MEA CULPA! *Uran.* Excuso à cœcitate! luisti imprudentiam satis! *Phil.* Miseriæ, quam inter porcos est passus miser, magnitudinem in vultu exucco legis. *Uran.* Vulnerat paternum cor aspectus lugubris! *Prod.* PECCAVI *juvenis!* & optimam ætatem pessimis studiis consecravi, totum me in has curas effundens, ut *amarem*, & *amarer!* Ah! nullus est amor dignus amore, nisi amare te, Pater mi, & amari à te!.. *Uran.* Et tu contempsisti amorem meum! *Phil.* Dolet! *Prod.* Peccavi *in prosperis!* turpe otium, effusa in impudentiam licentia morum, libertas illoti oris, compotandi & colludendi effrænis libido, denique deceptores amici, ac amicæ optimam indolem corruperunt: computrui coram oculis Dei cum intolerabili fœtore! MEA MAXIMA CULPA! *Uran.* Bona confessio! *Prod.* Tolerâsti me tamen, Deus mi, imò etiam *inter adversa* diu incorrigibilem, tandem correxisti! misisti filium, ut reduceres rebellem servum: ô bonitas! ô dignatio! verè PECCAVI IN COELUM! iram omnium cœlitum adversùm me irritavi!.. sed nihil hoc angit: PECCAVI CORAM TE! Pater! CORAM TE! hæc est circumstantia aggravans immanè quantùm peccantis malitiam! O ut saltem peccaturus inquisivissem angulum, ubi me non videres! sed (plecte insanam petulantiam cœlum!) CORAM TE, in oculis tuis peccavi, Pater! ite in fletus oculi mei! dignam æternis lacrimis

cul-

culpam fletis? *Uran.* Fili, liquescit animus in miserationis affectum. *Phil.* In gaudium miseratio desinet. *Prod.* Et post tot crimina ego in limine Paternæ domûs subsisto? qua spe? jam enim, (quis dubitet?) utique JAM NON SUM DIGNUS VOCARI FILIUS TUUS! Sed quid? si faceres *unum de Mercenariis?* Pater! .. heu! etiam hac gratia non sum dignus! *Uran.* Quò magis indignus, hoc magis es indigus! *Prod.* Sed & ut Patris oculos subeam, non sum dignus! *quò ibo à facie tua?* .... *Uran.* Hem! fugit! Anthrope, ubi es? *Prod.* Heu Judex vocat! *Uran.* Patrem fugis!

SCENA V.

Uranius. Philanthropus. Prodigus. Mercenarius.

Prodigus rediens à longè. PATER! *Uran.* Fili! *Prod.* Fui Filius! *Uran.* Recipio! *Prod.* PECCAVI IN COELUM! ET CORAM TE! *Uran.* Ignosco! *Prod.* JAM NON SUM DIGNUS VOCARI FILIUS TUUS! *Uran.* Pœnitentia dignum facit! *Prod.* FAC ME UNUM DE MERCENARIIS TUIS! *Uran.* Filium volo. *Prod.* Monstrum voca! *Uran.* Inter Paterna brachia esse cessas. *Prod.* Peccavi. *Uran.* Transtuli peccatum tuum! Surge! *Prod.* ad hos pedes occide me dolor! *Uran.* Surge! & mihi vive! *Prod.* Quoniam ita jubes, vivam ego, sed jam non ego! *Uran.* Vivat in te filius meus! *Phil.* Ego sum vita. *Prod.* O Philanthrope! tibi me debeo! *Phil.* Fratres sumus: amemus Patrem! *Prod.* Amo: da, ut ampliùs amem! *Uran.* Dabo. Auferam tibi cor lapideum, & dabo cor carneum, cor molle, cor cereum ad meos nutus. Eja! gaudium sit in universa domo super hoc pœnitente! i Mercenarie, promulga viciniæ meam lætitiam: nuntia, *quia filius hic meus mortuus fuerat, & revixit, perierat, & inventus est:*

veniant, cõngratulentur! *Merc.* Ecce avolo! *Prod.* O Amor! *Uran.* O gaudium! ah! qualem te video! non ego sic vestivi te! *Prod.* O Pudor meus! *Uran.* Cessa gemitus! restituam *stolam primam.* *Prod.* Quam turpiter abjeci! *Uran.* Dabo *annulum* in manu tua! *Prod.* Catenas merui! *Uran.* Reddam *calceamenta pedibus tuis!* *Prod.* Curram deinceps viam mandatorum tuorum! *Uran.* Occidam *vitulum saginatum:* dies festiva erit! *Prod.* Dolor, & gaudium, pudor, & amor, audacia & timor suavitate mirabili cor torquent, & recreant, quid dicam? quid cogitem? quid faciam in tam læto tumultu? *Uran.* Initium lætitiæ est: veni, intra in gaudium Patris tui! *Phil.* Veni, ego te ducam! *Prod.* O frater! ô Pater! ô dies jucunda! ô hora felix!

CHORUS

Exhibet gaudia Pœnitentium,

Melancholia. Pœnitentia. Lætitia. Pax. Spes.

Melanch. UBique exosa sum, infelix Melancholia! .. *
Propterea perpetuò vaga per orbem
In omnes domos penetro,
Nullibi habito.
Vix videor, jam audio convitium:
Vah! clamant, *Furia adest iterum!*
Et tristiore nomine, invento ab Hippocrate,
Ad invidiam compellantes me,
Abi, inquiunt, abi saga,

Quæ

* Exhibetur *domus luctûs* descripta Eccl. 7. cum titulo: *Beati qui lugent*, Matt. 5.

Quæ execrabilî magiâ
Homines in bubones convertis,
Abi Hypocondria!...
Si reſtito, mox initô conſiliô,
Alius effuſô in me bacchatur Maſſicô,
Alius, tanquam ſi caput Meduſæ viderit,
Averſa repentè facie, ad luſum proſilit:
Alius, ne quidem ſalute data,
Inquiſiturus ſocios, ſe foràs proripit,
Aut, ſi deſit alius, Melampo comite,
Venatum prodit:
Denique nemo eſt, qui me non odit.
Nec miror: nam omnia turbo gaudia....
Sed, quid poſſum aliud? non ſum rea:
Talem voluit *Naturæ Dominus*,
Et hæc eſt indoles mea.

A R I A.

1.

Sic Deus voluit:
Creavit *æthera*, & voluit,
Ut *ſit locus gaudiorum:*
Creavit *tartara*, & voluit,
Ut ſint *locus tormentorum:*
In terris gaudia
Cum fletu *miſcuit:*
Sic prudens voluit.

2.

Sint *pura* gaudia,
Et nullum miſceat ſe melli fel,
Quis ad cœlum anhelabit?
Et rurſum ſi non ſit in felle mel,

Quis non luctu desperabit?
Divinô igitur
Ego consiliô
Res orbis vario.
At fallor? nam quid sibi vult,
Quem lego titulus?
DOMUS LUCTUS! ... nunquid hic locus
Melancholiæ est proprius? ...
Idem loquuntur tristia,
Quæ oculis se objiciunt, * emblemata:
Non me decipio:
Tandem hæc erit mihi stabilis habitatio.
Juvat pulsare, & de incolis interrogare....
Jo! Nihil erravi: salve Soror charissima!

Pœnit. Vide, ne aliam salutes pro alia.
Nam, unde venis? quæ es tu? & quid vis?

Melanch. Sîccine? eccur dissimulas nôsse me?
Ego sum Melancholia, & tu es Pœnitentia:
Non bene saluto te sororio nomine?

Pœnit. Pessimè: te enim *natura*, me genuit *gratia*,
Et nihil Mel ncholiæ
Commune est *cum pœnitentia.*

Melanch. Similis tamen est oris species, similis habitus:

Pœnit. Sed non similis animus,
Et dissimillimæ lacrimæ. Apage! apage!

A R I A.

1.

Meæ lacrimæ
Tanquam gemmantibus
Blanda ex vitibus

In

* Quatuor Novissima.

In vina germinant,
Quæ cor exhilarant:
Tuæ lacrimæ,
Ut fluunt gelidæ
Ex ramis ſtiriæ,
In ſpinas decidunt,
Et ſpinas pariunt:
O quàm ſunt aliæ
A meis lacrimæ!

2.

Veris lacrimis
Ingens eſt pretium:
Sanguis ſunt cordium
Offenſo Domino
Grata libatio:
Vanis lacrimis
Nullum eſt pretium:
Putris torrentium
Fons à ſtagnantibus
Fluit affectibus:
Felix, qui didicit,
Doctè quid flere ſit!

Melanch. Nihil de his lubet diſputare,
Modô liceat tecum ſaltem pernoctare.

Pœnit. Hem! pertinacia! ſed bene eſt: *
Liceat! ingredere,
Experire, an placeant Domûs incolæ,
An lux & tenebræ poſſint cohabitare.
Ecce PAX, SPES, & LÆTITIA
Sunt individuæ Comites POENITENTIÆ,
Hæ ſunt Sorores germaniſſimæ.

Lætitia. Quàm triſtem, Soror, adducis hoſpitem?

* Aperitur domus luctûs.

Pœnit. Ipſam Triſtitiam.
Pax. Næ tu atrociter deſipis,
Niſi ocyus hinc abigis Furiam!
Pœnit. Ejecta ex impiorum domibus
Petiit diverſorium meis in ædibus.
Pax. Intrà ſi pedem poſuerit profuga,
PAX exibit,
Spes. Et cum pace LÆTITIA,
Ac SPES abibit.
Lætitia. Unde fugit ſtolida, redeat:
In domo convivii, in hortis, in proſtibulis,
In lectis eburneis, in arcibus, in teloniis
Reperiet, ubi habitet, & unde ſe nutriat.
Pœnit. Audiſti ſententiam?

TRIO.

Pax, Spes, Lætitia.

Abi! abi! quid juvat morari?
In loco jam *ſcopis mundato,*
Ornato Luc. 11.
Et Deo ſacrato,
Vanæ triſtitiæ locus non eſt.
Abi! abi! cum Deo verſari,
Eſt *Cœlum* in terris habere:
Mærere,
Pueriliter flere
Notus *Cœlitibus* actus non eſt.

Pœnit. Abi! .. nos abrupta feſtivæ diei gaudia,
Et cœpta proſequamur ſacræ lætitiæ cantica.
Lætitia. Imò ſociæ (nam incipio ambigere)
Quid? ſi deluſæ à ſpecie,
Falſæ pro vera adhæremus Pœnitentiæ?

Pœnit.

Pœnit. Heu me! ...
Spes. Non eſt inanis ſuſpicio:
Certè vera pœnitentia
Nunquam eſt familiaris triſtitiæ.
Pœnit. Vah! ... & nondum abis Tiſiphone!
Jam enim tua lue
Cœpiſti hanc domum inficere!
Pax. Conſulendum eſt oraculum:
Fiat Sacrificium!
Pœnit. Factum eſt:
Sacrificium Deo Spiritus contribulatus:
Cor contritum,
Et humilitatum Deus non deſpicies! Pſ. 50.
Lætitia. Cor video, contritionem non video:
Teſtimonium petimus
Ex Propitiatorio. Num. 7.
Pœnit. Ergò

ARIETTA.

In cineres, in cineres
Rebelle cor redigere!
Holocauſtum exhibe
Offenſo Numini!
Miſerere Domine,
Ignem Cœlo deplue!
Dixiſti: *Beati, qui lugent,* Matt. 5.
Ex Manna dulcedinem ſugent,
Reſponde ſupplici:
Veniam an merui? ...

Lætitia. Jo! * Cœlum vota approbat!
Pax. Cor cælicus ignis devorat!

Spes.

* Ignis de Cælo cor accendit, & inaurat.

Spes. Imò purgat à Scoria,
Et in aureum vertit ex carneo!
Om. tres. *Soror noſtra es:*
Cordis verſio eſt vera Converſio!
Vive pœnitentia!
Creſce in mille millia! Gen. 24.
Pœnit. Te Deum laudamus!

Ariosè.

Pœnitentia. Lætitia. Spes. Pax.

Jubilemus! geminemus
Pſalmos, Laudes, cantica!
Digna eſt, quam prædicemus,
Numinis Clementia!
Læt.Spes.Pax. Vive Soror, Deo chara,
Procul ſit triſtitia!
Dulcis eſt, dum eſt amara,
Vera pœnitentia.
Omnes quat. Jubilemus! geminemus
Pſalmos, Laudes, cantica!
Mutuum in fœdus ſtemus:
Jubet amicitia:
Pœnitentia. Nunquam poſthac huc intrabit
(Spondeo) triſtitia!
Læt.Spes.Pax. Semper tecum habitabit
Spes, Pax, & Lætitia.
Melanch. Quid vidi? quid audivi? errant,
Graviſſimè errant, qui judicant,
Quòd Pœnitentia ſit virtus Melancholica:
Ah! omnem triſtitiam
Cœleſtia pellunt ſolatia.

Unde

Unde veni, ad impios redeo:
Ibi, ſi non conceditur habitatio,
Saltem hoſpitium ſemper invenio.

ARIA.

1.

Felices animæ
Quæ *ſolis* æmulæ
Serenis ſemper oculis
Infra vos deſpicitis
Procelloſis gravida
Officinis nubila!
Minacias
Nunquam tacturas vos
Securæ ſpernitis.

2.

Intus qui malus eſt,
Is verè miſer eſt:
Quid ſplendidum palatium
Juvare poteſt Dominum,
Quem lecto febris arida,
Aut dira fixit podagra?
De gremio,
Si vis, ne vexem te,
Serpentem excute!

MEDITATIONIS IV.
De Filio prodigo in amplexu paterno
PUNCTUM II.
Filii Felicitas.

SCENA I.
Adelphus. Mercenarius.

Adelphus. ET ne exprobravit quidem crimina sua perdito adolescenti Pater ad salubrem pudorem? *Merc.* Nullô verbô, sed sic excepit reducem, velut si habuisset fidelem semper, & obedientem ad nutum, imò si mavis, tanquam de se optimè meritum: restitui jussit stolam primam, vestem ipse mutavit, idem ut nos faceremus, voluit, atque ut esset festiva dies, toti viciniæ imperavit. *Adelph.* Testes sunt aures meæ. Convivii apparatus, tumultus discursantium, Symphonia, Chorus, jubili, sic longè latéque personant, ùt si filius Uranii unicus iterum resurrexisset à mortuis. *Merc.* Vera est comparatio: & Philanthropus eodem cum Patre gaudio gaudens in Prodigo revixisse se prædicat, etiam non nihil offensus, quòd tu non occurreris gratulatum, sicut monueram. *Adelph.* Macti animo peccatores! felices vos scelera faciunt! *Merc.* Non scelera quidem, sed pœnitentia facit. O si fuisses spectator singultuum, quibus plangebat pectus frater, commotus & ipse ad miserationem fuisles. Ibi stabat in angulo tremens, atque *in Spiritu contribulato* tribulatione amara percutiens malè conscium cor,

cum

cum gemitu miserabili, pueritiæ, adolescentiæ, & juventutis suæ delicta revocata ad calculum cœlo lamentabatur. Auditores mecum Uranius ac Philanthropus à longè fuerunt: explicare non possum, quanta cum lætitia hanc confessionem uterque audierit. Denique non se tenuit Pater, quin prosiliret de latebris, irruénsque in collum attoniti Anthropi arctissimo amplexu stringeret felicem peccatorem, cui dulcedo paterni osculi propè vocem oppressit, sic, ut, nisi truncata verba, & abruptos affectus loqui non posset. *Adelph.* Tu verò loqueris multa nimis. Mihi ista gaudia lacrimas cient! sic? Misericordiæ omnia, Justitiæ detur nihil! *Merc.* sic? & tu credis, Adelphe, quòd iste gemitus Uranio placeat?

SCENA II.

Adelphus. Uranius. Mercenarius.

Uranius. QUid agis, Fili? tota familia exultat mihi, & gratulatur: tu solus à festo aberis? *Adelph.* Quid agis Pater? (ignoscès enim, si loquar audaciùs, quod amor jubet) Zelus, quo ardet pectus in glorioſam tibi ultionem læsæ ab Anthropo tuæ Majestatis, ægrè patiebatur decretum recipiendi hominem tot scelerum reum in gratiam tuam: nunc insuper festum imperas, quasi ex reditu Prodigi beneficium acciperes, & felicitati tuæ immensum incrementum accederet. Obsecro non hoc est invitare homines ad audacter peccandum? certè innocentes frigidiùs amare videris, quàm peccatores. Ego *tot annis servio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi: & nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer: Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti ei vitulum saginatum,* Luc. 15. Et (nam repetere dolor cogit, quod jam dixi) & tanquam si novum regnum accessisset imperio tuo, sic triumphas, & plaudis. *Uran. Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: epulari autem, & gaudere*

oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus est! ibid. Curre tu, & evoca juvenem, ut post Patrem reconciliet se fratri, ac scandala deprecetur. *Merc.* Libenter faciet, ut gaudium plenum sit. *Adelph.* Non est materia digna gaudio vilis homulus ex hara redux ad aulam Patris, quam petulanter contempserat. Pater! amoris excessus quò te abripiat, vide. Cùm in Bethlehem nasceretur Philanthropus, filius, in quo infinitè complaces tibi, Evangelizari gaudium quibus imperâsti? pauculis pastoribus denique, rusticis, egenis, de plebe: hodie verò *super uno pœnitente* festum toti cœlo promulgatur! quid ageres, si tota Asia, aut universa America reduceretur ad te? Quis est igitur iste homo, *quia reputas eum, & apponis erga eum cor tuum?* Psal. 143. Quis per totum orbem vel cogitat de hoc prodigo, nisi fortè cum execratione, & nausea? plerique ne sciunt quidem, quòd vivat, & partem aliquam in rerum natura habeat. Tunc, cùm submerso Pharaone postravisti Ægyptum, tunc ex gloriæ tuæ longè latéque ad terrorem sancti nominis tui propagatæ incremento, meritò *montes exultaverunt ut arietes, & colles sicut agni ovium*, Psal. 113. At hodie quæ est digna tanto applausu victoria? Pater, non loquitur invidia, sed zelus pro tuo honore, quem tanta bonitas planè pessum dat. *Uran.* Hoc verò absit: nam ego sum *Deus zelotes*, Exod. 34. & gloriam meam alteri non dabo. Gaudere oportet, quia Satanæ ereptus est homo, qui quanti sit mihi, ex pretio, quo redemptus est, intelligis satis: Pater sum. Verùm tu erras, si credis, quòd quem recipio cum gaudio, recipiam *sine pœna*. Absit! crede mihi, nemo peccavit, aut peccabit impunè. Imò (vide, quo in pretio mihi sis!) ne Patrius amor, quantum misericordiæ tribuit, tantum laudi justitiæ detrahat, ideò exivi ad te, & Judicem Anthropi te constituo: cognosce causam, pronuntia sententiam, exhibe virum dignum tanta dignitate, quanta est Vice-Dei persona. Nihil metue, ne quemquam per prudentem

dentem rigorem offendens, gaudium aulæ turbes. Ipse Prodigus, SI VERUS EST POENITENS, subjiciet se libens tibi, tuæque sententiæ acquiescet gaudens, & festi lætitiam per fervorem pœnitentiæ cumulabit. Accipe computum sumptuum, quos profudit imprudens: quam attulisti à Satana, reddo schedam, ut ex illa processum formes: addo potestatis insignia: * *quæcunque solveris, soluta erunt, & quæcunque ligaveris, ligata sunto!* Matth. 16. neque ut lacrimæ ad mollitiam te moveant, velim: videre flentem Anthropum lætitia est, & *lacrimæ pœnitentium sunt vinum Angelorum. Adelph.* Sic agis ex gloriæ tuæ rationibus, Pater mi, & misericordiæ temperanter indulges: officio fungar, ùt decet hominem Divino honori sacrum. *Uran.* Memento tamen, hominem de homine judicare: ita forma judicii non modica pars festi erit.

SCENA III.

Adelphus. Prodigus. Mercenarius.

Adelphus. REcordabor. Nunc respiro: nec enim *me Judice,* Prodigus unquam *major erit in regno cælorum,* aut sedem supra innocentes habebit. Adest. *Prod.* Io frater chariſſime! gratulare mihi!... *Adelph.* Procul amplexu abstine! nec enim fratrem vides, sed Judicem tuum: potestatem delegatam ab Uranio reverere. *Prod.* Heu! tonitru grave! nunquid amice, in gratiam recepit me Pater, reddidit stolam primam, filium nominavit? quo crimine merui novam iram? *Adelph.* Culpam condonavit misericordia, pœnam adhuc justitia exigit: ego dictare jubeor, vides insignia. *Prod.* Exosculor submisso genu! *Merc.* O cœlum! quæ Scena erit? *Adelph.* Cui adesse non decet te. Cede loco! Secretum tribunal teneo. *Merc.* Infelix Prodige! metuo rigorem hominis! & ne repentè felicitas tua in novam miseriam desinat. *Prod.* Ego verò si

* Dat Claves.

culpa remissa est, miser esse non possum: pœnam non deprecor, sed te laudo Pater! novum argumentum amoris est JUDEX FRATER! Væ mihi, si alienum, si inimicum dedisses! *Adelph.* Equidem inimicus non sum: verum tamen ad vindicandas Magni Dei injurias non decet esse lenem, aut muliebriter misereri. *Prod.* Places, Adelphe, places. Rigidum ego Judicem sicut merui, ita opto. Eja! exuscita iram sanctam adversùm peccata mea, & quanta polles, tanta utere potestate in pœnas criminum! absit omnis miseratio! ad vigilias, ad jejunia, ad flagra, ad labores, ad lacrimas condemna me: omnis pœnitentia levis est, omne supplicium meritis minus. Etiam inter gaudia torquet animum amarus dolor de offenso Deo, *dolor vindictæ cupidus*, qua pœnitentiæ seria voluntas probetur Numini: vindica! *Adelph.* Ipse videris irasci tibi. Fervorem laudo: cura, ut sibi constet. Inspice schedam hanc. *Prod.* O aspectus horrendus! ... *ô vita, nunquid vita,* Deus mi, nunquid vita, & non potiùs perpetua mors, putredo, fœtor! *Adelph.* Confitere! nihil supra verum legis exarâsse hìc Satanam? *Prod.* Imò circumstantias aggravantes ô quàm multas omisit! *Adelph.* Et tot modis peccâsti? *Prod.* Nullum est genus, nulla species flagitii, cujus reus non sim. *Adelph.* Et toties? *Prod.* Ah! quis numeret numerum? metiri non per numeros, sed per modios est necesse. *Adelph.* Neque habes, unde excuses te? fortè mundus exemplis rapuit? *Prod.* Homo, non truncus, vivens homo, non cadaver eram: debebam contra torrentem niti. *Adelph.* Fortè infirmitas carnis prostravit? *Prod.* Petulantiam, proterviam, impudentiam, libidinem voca! Poterant alii SEIPSOS VINCERE, & coërcere intra septa decalogi naturæ corruptæ impetus, cur ego non poteram? *Adelph.* Fortè Satanas vi, aut fraude præcipitavit invitum? *Prod.* Eheu! ultro in præcipitia cucurri, & volvi deorsum voluptas fuit. *Adelph.* At pœnitet tandem? *Prod.* Ah! tandem! maledicta sit illa hora, qua discessi à Patre amens!

Adelph.

Adelph. Sincerâ confeſſio fuit: ſerius dolor eſt? *Prod.* Dolor æternus erit. O ſi factum infectum fieri poſſet, quid facere, quid pati vellem? age, pronuntia ſententiam acerbam: damna me ad tranſtra, ad cataſtas, ad crucem! INFERNUM MERUI! nihil ſupra meritum pati poſſum. *Adelph.* Moves animum, frater: doloris tui vehementia propè cogit compati tibi. *Prod.* Cave, ne facias, frater! recordare, quòd Judex ſis, & officio fungere: Satisfacere juſtitiæ cupio cum rigore. *Adelph.* Æquitas poſtulat, cujus causâ fratris nomen attendere eſſet Juri Divino derogare: itaque compara animum ad pœnam delictis dignam ferendam fortiter. Diſcuſſa cauſa eſt: habeo fatentem reum: excuſatio nulla ſuppetit. *Quod igitur ad ſupremæ Majeſtatis graviſſimè offenſæ ſatisfactionem ex lege juſtitiæ feliciter cedat, atque ad ſalutarem mortalium horrorem, ne per temerariam ſpem audaciùs peccent, efficaciter ſerviat, poteſtate à cœli Domino mihi ad hoc judicium demandata* Ego TE CONDEMNO, *ut* FILII JURE, *quo olim gaudebas, &, quod, cùm perdidiſſes, miſericordia hodie nimìs liberaliter reddidit, æternùm exutus,* SORTEQUE MERCENARII *contentus vivas. Prod.* Heu! ferale tonitru ad mortem ferit! *

SCENA IV.

Philanthropus. Prodigus. Adelphus.

Philanthropus. PRô cœlum, quid video! vive mi Anthrope! ecce in brachiis amantis jaces! *Prod.* O amor mi! *Phil.* Reſpira, & noli timere! *remiſſa ſunt tibi peccata tua!* Matth. 9. Frater meus es! *Prod.* Imò ſatisfiat juſtitiæ: *Sim unus de Mercenariis tuis!* ſatis pro peccatore ſum felix. *Phil.* At pro meo amore non ſatis. *Adelph.* Domine, vide, ne ames nimiùm. *Phil.* Quid? non Pater prodigum recepit in filium, & tu obſtrepis? *Adelph.* Pater recipit, Judex non recipit. Condonata eſt reo pœna æterni ignis: acquieſcat Mi-

* In deliquium concidit.

ſeri-

sericordia: cætera Justitiæ dentur. *Phil.* Adelphe, talem sententiam contra te velles ab alio ferri? *Adelph.* Honor Patris, quem utique supra Anthropum amas, sic postulabat. Aut quid? non æquum est, ut innocentium præ pœnitentibus prærogativa sit major? *Prod.* Æquum est, Domine! & quanquam gravissimè doleo de jactura tanti Boni, quantum est *in jure filii*, tamen, obsecro, ne obsistas sententiæ: vel inter mercenarios si toleras, infinita miseratio est. Sine, ut exuam istam vestem tam malè aptatam Reo! *tunica pellicea* quæ me tegat, sufficiet: serviens tibi *comedam in sudore vultûs tui* panem meum, donec in pulverem corpus, & anima in nihilum rediens holocaustum justitiæ fiat. *Phil.* Laudo heroicè pœnitentis affectum: sed uterque erratis. Jus Filii neque innocentia tua, neque tua pœnitentia meretur: ego ambobus merui. Age Adelphe, huc conjice oculos! * *in forma servi* sic pro ambobus laboravi: hæc pro utroque sum passus, ut ex meis meritis sicut innocentiæ, sic pœnitentiæ pretium facerem apud Patrem: *Amice, num feci injuriam tibi?* habe, quod *innocentibus* merui, jus hæreditatis: volui autem idem jus mereri pœnitentibus etiam: quid contradicis? *Non licet mihi, quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Matth. 20. Metue tibi, neque nimiùm in innocentia complace! veniet dies, cùm *erunt novissimi primi, & primi novissimi*, tepidáque innocentia fervidæ innocentiæ postponetur. *Adelph.* O Superi! video, quò me abripuerit imprudens Zelus: da veniam, Domine, æmulationi *non secundùm scientiam* æmulanti! *Phil.* Imò judicet Pater inter me, & te!.. ** Pater, ex Adelphi judicio nondum satisfactum justitiæ pro Anthropo fuit: condemnor ad novos labores, ad nova flagra, ad novam crucem: & subscribo sententiæ. Auferte paludamentum gloriæ: rursum induam formam servi, & inter mercenarios famulabor pro Anthropo tibi! vale mi Anthrope, & fruere Patris gratiâ! cave, ne rursum excidas! SCE-

* Exhibentur insignia Passionis Dominicæ. ** Prodit Uranius.

SCENA V.

Personæ omnes.

Uranius. QUàm tristis Scena hujus diei lætitiam temerat! *Adelph.* Vivat frater!.. Pater, ego peccavi severus Judex adversùs fratrem! Ah! quò me vertam? Anthrope, te damnavi! Philanthrope, tuum amorem non æstimavi! Pater, tuam misericordiam accusavi! omnibus reus sum! vertite in me iram, & aulâ pellite! *Prod.* Justa in me sententia fuit. Philanthrope, absit, ut rursum abeas in mortem tu! heu! semel occidi! iterum occidam? tormenta omnia, quæ passus es tu pro me, expedite in me ministri justitiæ! & tu me suscipe S. Crux! huc affigar trabalibus clavis, ne avellar iterum à Deo JEsu meo! in hac ara hostia fiam pro peccato! *Adelph.* Tu probâsti pœnitentiam ferventem Frater: nunc ego TE ABSOLVO, & me condemno! æquius judicium probate Domini. *Phil.* Qui se ipsum judicat, non judicatur: sic places. *Uran.* Æmulatio te decepit, Adelphe! satisfactum abundè fuisse justitiæ, hìc vides, ô bone! igitur *potestate ligandi*, qua polles, in illos utere, qui se participes reddere thesauri negligunt, quem Filius offert: veris pœnitentibus *potestas solvendi* faveat. Posthac æmulamini charismata meliora! & pœnitentem innocens, innocentem pœnitens amoris studio erga nos contendat superare. *Phil.* Ita, hæc pugna placet. *Prod.* Hanc pugnabimus strenuè! *Adelph.* In hac felix victor, & victus erit. *Uran.* Vires ad pugnam ab epulis capite, quas meus Filius paravit vobis. *Merc.* Ecce aula se aperit: strata est mensa: vocata vicinia: tota domus in jubilis. *Uran.* Festum agamus diem! * *Adelph. Prod.* Manhu! quid est hoc? *Phil.* Panem Angelorum manducabit homo: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi!* Cant. 5. *Uran.* Et tu, fili mi, præprimis gaude! Ecce *omnium iniquitatum, quas operatus es, non*

* Descendit ex nubibus mensa strata pro Cœna magna; & aperitur aula jubilans.

recordabor! Ez. 18. Eat in cineres apocha, debitorum testis, quæ contraxisti! *Prod.* O Pater! ô amor! & quid retribuam? *Uran.* Calicem Salutaris accipe. Ecce sacrum Convivium, in quo Christus sumitur pœnitentium non Judex, sed Salvator. *Prod.* Anima Christi sanctifica me! esto anima animæ meæ, ut placeam tibi! Corpus Christi salva me, ne sine fructu sis occisum pro me! Sanguis Christi inebria me, ut plenus Deo posthac nihil humile volvam animo! Aqua Lateris Christi lava me, ut nihil hæreat cordi, quod displiceat tibi. *Phil.* Ecce Convivium, in quo recolitur memoria Passionis meæ! cave, ne renoves! *Prod.* Passio Christi conforta me hominem imbellem, & cuivis tentationi succumbentem! ô bone JEsu, exaudi me tibi supplicem, & à te uno sperantem auxilium in negotiis, in periculis, in miseriis. *Phil.* Confide: ecce Conviviũ, in quo non corpus epulis, sed mens impletur gratiâ. *Prod.* Gratiis opus est. Intra vulnera tua absconde me contra insidias mundi! ne permittas me separari à te per blanditias carnis! ab hoste maligno defende me, ne vincar in adversis, & in hora mortis meæ voca me, ne deficiam in angustiis. *Uran.* Nihil metue: nam quoniam accedis vestitus veste nuptiali, non manducas judicium tibi, sed ecce convivium, in quo futuræ gloriæ pignus datur. Spera bene! qui se nascens dedit socium, & moriens in pretium, dum se convescens dat in edulium, promittit, quòd se regnans sit daturus in præmium. *Prod.* O promissio! ô gratia! ô adsit citò beata hora, qua jubebis me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te! *Uran.* Aderit hora! venies! cum Sanctis meis laudabis me! *Prod.* Cum Sanctis peccator! *Uran.* Peccator pœnitens. *Prod.* O felix pœnitentia! & pro tot gratiis quid à me exigitur? *Uran. Phil.* Amantes ama! *Prod.* O dulce imperium! & hoc est satis? *Uran.* Satis. Eja vos omnes mei, in jubilos & plausus ite!

O. A. M. D. G.

PRÆ-

PRÆCEPTUM AMORIS,

ARGUMENTUM QUINQUE MEDITATIONUM ANNI M. DCC. XLVII.

MEDITATIO I.

Diliges Dominum DEum tuum. *Marc.* 12.

S. FRANCISCUS SERAPHICUS.

ARGUMENTUM.

PEr quinque gradus Auguſtinus (cujus Converſionem *pro Idea* perfectæ converſionis jam olim ſtatuimus) factus eſt ex magno peccatore SANCTUS, & MAGNUS, & CITO. Primùm nempe pro gratia veræ pœnitentiæ ferventer *oravit*: deinde ex aſpectu vitæ malè actæ graviter ſeipſum *exhorruit*: mox ab imminentibus ſalutis periculis abreptus eſt *in timorem*: poſteà *duce ſancta ſpe* cum Filio prodigo rediit ad Patrem, in cujus amplexu denique facta CORDIS VERSIO admiranda *per Amorem* tam efficacem, ut deinceps Auguſtinum in Auguſtino nemo ampliùs reperiſſet. Eandem viam huc usque nos ivimus, & poſtquàm per quatuor Annorum Meditationes quatuor priores paſſus confecimus, hôc Annô accingimur ad

quintum, totam Quadragesimam uni PRÆCEPTO AMORIS, quod primum & maximum est, considerando sacraturi. *Verba* Præcepti ex Marci c. 12. sunt: DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO, ET EX TOTA ANIMA TUA, ET EX TOTA MENTE TUA, ET EX TOTA VIRTUTE TUA! *Verborum sensus* erit Meditationum *materia*, ita, ut in prima expensuri simus Amoris *causas*, in altera *naturam*, in reliquis *effectus*, ac *gradus*: sive (quod idem est) priores duas *de affectivo*; tres posteriores *de effectivo* Amore instituemus; uterque enim præceptus est, uterque, ut satisfacias, conjungendus, eoquòd affectivus sine effectivo sit *fallax*, & effectivus sine affectivo *languescat*. Itaque in hac Quadragesima, DD. Sodales, tempus nostrum TEMPUS AMORUM erit, labor omnis *artem amandi* discere, in qua ut proficiamus faciliùs, in cujuslibet Meditationis Præludio comparebit ARTIS MAGISTER Christus *ex Cathedra Crucis* docens, & non tam verbô, quàm exemplo clamans *voce magna*: SIC DEUS DILEXIT: *exemplum dedi vobis*: SIC HOMO DILIGAT! Argumentô suavissimo, utilissimo, unicè necessario ejà! parate avidos oculos, promptas aures, corda ardentia desideriis piis! etiam *in arte amandi* primus gradus solidi profectûs est, *velle proficere*. Incipiamus.

Hodierna Meditatio prima Præcepti verba versabit: DILIGES DOMINUM DEUM TUUM! verba, quorum contemplatio S. Franciscum Assisiatem in Seraphinum mutavit, cùm in montibus Alverniæ incensissimo spiritu identidem exclamaret: *DEUS meus, & omnia! DEUS meus, & omnia!* erítque adeò hujus Meditationis

Materia: Exclamatio S. Francisci Seraphici:

Puncta duo: 1. DEUS meus!
2. Et omnia!

Fructus: Altissimus de DEO conceptus, & appretiatio.

Propo-

Propositum: Cùm aut cupido placendi, aut metus displicendi homini nos ad peccatum incitabit, utemur tesserâ S. Michaëlis ad robur animi sustentandum aptissima: QUIS UT DEUS?

PERSONÆ.

S. Franciscus Seraphicus.
Frater Ægidius Socius ei charissimus sanctissimè simplex.
Moronus latro in iisdem montibus à Francisco conversus, uti ejus vita apud P. Croiset S. J. testatur.
Comes Orlandus de Catana, qui Sancto inter montes Alverniæ Monasterium ædificavit.
Landinus Orlandi Cubicularius contemplationis uti imperitus, ita contemptor, ideóque Francisci derisor.

PROLOGUS.

Rationi Præceptum Amoris intelligere cupienti Fides Doctorem optimum in Cathedra Crucis exhibet.

Fides. *Ratio.*

Ratio. Sllete semini-verbii: . . . . * *Circa quæstiones, & pugnas verborum*
Obtunditis aures, atque animum!
Porro *unum est necessarium*: Luc. 10.
DILIGES DOMINUM DEUM TUUM!
(Sic lego in Lege) **
DILIGES EX TOTO CORDE TUO! . . . .
DILIGES EX TOTA ANIMA TUA! . . .
DILIGES EX TOTA MENTE TUA! . . .

Theatrum bibliothecam refert, in qua Ratio interpretes Præcepti Amoris, qui satisfaciant, frustra requirit.

* Abjicit libros complures cum impatientia. ** Legit ex Bibliis.

ET DILIGES EX TOTA VIRTUTE TUA!
Hoc est præceptum PRIMUM,
Præceptum MAXIMUM:
Hoc, ô boni, * docete me observare,
Cætera impunè omnia licebit ignorare.

ARIA.

Hem! quanta librorum farrago!
In tantis quid quæro? quid ago? ...,
Doctrinarum omnium
Verbum est compendium:
Docear AMARE!
Ars artium ars est Amoris:
Docere (est munus Doctoris)
Quæ sint artis *regulæ*,
Unde profecturam me
Liceat sperare:
Docear AMARE!

Fides. Jo! placent pia desideria! ... **
Salve Soror charissima!
Video occupatam, & *turbatam erga plurima.*
Ratio. Cùm Pater optimus *Prodigam* recepit in gratiam,
Jussit me, diligere se.
Igitur jam
Tempus meum, ô Soror,
Est *tempus Amorum*, Ezech. 12.
Adeóque *tempus turbarum*, & tempus *curarum*,
Donec inveniam, qui *ad regulam*
Suavissimos motus amantis animæ
Docuerit componere.

Fides.

* Ad Auctores librorum. ** Seorsim.

Fides. *Amanti* longa nimis via est *per præcepta*,
Brevior *per exempla*: omitte cætera,
Huc oculos conjice! hic liber docebit omnia. *
Ratio. Heu! Amor meus Crucifixus est! ....
Fides. Ecce: qui jussit amari se,
Ipse prior amavit te,
Et amavit EX TOTO CORDE SUO! ...
Amavit EX TOTA ANIMA SUA! ....
Amavit EX TOTA VIRTUTE SUA! ...
Exemplum dedit: sequere! .....
SIC HOMINEM DEUS DILEXIT:
SIC HOMO DEUM DILIGE!

ARIA.

1.

Cælum, terra, obstupesce!
Inferi tremiscite!
DEus, (homo exhorresce!)
Potuit diligere,
Et *dilexit* (Crux est testis)
TOTO SE dilexit te! ....
Redamantes! .... ubi estis? ...
Eja! SIC diligite.

2.

SIC amare docet DEus:
Vide, clamat, *vide me*!
Unus est affectus meus:
TOTO CORDE amo te!
Nihil SUPRA est, quod amo,
Nihil amo PRÆTER TE!
Et te SINE MODO amo!
En! amoris *regulæ*.

* Exhibitio.

Ratio. Enimverò intelligo,
Et bona est interpretatio:
Amor meus, amabo te,
SICUT tu amâsti me! ....
DEum *toto corde* diligere,
Est, nihil diligere *supra DEum*,
Nihil diligere *præter DEum*,
DEum autem *sine modo* diligere ....
Sufficit: quod volebam, didici,
Et continuò ad pedes Domini
Cum Magdalena incipiam exequi.

Fides. Laudo consilium:
Non est *schola Amoris* aptior,
Non Magister peritior. *
Eja! huc festinate,
Quotquot amare prudenter, & sapidè
Cupitis perdiscere!

ARIA.

1.

Invito ad scholam Amoris:
Discite amare!
Res plena est justi doloris
Artem ignorare,
Cujus defectus
Pravos affectus
In cordibus facit regnare:
Discite amare.

2.

Plerique amantes amentes
Nobilem in vano

Affectum

* Clauditur.

Affectum objecto figentes
Impetu non sano
Agunt, aguntur,
Furunt, rumpuntur!
Vis scire, cur vivant amarè?
Nesciunt amare.

MEDITATIONIS I.

De S. Francisco Seraphico

PUNCTUM I.

DEUS MEUS.

SCENA I.

Franciscus. Ægidius.

Franc. ÆGidi Frater! æstuat pectus hodie ardentiùs solitô, sic, ut vita in fastidio, mors in desiderio sit: beata mors, quæ me Dilecto conjungat meo! O DEUS, quis ùt tu, *in te*? .. O DEUS quis ùt tu, *erga me*? ... *Ægid.* Tangis geminum punctum, Pater, momenti summi: Quis sit DEus *in se*, & quis *erga me*. Ah! si intelligam bene, fieríne poterit, ut Amor frigeat? *Franc.* DEUS MEUS, jussisti, ut amem te: da, quod jubes! da ut toto corde, tota anima, tota mente, totis viribus amem! .. O verè præceptum *maximum*, quia solius DEI. Ægidi, Reges nostri præcipere, *ut obediamus*, possunt: *ut amemus*-cupere, & mereri possunt, jubere non possunt: Solius DEI est amari velle non solùm *titulô meriti*, sed etiam *titulô præcepti*: So,

lus

lus DEus est cordium Dominus. *Ægid.* Sequitur, quòd sicut ex pluribus titulis crescit amandi obligatio, ita crescere debeat satisfaciendi sollicitudo. *Franc.* Et quidem sollicitudo satisfaciendi cum perfectione! Amor DEI non modò præceptus est, sed & *Finis* omnium præceptorum, ita ut cætera præcepta omnia sint *mera media*, quorum adminiculô præceptum Amoris certiùs, faciliùs, perfectiùs impleatur. *Ægid.* Pauciſſimi, credo, hanc doctrinam intelligunt: plerosque ut servent decalogum, *timor*, non amor impellit. *Franc.* Idem timor, ut servent *ex Amore*, impellat; nam nisi *ex Amore* servent, utique præceptum primum, & maximum non servant: unde erit salutis spes? Frater mi, *& si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum!* 1. Cor. 13. Itaque hic ordo est in via gratiæ: *Timor* trahit in rectam semitam: *Obedientia* comitatur: *Charitas* excipit, & *veste nuptiali* induit animam, sine qua nemo in cœna magna comparet impunè. *Ægid.* Quasi diceres: *initium* Sapientiæ timor est, obedientia *medium*, charitas *finis*, ita, ut neque timor, neque obedientia DEO placeat, nisi quæ exercetur, vel QUIA Charitas imperat, vel UT Charitas reviviscat, nutriatur, aut crescat. *Franc.* Rectè percepisti, quod volo. Vides, quanta sit Amoris *necessitas*, utique maxima, quia præcepti maximi. Æquitas, honestas, utilitas, jucunditas ut pensentur, non est opus ingenio. Amorem sui certè omne bonum velut suo jure sibi exigit; igitur ut bonum majus ametur plùs, & bonum summum ametur summè, quid est *æquius*? deinde amare, est ei, quem amas, cor donare, quod Amoris est sedes: porro DEI est cor nostrum *Jure effectionis*, quia pro se creavit, *Jure emptionis*, quia pretiô magno redemit, *Jure donationis*, quia libera voluntate, quam infantes in baptismo juravimus, confirmavimus adulti servitutis obligationem: quid est *honestius*, quàm quod tot nominibûs DEI est, DEO reddere? facimus, quod Justitia postulat, & vera Sapientia summis laudibûs commendat. Accedit

utili-

utilitas, quippe omnia bona veniunt animæ pariter *cum Amore*: Diligentes se diligit DEus, & nunquam est sterilis illius dilectio, qui etiam *super odientes se* Solem oriri facit. Et *Jucunditas* quanta est Charitatis! dulcescunt ipsæ molestiæ: nescit Amor, quid jugum, quid labor, quid dolor sit. *Ægid.* Nihil ergò Amoris Exercitium nisi *difficultas* sufflaminat. *Franc.* Difficultas? mi Frater! quanto igitur tempore, quantis sumptibus, quanto labore, ut ames, est opus? *Ægid.* Nullo utique: sed nimirùm qui sensibûs ducimur, non facilè *objecto invisibili* Amorem affigimus abstrahendum *per vim* ab objectis, quæ oculos feriunt. *Franc.* Assentirer Ægidio, si *merum animal* essem. Nunc, DEo sint laudes! pars mei præcipua *Spiritus* est, Spiritus non cæcus sanè, sed qui oculos habet ab oculis animalis diversos: his oculis cælos pervideo, & Divinitatem intueor, quasi per speculum quidem, & in ænigmate, sic tamen, ut ipsa caligo admirabili luce resplendeat. In hac caligine RATIO, & FIDES DEum meum mihi exhibent: video invisibilem, video, & admiror, & amo, & laudo, & amplector, & teneo illum, & in illo deficio! *Ægid.* Tibi, Pater, hæc facilia sunt, quippe qui Aquila magnarum alarum es, quibûs usque ad inspectionem Divini Solis te evehis: Sed simplex Fraterculus, qui instar cochleæ humi repit, trahens cor in terra, quomodò se attollet? *Franc.* Mendax ignavia mentitur te talem tibi. Qui præceptum Amoris promiscuè omnibus promulgavit, omnibus necessarias alas ad volatum, & oculos ad sui aspectum dedit: *in usu* differentia est: *ad usum* te excita. Eja! volemus simul! *Ægid.* Trahe me! *Franc.* Hìc sta!.. brachia in Crucem forma! .. oculos cælo fige! .. jam dimitte corpus, & spiritum colloca ponè ad Thronum DEi! .. descende iterum, & in abysso tui nihili submerge te! .. inde fide viva clamore interno de profundis clama: DEUS MEUS! .. habes verbum breve, sed sensum gravem, qui tuæ contemplationis materia sit. DEUS vox est, cui respondens Idea *Amorem æsti-*

mationis, MEUS vox est, cujus ruminatio *Amorem tenerrimæ affectionis* exsuscitat. DEUS in SE quis est? quis non est? intuere aspectu fixo, & admirare! lauda! plaude! DEUS ERGA TE, quis fuit? quis est? quis erit? adora! stringe! ama! .. Habes, unde occupes te: jámque liber es: stans, sedens, flectens, ambulans, situ, quo voles, utens ruminare, quæ dixi: ego à te divisus argumentum idem solitarius masticabo. DEUS! DEUS MEUS! da, ut gustent, ut videant te servi tui!

SCENA II.

Ægidius. Orlandus. Landinus.

Ægidius. DEUS IN SE quis est? quis non est? .. juva me cælum! ingredior lucem caliginosam, quâ septus meipsum perdo! .. video DEum, & non video, nam DEUS IN SE nihil est eorum, quæ video! .. velut ex alta rupe pendens intueor immensum mare, cui totus globus terraqueus quasi granum piperis innatat: intueor, & oculi præ stupore deficiunt! .. *Orland.* Ægidium video. Ecce! in contemplatione absorptus est. *Ægid.* Inspicio per infinita spatia diffusum ignem, qui totum orbem communi ardore complectitur, & placidissimis flammis involvit: liquescit animus in hoc aspectu! ubi sum? .. *Land.* Phantasmata loquitur cerebri delirantis. Here, opportunè nos huc attulimus: tandem oculis tuis credes, quòd homines fanaticos foveas, qui imaginationem cum contemplatione confundunt. *Orland.* Sile modò: patebit, num verum dicas. *Ægid.* Ascendo à terra sursum! prô! ùt sensim vanescit orbis! .. jam in punctum se contrahit! .. *Land.* Enimverò idem somnium me nuper tenuit. *Orland.* Silentium impero: non tu parebis? *Ægid.* Video Dominum in media luce! in Sole posuit tabernaculum suum: terra scabellum pedum ejus: in femore scriptum lego:

Rex

Rex Regum, & Dominus Dominantium! millè millia, & decies centena millia Angelorum circumstant ad obsequium! O Majestas! ô splendor! ô ignis sacer! ô mare Divinum! cùm te non possim capere, cape me!.. *Orland.* Audis, Landine, quàm sublimem de DEo sensum simplex fraterculus foveat? *Land.* Quod audivit, garrit, quin intelligat voces. *Ægid.* O gaudium! ô suavitas! ô dulcedo aspectûs! ô DEus, ô si te homines nôssent, ùt es in te! Ah! vix per umbram te video, & jam ferendis deliciis non sufficit pectus! satis est, Domine, pro Ægidio satìs! heu! verba non suppetunt simplici homulo, ut exprimam, quàm te amem! quàm de te gaudeam! quàm desiderem tibi placere! *Orland.* Eja! non tibi hic fervor placet? ego jam simili igne ardeo. *Land.* Ego plùs quàm antè frigesco. *Ægid.* O si cor meum cor unum cum corde Franciſci foret! Domine, ille suppleat, quod decst mihi! Franciſci suspiria sint mea suspiria, affectus Franciſci affectus mei, verba Franciſci verba mea! *Orland.* Ægidi, totus candescis hodie: quis ardor habet? *Ægid.* Ah! Domine, quas delicias turbas? de cælo in cœnum detrahis felicem spiritum! ubi fui? *Land.* In concavo lunæ utique, inter Angelorum choreas. *Orland.* Redire tibi licet ad tua gaudia, modò ad Franciſcum duxeris: lubet pernoctare vobiscum, & virum sanctum de rebus animæ noctu cum Nicodemo consulere: diem, ùt fit, aliæ nobis nugæ rapiunt. *Ægid.* Subire cellulam lubeat: requiram virum: lætus excipiet gratissimos hospites. *Land.* Et cœnam, cubile, lectum dabitis Comite Orlando dignum? *Ægid.* Nolite solliciti esse: noctem jucundam agemus, helluaturi strenuè, usque ad plenissimam ebrietatem, quam placidissimus somnus excipiet inter plausus, & cantica. *Land.* Insignis devotio! & bonum propinabitis vinum? *Ægid.* Suavissimum, generosissimum, omni Cretico, Massico, Falerno melius. Si placet, introducam vos in nostram cellam vinariam, ut ibi gustetis, quod narro. *Land.* Huc usque stupidos homines credidi: jam insuper hypocritas video. *Or-*

land. Tu ſtulteſcis, Landine, qui malè interpretaris idioma, cujus ne quidem primas litteras didiciſti. *Ægid.* Iſte, credo, credit mentiri me vobis! at age, bone vir, ſequere me! inebriabo te *vinô compunctionis*, & dilatabitur cor tuum: cantabis Domino canticum novum, quod nunquam ceciniſti, diſcésque experimento, quàm ſuavis ſit Dominus contemplantibus ſe. *Land.* Nugator es: ego non intelligo iſtas voces. *Ægid.* Propterea in parabolis loquimur, ut, qui *vitæ Amoris* non aſſueverunt, ex deliciis corporis delicias animæ utcunque metiri poſſint. Jam ſine parabola dico tibi: cœna, quam dabimus hero, ſpirituale convivium erit, quod ſequetur ſpiritualis ebrietas, & myſticus ſomnus. *Land.* Sile frater: jam ſatur ſum. *Ægid.* Satur? à ſiliquis nempe: ſcilicet quia cibus nobilior homini animali non ſapit. *Land.* Homini animali! num tu non es animal? *Ægid.* Etiam, ſed non merum animal: curo, ut anima animali imperet, non animal animæ. *Land.* Jactantia vetus! at quidquid in verbis ludas, illudis tibi: anima immerſa carni non poteſt non (ut ita loquar) animalizare: ſenſus rapiunt invitam pænè. *Ægid.* Sic eſt, niſi per vitæ contemplativæ exercitamenta didicerit ex lacuna emergere, & aſſumptis alis aſſueverit habitare *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*, Cant. 2. Ibi ſpiritus cùm cœpit epulari, deſipit omnis caro, & quidquid titillat ſenſum, abjicitur cum nauſea. *Land.* His verborum coloribus dementâſtis herum meum; ſcio, & doleo: me non capietis, quia neque ego capio, quid ſit contemplari, neque quòd in contemplando poſſit voluptas eſſe. *Orland.* Ægidi, cum homine ignorante, & ſuperbo agis: doce ad captum, quæ Franciſcus te docuit. *Ægid.* Tu non capis, quid ſit contemplari? non habes intellectum? intellectus eſt oculus animæ: hôc oculo intueri DEUM, eſt contemplari: & adeò *contemplatio* denique eſt *ſimplex intuitus veritatis revelatæ cum admiratione, & amore:* quid? difficilis captu hæc deſcriptio ſit? *Land.* Hebraicè loqueris. *Ægid.* Igitur vernaculâ utar. Euge

ge vir bone, nunquid uxorem habes? *Land.* Habeo. *Ægid.* Et formosam? *Land.* Pro me satis: quid ad te, Monache? *Ægid.* Nunquam illam intueris aspectu fixo? *Land.* Curiosus est homo. *Ægid.* Et cùm sic intueris, nunquid admiratio venustatis semovet, & ex admiratione amor accenditur, iterúmque ex amore cupido repetendi intuitum, & ex repetito intuitu novus amor? quid? non est hoc loqui vernaculè, & sic loquentem intelligis demum: aut an ne sic quidem? *Land.* Imò satis: sed quorsum tu talia? *Ægid.* Nimirùm sic ego contemplor DEUM: & contemplatio amorem gignit, amor autem novam sitim inflammat iterum, iterúmque intuendi Dominum *decorum nimis*, infinities *amabilem super amorem mulierum*, 2. Reg. 1. DEUS MEUS *objectum* intuitûs mei est, *modus* admiratio, & Amor, *effectus* liquidissimum animi gaudium, *fructus* contemptus omnium, quæ DEUS non sunt. O DEUS, quis ùt tu *in te*! ... O DEUS MEUS, quis ùt tu *erga me*! Sed quò abripior!.... requirendus mihi Franciscus est.

SCENA III.

Orlandus. Landinus.

Orlandus. PErge! sapis frater mi, & si talis discipulus est, conjicio, quantus Magister sit. Landine, quis est animus tibi? *Land.* Here, totum turbavit Ægidius, & tu magìs, qui hominem audaciſſimum laudas. Ego sentio cum multis sapientibus, & credo, quòd isti contemplantes in phaleris verborum plùs placeant sibi, quàm ratio vitæ meretur. *Orland.* Non rectè judicas: propterea huc adduxi te, ut experientiâ doctus errorem dedisceres. Vita contemplativa VITA AMORIS est, quam qui elegit, haud dubiè optimam partem elegit: vitam elegit illi similem, quam olim æternùm vivemus in cælis. O vita felix! ô sanctum otium! ô beata conditio, cujus una occupatio,

& omne negotium eſt AMARE. *Land.* Bene! bene! relinquimus igitur Cœlitibus hoc negotium, & illis, quos procul à curis ſæculi ad eremum vocavit DEUS: tibi, qui tot ditionum es Dominus, incumbunt labores alii, quibus ut ſatisfacias, vix reperias interdum horam, quâ obiter de DEO cogites. *Orland.* Malevolus es mihi tu, qui vis, ut perpetuò me tranſtris alligem, quin reſpirem aliquando liberiùs à miſera ſorte remigum, ad illos me transferens, qui ſine labore provehuntur, in marium, portuum, ſiderum proſpectu quietè, ac liberè ſe oblectantes. Equidem ſcio, quòd non ſim eremo natus; verùm, Landine (ita me frequentior converſatio cum Sanctis docuit, & uſus convicit) hoc Animæ eſt contemplatio, quod ſomnus corpori: poſtquàm has delicias indulſi ſpiritui, redeo alacrior ad mea tædia, laboríque, quem Ratio Statûs imperat, ſic impendor feliciter, ut uno die plus præſtem, quàm ſi nulla quiete ſacra refocillatus integrâ hebdomadâ laborâſſem. Tanti eſt obſervare Sapientiæ dogma: *Omnia tempus habent.* Eccl. 3. Age, abjice præjudicia, quibus contra contemplationis æſtimationem animus obſtinatur! ad delicias adduxi te: magnas, ſingulares, cæleſtium æmulas pro hac nocte Franciſcus ſpondet: læti erimus! certum eſt ex Ægidio præſagium mihi.

SCENA IV.

Orlandus. Landinus. Ægidius.

Ægidius. HEu! Domine, grave malum denuntio. *Orland.* Nempe quod? *Land.* Hem! læti erimus. *Ægid.* Dum Franciſcum requiro, repentè ex colle deſpicienti in vallem, ſe mihi Moronus exhibet, magnis paſſibûs huc adproperans. Feſtinate in latebras: tempus monet, & latronis ferocia. *Orland.* Solus accedit, an cum comitibus? *Ægid.* Solitarium vidi, & vultu

tu torvo neſcio quod facinus meditantem: nam armis omnis generis accinctus ambulat. Fugite! *Orland.* Apage fugæ dedecus! Landine, ſtrictis gladiis in hoſtem imus. *Land.* Sequor ducem: ſed tu hinc diſce, here, quid tibi familiaritas cum his Fraterculis proſit. *Ægid.* Non ſino ire, nec DEUS ſinit. Orlande, ut iſte locus alterna fœdetur cæde, Franciſcus nolit. Latere juvat: ſequimini me! in avia abducam, unde ſecuri ſpectabitis Moroni conſilium: ego examinabo. *Land.* Neque metuis tibi? *Ægid.* Viator nudus prædonem non timet. *Orland.* Bene mones: præcipite impetu agendum eſt nihil: ſequemur te. *Ægid.* Poſſetis intempeſtivâ audaciâ evertere magnam ſpem, quam de converſione hominis ſcelerati Franciſcus concepit. Sæpiùs ille ad virum inviſit, nec audit invitus ſalutis monita: Fortè hæc eſt hora, quâ miſereri animæ miſericors DEUS conſtituit. *Land.* Rem magnam præſtas, ex lupo ſi agnum facias. *Ægid.* DEUS faciet. *Orland.* Utinam venire liceat in lætitiæ partem, & congratulari Franciſco de peccatore pœnitentiam agente! *Ægid.* Utinam! en! hoc eſt latibulum.

SCENA V.

Moronus. Ægidius.

Moronus. AUdivi humanas voces: tene pedem Morone! fortè miniſtri Juſtitiæ ſunt, miſſi, ut te rapiant ad tribunal. *Ægid.* Audiſti humanas voces, & terreris infelix: quousque te undique Divinæ voces circumſonant, & aures obturas? *Mor.* Tu es Ægidi? nihil metue: hodie bonus ſum: Franciſcum velim, ubi eſt? *Ægid.* Franciſcum vis: nempe ut cum jactura temporis inanibus ſpebûs fallas? nemo ſapiens libenter littus arat, aut lavat Æthiopem: Franciſcus DEO vacat, non tibi. *Mor.* Scio, quòd DEO vacet: nam hîsce oculis vidi curſantem per montes, & valles: his auribûs audivi ſilvas implen-

plentem gemitibûs, & clamantem clamoribus miſerandis: O DEUS, quis ùt tu *in te!* .. O DEUS MEUS, quis ùt tu, *ergame!* .. ô ſi te homines nôſſent! ſed eheu! Amor non amatur! .. Ægidi, crede mihi, ſic viſcera commovit iſta vociferatio, ut tandem ſtatuerim me ipſi dedere. Itaque ſecutus currentem fui, certus hæc inſtrumenta iniquitatis adſternere ſacris pedibus. Verùm dum arma colligo, ille evanuit mihi; viam ergò ingreſſus ad cellulam fui: non eſt intùs? *Ægid.* Hypocriſin iſte habitus loquitur: quod facis, fac, & quoniam perire lubet, peri, ſic me jubet Apoſtolus loqui: *qui non amat Dominum JEſum Chriſtum, ſit anathema!* 1. Cor. 6. *Mor.* Ferox es mihi tu: mitior, ſpero, Franciſcus erit, & mitiſſimus DEUS, quem ille truncis, ac petris adeò amabilem prædicat. *Ægid.* Etiam ego mitis ſum ſeriò pœnitenti: ſed de te ſuſpicor, ne odor prædæ huc adduxerit. Unde probabis te?

SCENA VI.

Franciſcus, Moronus. Ægidius.

Franciſcus. O Cautes! *Ægid.* Quanquam ecce Franciſcum audio! *Franc.* O rupes! *Ægid.* Ipſi te proba! *Franc.* O ſaxa, tandem liqueſcite in Amorem! *Mor.* Ipſe eſt, probabo me! *Franc.* O DEUS! vox grandis! *Ægid.* Uterque condimur: audiamus, quò Spiritus virum efferat. *Mor.* Audiam, & obſervabo, ut ampliùs efferveat cor in pœnitentis affectum. *Franc.* O DEUS! quis ùt tu IN TE? .. *DEUS es*, *unus* DEUS, *trinus* DEUS, quanta habeo incitamenta amandi te, *propter te!* .. DEUS es! quid dico, cùm dico: DEUS ES! Dominum nomino, cui omnia ſuam originem debent, quæ ſunt, & qui ſuam originem nulli debet: Dominum nomino non unius provinciæ, non unius regni, non ſolius mundi, ſed cæli, & terræ, ſine reſtrictione, ſine conditione, ſine vinculo: ita mihi natura loqui-

tur,

tur, ita sensus populorum, ita Ratio. Cùm tonat cælum, cùm scindit scopulos fulmen, cùm tellus dehiscit, enimverrò ne Pharao quidem clamat: *Nescio Dominum!* sed *rogate Dominum pro me!* etiam impiissimus ingeminat. Hæc vox *naturæ* est, & adeò *vox communis*, ut in adversis nemo sit, qui non oculos in cælum jactet, sive ut opem petat, sive ut blasphemet saltem! Detestor impios! sed hoc admiror, quòd neque in impiis deficiat *Ratio*. Eja! quam lucem inhabitat, qui ne quidem ignorari ab ignorantibus potest! ô plausus cordis mei! ô jubilus! ô lætitia! *Mor.* O cæcitas cordis mei! ô perversio! ô miseria! .. *Franc.* Et qui tantus est, UNUS est! exulta anima! unus est *necessarius* tibi, & unus *sufficit!* ô Cœlites, quæ lux de cælo circumfulget me subitò! unus est *necessarius*, qui si non amat me, æternùm *miser* sum: unus *sufficit*, qui si desertum ab omnibus tuetur solus, *beatus* sum! Veritas læta! ab uno pendeo! in uno quiesco! miseret me tui, quisquis pluribus indiges! *Mor.* Utinam sensus idem fuisset mihi! *Franc.* Verùm qui unus est, ut sit SUMMUS, insuper trinus est, ut sit FELIX: nulla est sine societate felicitas, ùt nec sine cognitione, nec sine Amore. Nunc utinam ex angustiis corporis dimissa mens evolare in tertium cœlum posset, quantis deliciis innatarem, de facie ad faciem videns, quàm beatus sit DEUS, quem amo! amo autem? certè *amari* meretur, quia UNUS DEus est: nemo Amore dignior: amari *solus* meretur, quia UNUS DEus est: & amari *sine modo* meretur, quia TRINUS est. Trinitas omnem gratulationis materiam habet: Trinitas demonstrat, quòd DEus, ut felix sit, re nulla indigeat extra se: Trinitas docet, quòd DEus sit bonum, in quo sunt omnia bona! talis est DEUS IN SE, & quis est similis ipsi? quis dignior *Amore æstimativo* super omnia! ... *Mor.* O Franciscе! utinam ego habeam oculos tuos! *Franc.* Sed jam sile Ratio, sile Fides! tu loquere Charitas! O DEUS, ô si te homines nôssent, qui sis *in te!* .. quare autem ignorant te? .. quare ego hanc ignorantiam

tolero! ô ut tantum ſit robur vocis, ut ab Oriente usque in Occidentem audiar! ibo! ibo (nam cur uni me valli includo?) ibo per provincias & regna, & dicam obviis: quousque diſſipatis amores veſtros? DEum amate *ſuper omnia*, quia DEus eſt! *præter DEum* amate nihil, quia *unus* eſt! DEum *ſine modo* amate, quia *trinus* eſt, & licèt veſtro amore non indigeat, tamen à vobis amari cupit! Ægidi! *Ægid.* Vocor: tu ſequere paulò pòſt. *Franc.* Ægidi! *Ægid.* Ecce ego! quid imperas Pater? *Franc.* Ubi eras? *Ægid.* Amores tuos ex angulo arbitrabar. *Franc.* Frigidus Amor eſt, qui non accendit: imus per orbem terrarum, accendimus omnia, & inflammamus. *Ægid.* Sequor alacer. Unum obſecro, ne ex hac ſilva abeas, quin tecum Moronum trahas: aut quid? qui vaſtum orbem complecteris animô, num æquum eſt, ut animam excludas cellæ vicinam tuæ? *Franc.* Rectè exprobras. Jam decem dies hìc DEO vaco: & adhuc inimicum DEI patior ad latus mihi, latronem fero? ignavia morte digna! utinam ſanguine profuſo eluam! occurram leoni rabido, diſcerpam, immolabo Amori, armatus Amore. *Mor.* Me, nî fallor, hæ minæ feriunt. *Franc.* Te omnino, te Morone armatum inermis provoco ad certamen! arma expedi: pugna eſt decretoria: alteruter dum ceciderit, non erit duello finis. *Mor.* Viciſti Pater: jam ante pugnam cado ad pedes tibi, & expecto, quid velis. *Franc.* Non ultra vanis me verbis ludes: tandem & ſanctus Amor fit ſanctus furor: pœnitet fuiſſe lenem, & in tantis injuriis DEI mei diutiùs, quàm erat par, patientem. Surge infelix! jam nulla eſt ſpes pacis ſuper, niſi in mea, aut tua morte: alterutrâ placari victimâ Numen offenſum debet. *Mor.* Quoniam ſic mecum agitur, exarde furor! tot reus cædium iterum in cædem ſtringatur mucro! *Franc.* Eja! hic fulgor placet! *Mor.* Qua parte corporis vis figi ferrum? gulam ſcindam? pectus fodiam? aut rimer viſcera? *Franc.* Cor ſeca, impie, cor ſeca, ut videas, quàm te pro DEO amem. *Ægid.* Prô Superi! quæ hæc

eſt

est scena! *Mor.* Errâsti, Pater! meum, non tuum sanguinem hæc sica sitit: expecto sententiam. *Franc.* Erras, Frater! non est Sacerdos idem, & hostia, quæ offertur: à me occidi debes, aut me occidere. *Mor.* Igitur cape cultrum, & capulo tenùs immerge pectori: sic erit finis scelerum, quæ patravi. *Franc.* Rursum erras: mori *per moram* debes, hæc stat sententia. Si renuis, age, irrue, & de severo Judice vindictam sume. *Mor.* Quidquid decreveris, mite supplicium erit: abite arma impia! in potestate sum. *Franc.* Igitur rem seriò agimus. Ægidi, solve funem, & ligatum hominem ad crucem trahe! *Ægid.* Patieris imperium? *Mor.* Ecce manus, & pedes habes. *Franc.* Decrevi mortis genus illo, quô reos Justitia humana plectit, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. Vives Morone, ita tamen, ut quotidie moriaris. Procumbe humi, & donec redeam, recogita omnes annos tuos in amarissima amaritudine animæ tuæ! Materia tui affectûs sit DEUS TUUS erga te! cogita, qualis *fuerit*, qui ab æterno cogitavit de te, qualis *sit*, qui patienter adeò te expectat in tempore, qualis *futurus* sit, qui te judicabit pro æternitate: in singulis incitamenta teneri affectûs, & acerbi doloris habes. *Mor.* Habeo, meditabor: tu mihi salubres motus à cœlo impetra.

SCENA VII.

Franciscus. Ægidius. Orlandus. Landinus.

Franciscus. O! Qui latronem exaudisti ad latus pendentem tibi, huic quoque spem dedisti prostrato ad pedem crucis. *Ægid.* Jo victoria! in partem gaudii Orlandus etiam, & Landinus veniant. *Franc.* O quis te bonus Orlande genius hodie adduxit mihi, ut spectaculum videres dignum plausu totius cœli! *Orland.* Audivimus, & vidimus omnia, Pater: quô cordis jubilo, lingua explicare non potest. Dedisti scenam, quæ

quem non recreat, non amat DEum: laudetur *super omnia* amabilis, imò *solus* amabilis, & *sine modo* amabilis DEus! Amoris incitamenta percepi, fructum spectavi: ô faciat in me Amor similem metamorphosin! Amo te, DEUS, quia DEus es, quia unus, quia trinus *in te*! Ah! amem ampliùs, neque *appretiativè* tantùm, sed etiam *intensè* amem! *Franc.* Intendet se tantum amor, quantum contemplatio. Placet intrare mecum, & hanc noctem Amori dare? *Orland.* Propterea huc me attuli. Landine, quæ mens est tibi? nam si consilium displicet, redire per me in castrum, priusquàm nocteſcat, licet. *Ægid.* Attonitus mihi videtur homo. *Land.* Et verè sum. Sic me sibi spectaculum, quod vidi, rapuit, ut facilè jam contemplantibus credam, quòd detur extasis. *Orland.* Novus est fructus: speremus adhuc majorem. *Franc.* Incipientibus, proficientibus, perfectis, nemini non, Exercitium Amoris prodest: Moronus probat: exerceamur! *Omnes.* Exerceamur! & omne tempus vitæ posthac nobis *tempus Amorum* sit!

CHORUS.

De Reformatione Megacosmi consultatio.

Megacosmus. Zoroastres. Zaleucus. Solon. Lycurgus. Numa. Moyses. Amor de cœlo.

Megacos. REs est momenti maximi!
Propter quam consulo vos,
Viri consultissimi!
Reviviscite! audite me!
Confusa est tota Megacosmi familia,
Jus fásque calcatur, & regnat licentia:
Debita legibus exulare coacta est reverentia,

Theatrum exhibet Antiquarium, & Statuas Legislatorum.

Totum

Totum terrarum orbem occupat Babylonia.
Malum, quod premit, cernite
In Imagine. *

* Exhibitio agri vastati.

ARIA.

1.

Olim, ah! olim hic ager florebat,
Densissima seges in eo ridebat:
Illata est horreis meis
Pinguissimi tritici maxima vis;
Modò, quis credat, quòd olim magnorum
Immenso excultus labore virorum,
Et salsis à tot, & à tantis,
Rigatus sudoribûs ager tu sis?

2.

Ager, non ager, sed grande dumetum!
Quale de te erit Cœli decretum?
Cur recreet gelido rore?
Cur fertilem imbrem effundat in te?
Munera ipsa in damnum vertentur,
Zizania, spinæ, urticæ alentur:
Silvesces, & loci horrore
Allecti dracones cubabunt in te.

Agite, viri, audiam oracula:
Consultate de remedio:
Necessaria est reformatio.

Zoroastres. Per quæ quid nascitur,
Per eadem servatur, & reparatur.

Zaleucus. Abjectos resume ligones, ac sarculos:
Sic ager purgatur.

Solon. Suademus, quod fecimus,

Cùm Legislatores
Suæ quisque Provinciæ fuimus.

Zoroaſtres. *Populi Reges pro Diis habento!*
Ex hac lege Zoroaſtres Perſas excolui.

Zaleucus. *In legum cura Reges ſubditis prælucento!*
Sic ego Zaleucus Locrenſibus præfui.

Solon. *Judices legum vindices inexorabiles ſunto!*
Sic ego Solon Areopagitas inſtitui.

Lycurgus. *Horrorem ſcelerum Liberi cum lacte bibunto!*
Ita Lycurgus Spartanos,

Numa. *Religionem omnes ſumma religione colunto!*
Ita Numa formavit Romanos.

ARIOSE.

Numa. Religio, Religio
Eſt frænum populorum:
Lycurgus. Puerorum inſtitutio
Eſt diſciplina morum:
Solon. Utrique benè conſulit
Acerbitas pænarum:
Zaleucus. Acerbitas nil proficit,
Si reus es culparum,
In aliis quas plectis:
Si Rex es inculpabilis,
Zoroaſtres. Si Rex es venerabilis,
Solon. Si Rex es formidabilis,
Omnes tres. Coronam tibi nectis!
Lycurgus. Si pueros emendaveris,
Numa. Si Deos exaltaveris,
Uterque. Ad nutus plebem flectis.
Zoroaſtres. Regentûm veneratio,
Solon. Nocentium punitio,

Zaleucus.

Zaleucus. Exemplum Principum,
Numa. Reſpectus Numinum,
Lycurgus. Puerorum educatio
Omnes. Eſt orbis Reformatio.

Megacoſ. Bona, viri boni,
Sed lenta præſcribitis remedia,
Nec habitura effectum,
Quam commendet conſtantia.
Omnia, quæ ſuaſiſtis,
Ex his Decalogi tabulis excerpſiſtis:
Omnia populo meo adhibui,
Et quid profui?

ARIA.

1.

Ut taurus, ſi velis domare,
Mox incipit cornu jactare,
Nec diu ſub onere gemit:
Aſſurgit, recalcitrat, fremit,
Et excutiet jugum à ſe:
Sic gens mea furens ſurrexit in me.

2.

A primo hoc malum parente,
Heu! nimis ſerpenti credente
In poſteros cœpit graſſari,
Ut nemo ſe ferat ligari:
Ex legibus vivere ſtat,
Quas ſpes, & cupido, & impetus dat.

Megacoſ. Siccíne? ergò tu jubes deſperare me?
Moyſes. Deſpera de te: conſilium à cœlo expete.

*Ecce!

*Ecce! exhibet se imago primæ Ecclesiæ: * Exhibitio.
Inde exemplar accipe.
Longus est labor ligonibus, & sarculis agere:
Ignem Amor, ignem venit in terram mittere,
Per ignem agrum purgavit celerrimè.
Amoris inflammatio
Fuit legum omnium instauratio,
Fuit orbis reformatio!

Megacos. Quò rapior? quid video?

Amor. Ita: Amoris inflammatio
Est orbis reformatio:
Et frustra Legislatores, ac leges multiplicatis,
Nisi *legem Amoris* renovatis.

ARIA.

1.

Lex Amoris observetur:
Amor legis mox sequetur,
Et Amorem *cultus*:
Multæ leges, nullæ leges!
Nisi diligantur Reges,
Non est cultor multus.

2.

Leges ligant, & ligati
Pretiosæ libertati
Graves sunt catenæ;
Sed tu ama te ligantem:
Torquem habes te ornantem,
Suaves erunt pænæ.

Megacos. Benè est: Politica abite consilia!
In uno habeo omnia:

Ut

Ut mundo benè sit, *lex Amoris* servetur,
LEGISLATOR AMETUR!

ARIA.

1.

Ametur!
Amari meretur:
Est DEUS,
EST DOMINUS MEUS,
Dominus OPTIMUS.
Dominus MAXIMUS:
Ametur! meretur!
Ex hac Amoris regula
Tota familia
Megacosmi reformetur!

2.

Amor formavit me:
Amor reformet me!
Fecit, ut magnus sim,
Ut pulcher sim,
Ut dives sim:
Faciat, ut bonus sim!
Formavit me:
Reformet me!

PUNCTUM II:

ET OMNIA!

SCENA I.

Franciscus. Orlandus.

Franciscus. SUspice Domine, benè facis, suspice, quàm nos Dominus amet! poterátne optari serenior nox, &

nostræ contemplationi idonea magis? * *Orland.* Rapit oculos pavimentum aurô tam fulgido dives: mens, quæ sit interior palatii opulentia, ex ista specie arbitratur. Vah! ùt sordet terra, dum cœlum aspicio! *Franc.* Nunquam huc usque aspexeras? *Orland.* Non rarò utique, sed nunquam sic. Ultra delectationem, quam visui splendor umbris temperatus facit, percepi nihil; scilicet quia non alius, quàm pecoris, aspectus erat: hodie sensus voluptatis in animum penetrat, & varios affectus ciet pios, devotos, dulces. *Franc.* Nempe Astronomia, vel Astrologia hodie armavit oculos tibi, & stellarum magnitudinem, distantiam, figuram, virtutes, motum acutiùs prospicis? *Orland.* Nihil me ista vanitas afficit. Quid mihi cum Ursa, vel Lyra negotii? quid cum Cassiopea? quid cum capite, vel cauda Draconis? quid in Leonis, aut capri domo? exucca vocabula congerunt blaterones, quæ gustum titillant nihil. Tu si *voces mysticas* inculcas mihi, quanquam sit cortex durior, tamen cùm fregi nucem, nunquam est vanus labor: nucleus se offert mihi vel mannâ suavior. Recordor, quæ audivi, iterúmque audio clamorem validum à tot linguis, quot stellæ micant: clamant omnes: QUIS UT DEUS IN SE! quis ei potentiâ, quis sapientiâ, quis magnificentiâ par? clamant: QUIS UT DEUS ERGA TE? tibi enim (non sibi) tibi hanc struxit Regiam, si amas: ama! *Franc.* Proficis, Orlande, proficis, & nactus es ingenium *scholæ Amoris* aptum. Amemus ampliùs! stimulósque addamus stimulis, donec socordia expugnetur, & totum cor *seuni Amori* dedat. *Orland.* Adsum! quod agis, age, Magister bone! ars summa artium est ARS AMORIS: unam si didicero benè, satis est. *Franc.* Igitur adverte animum mihi, & ad quæsita respondè clarè. Quæro: quid est amare? *Orland.* Amare (si *de amore rationali* loquimur, non *de sensuali*) est alteri *benè velle*, atque ita *mutua benevolentia* amicitia dicitur: hoc intelligo. *Franc.* Et quid est alteri benè

* Exhibetur cœlum stellatum.

benè velle? *Orland.* Nimirum velle ſeriò, ut *abſit malum*, quod ille odit, & *adſit bonum*, quod ille cupit: ſic interpretor. *Franc.* Rectè. Sed quis eſt major, aut minor amor? *Orland.* Sine dubio magnitudo amoris pretium majus aut minus habet tum *à quantitate & qualitate boni*, quod alteri cupio, tum *à menſura fervoris*, quo curo: non benè judico? *Franc.* Omninò benè. Jam ſcimus, quid ſit amare: quæro, num ſit in te facultas amandi? *Orland.* Experior ſanè: nam multis *benè* volo, & *ferventer* volo. *Franc.* Et *rationabiliter* vis? *Orland.* Exiſtimo ſanè. *Franc.* Ex quibus rationibus? *Orland.* Duæ movent: Alios amo, *quia ſunt*, quales opto: alios, quia cupio, *ut ſint*, quales velim. *Franc.* Ita ſe habent res *in amore humano*, qui *purè rationalis* eſt, nihilque ſenſuali commixtus: nunc *ad Divinum* aſſurge. Dic: non eſt DEus, qualem optare prudenter potes? *Orland.* Eſt, utique eſt! quid enim in DEo deeſt, quod ſana ratio æſtimabile judicet? Et quid requirat ſervus in Domino, quod non in DEo reperiam? brevis, ſed evidens diſcurſus eſt vel voces intelligenti: quidquid amabile eſt, *à DEo* eſt, ergò DEus *ſuper omnia* amabilis eſt. *Franc.* Ergò tu ama DEum, *quia eſt IN SE*, qualem optas: ita amas *Amore benevolentiæ*! Ama DEum, quia cupis, *ut ſit ERGA TE*, qualem vis: ita amas *Amore concupiſcentiæ!* uterque Amor præceptus eſt, & alterum alter fovet, veluti ſi vivos carbones congeris. *Orland.* Intelligo: carbones *incentiva amoris* appellas, quorum infinitam congeriem *duæ particulæ* comprehendunt QUIA, & UT: ama; *quia* talis eſt: ama, *ut* talis ſit, qualem ſapienter cupis Optima ſynopſis eſt de doctrina Amoris. *Franc.* Granum ſinapis voca: ſed conteri debet, ut exerat vim, quâ in animam admirabili pollet. Audi: quidquid amas in quoquam, & quidquid amare potes, aut *principium*, aut *medium*, aut *finis* tuorum *votorum* eſt: ſi amas Regem, quia promovit te, *principium* amas: ſi amas patronum, quia adjuvit te, *medium* amas: ſi amas uxorem, quia delectat te, *finem* amas. Sed qui diviſi in

hominibus sunt *amoris tituli*, in DEo se omnes uniunt: *DEus Creator* tuæ felicitatis principium est, *DEus Redemptor* medium, *DEus regnans* finis, objectum, quies, consummatio, omnia! O DEUS MEUS, ET OMNIA! in quot nihila divagamur, cùm extra te *aliquid* quærimus, nisi *à te*, & *propter te*! *Orland.* DEus principium, DEus medium, DEus finis votorum est, DEUS OMNIA! Pater mi! novum se lumen infert animo, lumen ingens, lumen nondum equidem Soli par, & omnes tenebras pellens, attamen jucundum lumen, ac veluti ex mille stellis compositum! *Franc.* Utemur ad profectum: verùm in partem fructûs Moronus etiam, atque Landinus veniant. Ecce prodit.

SCENA II.

Franciscus. Orlandus. Landinus.

Landinus. VIcisti Pater! en! ignorantia, & contumacia stratæ tibi ad pedes jacent. Here, meam tibi salutem debeo, qui in hanc scholam duxisti me! sit mihi cœlum testis, plus unâ horâ in hac eremo de DEo didici, quàm triginta, quos vixi, annis. Vixi autem? fui, non vixi! nam quæ temeritas est, *vitam inutilem* vocare vitam? aut si cui utilis fuit Landini vita, Landino certè non fuit. Ah! nunquam didici amare DEum: igitur nec DEo, nec mihi vixi! quid prodest vixisse aliis? optima pars vitæ in nugis periit: jacturam immanem feci! *Orland.* Landine, quis te urget spiritus in hæc lamenta? *Franc.* Spiritus Amoris urget. Macte animo, fili, reparare jacturam didicit, qui amare didicit. *Land.* O si reciperes in disciplinam, Pater! docilem spondeo discipulum tibi, & saltem latronis æmulum. O Cœlites, quale prodigium vidi! jacet Moronus adstrictus cruci, & amat vincula, qui tot alios vinxerat: jacet immersus lacrymis, quibûs commissa scelera eluat. *Orland.* Antiquæ ferociæ nihil notas? *Land.* Vix cœperat homini explicare Ægidius præ-

sente

ſente me puncta contemplationis à te propoſita, vidi virum exardeſcere vultu, inflammari oculis, palpitare corde, rumpi ſingultibûs, in ſuſpiria cum uberrimo fletu ſolvi. Heu! ingemiſcebat: qualis *fuit* DEus erga me, qualis *eſt*, qualis *erit?* Ille nullius indigus, ab æterno felix, vaſtiſſimum nihil benevolè circumſpexit, & in profundiſſima abyſſo ſepultum intuens amavit me: in hanc lucem protraxit: dedit vitam, ut haberet, à quo amaretur: & ego amori furorem reddidi, contemptum, ſcelera! Ille, quem pro primo flagitio flammis poterat æternis adjudicare, huc usque per admirabilem patientiam tolerat, & expectat, dum tandem amare velim: & ego patientiâ abutor in contumaciam! Ille, ſi vel nunc incipiam amori aptare cor, promittit, me ſibi charum æternum fore: & ego durus delibero, num adeò amans DEus redamandus ſit mihi! *Franc.* Et tibi iſti affectus placent? *Orland.* In latrone ſunt admirandi. *Land.* Mihi vis ſtuporis diſcerpſit pectus, & pudor in fugam egit. *Franc.* Ceſſa, obſecro, nam aures crucias! tam blandi actus non loquuntur pœnitentem heroicum. Quid fit, Ægidi?

SCENA III.

Perſonæ omnes.

Ægidius. LEo, Pater, in agnum mutavit ſe! *Franc.* Malum audio: nec enim ut ponat ferociam Moronus, volo, ſed *ut vertat in ſe*: pœnitentiam *iracundam ſibi* ſolidus Amor poſtulat. Solve vincula homini, & in antiquam dimitte ſilvam: qui *in affectibus* amor ſiſtitur, non amat diu! ſolve! abeat! *Moron.* Imò arctiùs ſtringar. Franciſce per illum, quem amas tu, quique me amat, DEum, obſecro, adnumera me tuis bonus, & *veſtem Amoris* dona! *Franc.* Audiſtis ſuperbiam loqui? inter Seraphinos jam ſibi locum, & nomen arrogat, qui ante horam princeps latronum fuit. Effrons! tantíne tibi affectus ſterilis, &

aliquot lacrymulæ videri poſſunt, ut ſatisfeciſſe te pro tot criminibus tantillo dolore credas? *in ordinem pœnitentium* ſi poſtulâſſes recipi, forſitan admiſiſſem: inde gradus eſt ad ſublimius vitæ genus, cùm alæ creverint. *Mor.* Da veniam, Pater, homini in rebus Divinis rudi! in poteſtate ſum: ex arbitrio impera! *Franc.* Diſplicet mihi, ita placidum videre te: in iram te pœnitens Amor urgeat, ſi ſolidus Amor eſt: ſecùs ſuſpicor, quòd *te* magìs, quàm DEum ames: nam cur aliàs parceres tibi? *Mor.* Heu me! novum hoc crimen eſt, dediſſe locum ſuſpicioni tam horrendæ! abite exuviæ belluinæ! *Franc.* Iterum erras miſer! ſerva tibi ferinam veſtem, ne obliviſcaris citò nimis, quòd fueris fera. *Mor.* Ecce obſequor! quid adhuc imperas? *Franc.* Pro fera te poſthac tracta, & malè habe. *Mor.* Optima ſententia eſt: ſic explicas, quid ſit *lenta mors*, cujus me reum pronuntiâſti. Eja, iraſcere, Morone tibi, & in te vindica offenſas DEI, quem, quòd ames, jactas. *Franc.* Si ſeria ira eſt, in tres regulas jura: prima eſt: FUGE, quidquid jucundum carni eſt! *Mor.* Fruantur, per me licet, innocentes innocentibus deliciis: ego peccator ſum! *Franc.* Altera: FAC, quidquid DEO acceptum credis, utcunque tibi moleſtum ſit! *Mor.* Qui odit moleſtias, pœnitentiam odit: ego peccator ſum! *Franc.* Poſtrema: FER alacriter, quidquid malorum aut DEus immiſerit, aut mundus, orcúsve inferet. *Mor.* Patientia pœnitentiæ ſoror eſt: peccator ſum! Ergò noxia libertas vale! quidquid blandiri ſenſibus poteſt, vale! ad moleſtias, ad ærumnas, ad crucem me Amor damnat: peccator ſum! fugere, facere, ferre, quidquid Amor imperat, ligna ſunt, ex quibus hæc crux componitur: Salve dilecta crux! *Franc.* Iſti affectus, Morone, placent: jam *hodie mecum eris in paradiſo!* pœnitentia *nomen* auſterum habet: *res* jucunda eſt, modò *ab Amore* formetur. Eja! mecum omnes in Paradiſum! hora monet, prælucent ſtellæ, dulciſſimum contemplantibus thema, fortiſſimum Amoris incitamentum eſt, DEUS MEUS, ET OMNIA!

NIA! DEum videbimus. Separemur! suam cuique stationem designabit Ægidius: suum cuique lumen suppeditet DEus. DEUS IN SE, intuere Ægidi: DEUS ERGA TE, considera Morone! DEus *principium tuum*, attende Landine! DEus *medium tuum*, pondera Orlande! DEUS FINIS MEUS, ET OMNIA, hæc Franciſci contemplatio erit. Subduco me vobis, ut alius redeam. *Ægid.* Et nos dividimur, ut per Amorem arctiùs conjungamur. *Franc.* Imò priusquàm abeo, clamore concordi Amorem de cœlo vocemus. Dicamus omnes: Domine, tu scis, quia amo te: da, ut ampliùs amem! *Omnes.* Amo! da, ut ampliùs amem! *Franc.* Jam quisque recolat animo thema suum cum viva fide! *Ægid.* DEUS! *Mor.* DEus meus! *Land.* Meum principium! *Orland.* Meum medium! *Franc.* Meus finis, & omnia! Silentium! .... sequitur occupatio in admiratione, & amore. *Ægid.* DEUS, in quatuor litteris quantus describitur! *Mor.* DEUS MEUS! meum dum voco, *Dominum* agnosco! *Land.* MEUM PRINCIPIUM! recordor, *à quo* sim, quod sum! *Orland.* MEUM MEDIUM! intelligo, *per quem* vigeat spes salutis meæ! *Franc.* MEUS FINIS! nomino centrum, *in quo* est quies cordis mei! Silentium! ..... nunc locus, & libertas affectui sit. *Ægid.* O DEus, ens entium! *Mor.* O Domine! *Land.* O Factor meus! *Orland.* O Redemptor! *Franc.* O DEus! ô Domine! ô Factor! ô Redemptor! ô Centrum meum! ô mihi OMNIA DEus meus! utinam tot cordibûs amare te possim, quot Stellæ te mihi prædicant! ô linguæ cœli, clamate altiùs, ut audiant magnalia DEI, surdastri homines audiant, & intelligant, quòd non sit ei similis DEus! *Ægid.* Intelligant, & mirentur! *Mor.* Mirentur, & adorent! *Land.* Adorent, & obediant! *Orland.* Obediant, & laudent! *Franc.* Laudent, & ament! ament ex toto corde! quia solus amabilis est! *Ægid.* Ament ex tota mente, quia solus DEus est! *Mor.* Solus Dominus! *Land.* Solus Altissimus! *Orland.* Solus Sanctus! *Franc.* Solus potens, solus

lus sapiens, solus bonus, solus dives, solus pulcher, solus justus, solus misericors, solus fidelis, solus liberalis, solus magnificus, solus immutabilis, solus immensus, solus immortalis, solus omnia! omnia! omnia! O defere, quod aggravat, corpus anima mea! altiùs evola! .. Equidem pennæ desunt: sed vos ô montes, alter alteri superimponite vos, ascendam! neque desinam currere, donec vel ad cœlum pertigero, vel cœlum ad me descenderit, ut ei, quem amo, jungar! *Ægid.* Et me quò rapis Amor? absorptus in se Spiritus melleo mari mergitur! *Mor.* Sic benè! liquescit Amor in dolorem! ô dulcis dolor! ô lacrymæ suaves! ô vita acta pessimè in servitio non Divino! *Land.* Redeundum ad principium est: Principium meum DEUS! rape me tibi! *Orland.* O quæ video exempla Amoris tui erga me, DEus mi! medium meum, via mea DEus, tene me, ne exerrem à te! *Franc.* Jo! teneo dilectum meum! teneo, nec dimittam, donec benedixerit mihi! *Ægid.* O Superi, quale spectaculum! *Franc.* O DEus! *Orland.* O cœlum! *Mor.* O visio! *Franc.* O DEUS meus! *Land.* O felix Anima! *Franc.* O DEUS, & omnia! *Ægid.* O Pater mi, Pater mi! Amor te in Seraphinum mutavit. *Orland.* Miranda vis! *Land.* Vis amabilis! *Mor.* Optanda vis! ....

* Sacra Stigmata imprimuntur.

MEDI-

MEDITATIO II.

Diliges ex toto corde tuo, *Marc.* 12.

S. FRANCISCUS DE PAULA.

ARGUMENTUM.

POst expensas Amoris *causas*, sive incitamenta, comprehensa in illis verbis: *Diliges Dominum DEUM tuum*, oportet nos ejus *Naturam* inspicere, & considerare, quid jubeat DEus, cùm dicit: DILIGES EX TOTO CORDE! certum est, *actum Amoris* imperari, & quidem non *virtualem* solùm, aut *implicitum* (verba Scholarum pono) sed *formalem* omnino, & *explicitum*, quod ex propositione prima ab Alexandro VII. damnata patet. Quàm *sæpè* autem, & quàm *intensè* ejusmodi actus elici debeat, non declaratur, scilicet quia qui dixit, velle se, ut ames *ex toto corde*, utique clarè satis petiit, ut affectu quàm potes, *intensissimo*, & *frequentissimo* ames. Ita sanè Sancti intellexerunt, inter quos S. Franciscus Paulanus, cùm à Spiritu Amoris in prima juventute in solitudinem (ubi sui Ordinis fundamenta posuit) abreptus fuit, ita non rarò ab affectu effervuit, ut velut aqua frigida ab immisso digito æstuans ebullierit, quod ejus vita testatur. Erit ergò Meditationis hujus

Materia: AMOR AFFECTIVUS in S. Francisco de Paula exardens.

Puncta duo: 1. Affectuum frequentia.
2. Affectuum intensio.

Fructus: Studium *Actûs Charitatis* erga DEum multiplicandi.

Propositum: In tentatione acediæ, & tempore tædii in precibus, in laboribus, aut inter adversa nos infestantis, curabimus *per Affectum Amoris*, cui nihil molestum est, excitare nos ad lætitiam spiritualem, semper cantando *Canticum novum*, unde animus excitetur ad pugnam, & vincat.

PERSONÆ.

S. Franciscus de Paula in eremo primam juventutem Amori Divino consecrans, suique Ordinis fundamenta constituens.
Balthasar de Spino J. U. Doctor, Sacerdos ex primis Sociis Sancti.
Cosentius Vir nobilis, Francisci Benefactor.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad præsentem.

Fides. Ratio.

Ratio. FIdes, ô Fides! qualis contemplatio! .... Quocunque aspicio, Undique insonat unanimis clamor, Quô imperatur Amor: DILIGES DEUM! clamant sidera: DILIGES DOMINUM! ingeminant tartara: DILIGES DOMINUM DEUM TUUM! DEUM *propter se*, DOMINUM *propter sua*, TUUM *propter te!* Vociferantur terræ, & maria.... Exhibetur universitas rerum.

Quan-

Quanquam quid est opus vagari?
In sola Cruce Amoris incitamenta
Invenio omnia.

ARIA.

Meum tu *Principium*:
Meum tu es *Medium*:
Tu *Finis* es meus
Mi DEUS!
Tu *omnia* es!
A te omnes meæ res,
Per te omnes meæ spes,
Sunt, quod sunt,
Et *in te erit*
Tandem mea requies:
Tu *omnia* es!

Fides. Benè habet: ligna collegit, & disposuit intellectus,
Unde exardeat, atque alatur *Amoris affectus*,
Intelligis, quàm sit DEus *amabilis*:
Amare incipe,
Et Dominum DEum tuum
TOTO CORDE dilige.
Ratio. Ecce ego! sed tu doce me,
Quid sit DEum *toto corde* diligere.
Fides. Est *totum cor* occupare
In intensis, ac frequentibus *Amoris actibus*.
Exemplum inspice. * SIC DEUS DILEXIT TE,
SIC TU DEUM DILIGE!

*Cor cruci affixum exhibetur flagrans, & bulliens.

ARIA.

Apertum cor est: inspice!
Tu *totum* occupas:

Flagrat, liqueſcens propter te
In dulces lacrymas.
Te quærit iſta inquies,
Te tot ſuſpiria,
Te curæ ſemper vigiles,
Te deſideria.

2.

Si gaudet, gaudet propter te,
Pro te affligitur,
Si timet, timet propter te,
Pro te iraſcitur:
Tu cauſa es tot motuum,
Hæ turbæ ſunt à te,
Et *Amor*, tot affectuum
Eſt *primum mobile*.

Ratio. Enimverò incendi pectus ſentio
Ab hoc incendio:
Ardeo amantem me amandi deſideriô! ...
O quis det, ut amem te, Domine,
SICUT tu amâſti me!
Fides. Amoris artificium fit per *Exercitium*:
Exemplum habes: ſequere,
Et ſi vis proficere, exerce te!
Ratio. Ubi? *Fides.* Intra te eremum tibi conſtrue.
Ratio. Quando? *Fides.* Moram odit Amor: hodie incipe.
Ratio. Quoties? *Fides.* Quò ſæpiùs, hoc meliùs.
Ratio. Quomodò? *Fides.* Quò intenſiùs, eò perfectiùs.
Ratio. Et in quo actuum genere exercebo me?
Fides. *Gaudia*, & *deſideria* amantis ſunt negotia.
De bonis, quæ DEus poſſidet *intra ſe*,
Plaude, & gratulare:

Bona,

Bona, quibus caret *extra se*,
Desidera procurare:
Hoc est *affectivè* toto corde amare.
Ratio. *Gaudia*, & *desideria* amantis sunt negotia?...
Doctrina optima! ..
Eja *gaudia!* eja *desideria* occupate me omnia!..
Rumpe costas pectus,
Ut spatium amori pateat quàm laxissimum!
Fides. Jo. ! ardet pia anima!
Ut ardeat ampliùs, relinquo affectibus:
In sancto otio vivat solitaria.....
O negotiosi homines!
Quàm jucunda vobis accideret Amoris occupatio,
Si sciretis, quid sit contemplatio ?

ARIA.

1.

Ite mecum! iter meum
In cacumen Thaboreum
Hodie attollet se:
Ite mecum! sursum, sursum,
Duce fide, juvat cursum
Procul hinc intendere.

2.

Procul hinc à vanis curis! ...
Talpis date opes ruris,
Et jejuna prandia:
In montanis (mecum ite!)
Erunt melioris vitæ
Meliora pascua.

MEDITATIONIS II.

De S. Franciſco Paulano

PUNCTUM I.

ACTUUM AMORIS FREQUENTIA.

SCENA I.

Franciſcus ſolus.

SIc faciam: fugiam, fugiam à Paula, à Patria procul, ubi me nullus homo inveniat! O homines, quantum à vobis impedimentum eſt commercii cum DEo meo!... Annum agebam ætatis tertium ſupra decimum, cùm imitaturus Sancti Præcurſoris exemplum in eremum me contuli, ut ſoli tibi, DEus meus, Amor meus, ut *ſoli tibi* vacarem! vix bienniô quies fuit: invenerunt me homines, & expulerunt. Inde in hac ſolitudine conſtiti: latui triennium ferè: ferè triennium hæc ſilva Paradiſus fuit. Sub anni quarti exordium ceſſant deliciæ: iterum turba hominum turbat; innotui: diu, noctúque nulla eſt quies: iterum in fuga ſalus. Et favet conſilio aurea nox! ſilete ſidera, nemini Franciſcum prodite!.. Quò fugiam autem? O chara ſilva! quàm difficulter à te avellor! recordor gaudiorum, quibus in te fruebar! annoſæ arbores, vos eſtis teſtes, quoties cantaverim hilaris magnalia magni DEI! & concinnebant mecum aviculæ, avésque, quotquot ſub his foliis cubant! vos ſcitis capreæ, hinnulíque, & cervi, quoties vobiſcum per circumſitos colles exultaverit ſpiritus meus in DEo ſalutari meo! vos etiam ô ſtellæ, quoties vidiſtis Franciſcum (*ſive cum corpore, ſive extra corpus, neſcio*, 2. Cor. 12.) evolantem ad vos: ibi quæ *admiratio* fuit audientis *arcana verba, quæ non licet homini loqui!* quis *Amor* fuit intuentis

tuentis Dominum *ſedentem ſuper Cherubim*, Pſ. 98. *& caligo ſub pedibus ejus!* Pſ. 17. Quis ſtupor? quæ volùptas? quæ gratulatio conſiderantis potentiam, ſapientiam, divitias veri Salomonis, & ordinem miniſtrantium, & aulæ magnificentiam! Ah! quoties *non erat ultra in me ſpiritus* præ magnitudine gaudii de gaudiis illius, quem amo! O homines! homines! quoties importuno ſtrepitu abrupiſtis lætitiam!... Et hem! iterum oſtendit ſe homo: tegite me bonæ latebræ!

SCENA II.

Coſentius. Balthaſar.

Coſentius. HEus tu! quisquis es!.. nam cur fugis imprudens? audi!.. abiit homo. Pace mea, pernoctet ſub dio: mihi ſufficit, quòd caſam inveniam; ſaltem quieſcere à diuturnis erroribus licet: lux matutina infelici Theſeo Ariadne erit in hoc labyrintho. *Balth.* Tandem felix ſum: eremicola m certè hæc cella loquitur. *Coſ.* Quis huc ſe movet? *Balth.* Juvate me Superi! Coſentium video. Domine! *Coſ.* Amice! nam niſi fallor, Balthaſar de Spino es tu. *Balth.* Ad obſequia. Sed Paulanum quærebam. *Coſ.* Niſi ex fama, non novi hominem. Illius hæc habitatio eſt? *Balth.* Exiſtimo: nec enim alius hoc nemus incolit, quem ego ſciam. *Coſ.* Vidi juvenem viatoris habitu, qui ùt conſpexit me, exterritus in ſilvæ interiora ſe abdidit. *Balth.* Viatoris habitu? cœlum nolit, ut effugiat mihi! *Coſ.* Ipſum credis? *Balth.* Quem alterum putem? *Coſ.* Graviſſimum ſit negotium oportet, quod conficere hoc noctis tempore velis. *Balth.* Errantem à via tenebræ oppreſſerunt. Cæterùm ut in Coſentium inciderem, quis caſus tulit? *Coſ.* Similis error fuit, qui perſequentem hinnulum in avia huc adduxit à meis longè. *Balth.* Sapientiùs vocabimus DEI conſilium: certè rem bonam præſagit animus mihi.

SCENA

SCENA III.

Franciſcus. Coſentius. Balthaſar.

Franciſcus. ITa, ita: DEI conſilium fuit, Domini, ut hìc conveniretis, & tu quidem, qui Sacerdos es, ac Jurium Doctor Balthaſar de Spino, ut auctoritate, atque prudentia; tu verò, Coſenti, qui opibûs polles, ut pia liberalitate juvetis negotium, quod DEus volet. *Balth.* Quis es tu? *Coſ.* Et unde tibi notitia eſt noſtri nominis, conditionis, facultatum? *Franc.* Equidem non decebat, Balthaſar, Sacerdotem ita laicè veſtitum incedere: vanitatum amorem hic habitus loquitur, & mundum olet. Sed quoniam Epiſcopus juſſit perſonam tegere, ut facilius explorares mores Paulani, excuſo factum. *Balth.* Superi! vos prodidiſtis me? *Franc.* Tui verò verè me miſeret, Domine, qui poſtquàm ſummo manè ingreſſus es ſilvam cum ſtrepitu famulantium canum, ac hominum, denique ſub noctem deſertus à tuis, vacuus prædâ, fatigatus, & famelicus ſubſidium à miſello eremicola poſtulas. O DEus! hæc vita ſæculi eſt laborioſa venatio, quæ demum in bombum, & fumum deſinit. *Coſ.* Non malè ſpes noſtras deſcribis. Sed nunc tecum agimus: nunquid Paulanus es? *Franc.* Certè Paulæ ſum natus. *Balth.* Et Franciſcus vocaris? *Franc.* Vocor Franciſcus, ſed non ſum Franciſcus! Franciſcus inter Seraphinos altiſſimam ſedem habet: O ſedes omnibus deſideriis deſideranda, quia ſedes Amoris eſt! *Coſ.* Verùm age, cur fugiebas inclamantem me tibi? *Franciſcus.* Homines odi, homines fugio, propterea videtis accinctum itineri, ut longiùs ab hominibus abeam. *Balth.* Homines odiſti, homines fugis! an non ipſe es homo? *Franciſcus.* Etiam meipſum odi: utinam poſſem fugere! *Coſentius.* Cur igitur ultrò rediiſti ad nos? *Franciſcus.* Fugavit odium, charitas revocat, & DEus. *Coſentius.* Pugnantia videris loqui: nam quomodò odiſſe, & amare eos-

dem

dem potes? *Franc.* Odi, cùm *auferunt* mihi DEum, amo, cùm *referunt*. *Balth.* Ecquod igitur est vitæ genus, quod profiteris? *Franc.* Solitudo delicias facit: beata solitudo, imò vera beatitudo! *Cos.* Homo animal sociabile est: naturæ opponitur solitudinis amor. *Balth.* Minimè solus sum, cùm maximè solus sum, tunc enim cum DEO sum. DEUS & EGO, nos duo sufficimus, ille mihi, quia amo, ego illi, quia amor. Ah! DEUS & EGO, quàm jucunda societas sumus! *Cos.* Enimverò jucunda societas foret, si sicut te DEus videt, ita tu DEum videres. *Franc.* Atqui sicut ille me non utique oculis corporis videt, sed intellectu, ita ego ipsum video oculis mentis armatis per fidem. Quanquam neque hi oculi nihil vident: equidem stat Dilectus meus *post parietem*, non rarò tamen *respicit per fenestras*, & *prospicit per cancellos*, Cant. 2. *Balth.* Non tibi negabo, quod dicis; sed unde honestè, atque sine tædio totos dies te occupes, non percipio. *Franc.* Nisi me homines turbent, ecce! hic ordo diei est: dormio, lego, canto, edo, bibo, ambulo, garrio, & iterum dormio. *Cos.* Profectò compendium vitæ jucundum exhibes. *Balth.* Compendium vitæ otiosæ, & sibi, mundóque inutilis! non persuades, ut credam. Sed quia jam divinâsti, cur adsim, in virtute obedientiæ, quam Episcopo debes, cujus personam ago, præcipio tibi, ut vitæ methodum ex ordine mihi referas: testis verborum ut sit Cosentius, rogo. *Cos.* Attentè audio; nam mihi sincera simplicitas placet. *Franc.* Et mihi obedientia præ mille victimis. Quid vis, ut narrem? *Balth.* Quot horas dormis? *Franc.* Tres concedo somno corporis, somno animæ quaternas, senas, quandoque denas etiam, ùt variè sopor Divinus tenet. *Balth.* Somno animæ! quid est somnus animæ? aut quis dormire Spiritum unquam dixit? *Franc.* Tu es Doctor Jurium, & ignoras, quid sit juris DEo in jura Spiritûs? *Somnus corporis* actiones sensuum, & functiones animales, *somnus animæ* intellectûs, & voluntatis operationes suspendit, etiamsi

corpus vigilet. *Cos.* Rem novam audio. *Franc.* Audite plura: nam vel audire ingens voluptas erit. Cum somno somnia immittit DEus admiranda, plena mysteriis, & suavitatibûs, quas, nisi qui est expertus, capit nemo, refertissima. *Balth.* Et scilicet exposita illusionibus, milléque fallaciis. *Franc.* Ex fructibus dignoscuntur. Si Divina sunt somnia, intimam sibi DEI præsentiam intellectus non jam credit tantùm, sed experitur (ô verbum dulce!) intellectus experitur, & voluntas matrimonium spirituale contrahit, quô conjungitur *Dilectus meus mihi, & ego illi*, Cant. 2. Ita, amici, ille mihi, & ego illi! ego illi! inde alacris evigilo; & sicut somnus vires carnis plùs quàm cibus, potúsque reficit, ita si à contemplatione surgo fortior, vegetior, promptior ad agendum, & patiendum, quæ DEI sunt, magis quàm à precibus ordinariis: jam cessat metus illusionis, triumpho, plaudo, psallo, atque adeò alteram diei partem cantui tribuo. *Cos.* Ego nunquam memini me sic dormisse. *Franc.* Homines, Cosenti, homines hunc somnum auferunt, solitudo affert. *Balth.* Rem narrâsti, serio dignam examine. Et quæ deinde cantum occupatio excipit? *Franc.* Lego ambulans, & legens garrio, & feracissima lætorum affectuum garrulitas est. *Balth.* Legis, qui nuspiam librum habes, imò quem audio, ne quidem litteras didicisse? *Cos.* Garris, ubi nemo est, qui respondet? paradoxis nos implicas. *Franc.* Liber, ô viri boni, *liber unus* totus mundus est mihi: in hoc libro non tam oculis, quàm *auribus* lego, & de his, quæ lego, *cum mutis* garrio. *Cos.* Liber est mundus: auribus lego, cum mutis garrio: Franciscе, sic loqui est ludere! *Balth.* Utrumque vides pendere ab ore tuo: quousque ambiguis verbis trahis? *Franc.* Plana sunt omnia. Eja! arrigite aures!.. non auditis, quid *stellæ* dicant? ah! quàm admirabili concentu enarrant gloriam Domini! .. quæ fixæ sunt, *pleno choro*, Planetæ autem singuli *voce sola* concertantes conclamant: *Quàm magna est domus DEI, & ingens locus possessionis ejus!* Baruch. 3.

Ingens

Ingens locus, locus elegans, aureus locus! .. & *infernus* num mutus est? imò applicate animum: audietis vocem tonitrui in rota per circulum repetentem, quòd sit Dominus *terribilis in consiliis super filios hominum.* Ps. 65. Quanquam quid opus est sive ascendere, sive descendere: quacunque ambulo, multiplex clamor insonat: ACCIPE, REDDE, CAVE! Clamat *Ignis*: ex voluntate Creatoris ego te foveo, cùm friges, ego tibi coquo, cùm fames, ego lucem fero, & diem de nocte facio, cùm indiges: ACCIPE BENEFICIUM! sed & REDDE OBSEQUIUM! tene præcinctos lumbos, & *lucernas ardentes* in manibus tuis! secùs si feceris, CAVE SUPPLICIUM! ignis qui fovit, qui coxit, qui luxit tibi, æternùm uret! .. Quòdsi ad fontem me fero, clamat *Aqua*: ego servio tibi ad munditiem, ad refrigerium, ad navigationem, ACCIPE BENEFICIUM! tuum est omissis cisternis dissipatis solum fontem aquæ vivæ requirere: REDDE OBSEQUIUM! si rivulos secteris, effunderis *ut aqua*, non creşces, in lutum desines: CAVE SUPPLICIUM! .. similia monet *Aër*: ego te refrigero, per me respiras, loqueris, moveris, vivis: ACCIPE BENEFICIUM! sed & utere ad finem, propter quem vivis, aspira ad DEum tuum: REDDE OBSEQUIUM! væ suspiriis, quæ tendunt ad infima: spem cœli suffocant: CAVE SUPPLICIUM! .. *Terra* autem quocunque verto me, garrulitate multiplici jam reconditas divitias montium, jam ubertatem agrorum, jam hortorum delicias, jam nemorum amœnitatem prædicans ecce, inquit, omnia mea tua sunt: ACCIPE BENEFICIUM! sed lauda potentiam, quæ fecit me, æstima sapientiam, quæ sic ordinavit, ama bonitatem, quæ sic ornavit, REDDE OBSEQUIUM! abutenti bonis meis in Factoris injuriam parata est *terra tenebrosa, & operta mortis caligine, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*: CAVE SUPPLICIUM! ... *Cos.* Paulatim capio, quòd possis cum mutis loqui. *Balth.* Et sine libro legere, estque sine dubio utilissima lectio. *Franc.* Sed ne-

que opus est extra me vagari: omnia, quæ *intra me* sunt, laudant nomen Domini, & *omnia ossa mea*, atque hæc admirabilis structura corporis, multóque magis obstupescenda colligatio Spiritûs immortalis cum carne corruptibili dicunt mihi: *Domine, quis similis tibi?* Ps. 34. Heu! quàm surdi sunt homines, qui hos clamores non audiunt! & quàm cæci insuper, qui te, mi DEus, in tuis creaturis non vident! Mihi, ô Amor, in singulis obvias! mihi ex singulis clamas: VOLO, UT INVICEM AMEMUS! Domini, *liquescit* in gaudiis anima mea, quoties sic audio loquentem mihi! sic pascor in hoc deserto! sic delicior! & quanquam corpus ex solis herbis, & aqua vivat, animus tamen *quotidie splendidè epulatur.* Verùm hem! quò me suavitas rapuit! propè ut oblitus sim charitatis! subite tuguriolum hospites: parabo cænulam fessis: coctæ radices, modicum salis, & si fortè piscículi quidam ex præterlabente rivulo se mihi captivos dabunt, opiparè vos reficient. Si tamen alteruter querelis stomachi ex macra mensa non satisfecerit, ipse sibi adjicere obsonium potest in apophtegmate, quod familiare fuit Divo Patrono meo: *Si non habes satis, memento paupertatis! Balth.* Vade! facis, quod sancta Charitas suadet: plura sciendi occasio non ideò eripitur mihi.

SCENA IV.

Balthasar. Cosentius.

Cosentius. ME verò, Amice, ita refecit discursus hic, ut jam nec fames urgeat, nec fatigatio, aut somnus vexet: dum vivo, simile expertus sum nihil. Tu verò siles? fatere potiùs, Balthasar, fatere: nunquid cor nostrum ardebat in nobis, cùm talia viris juvenis loquebatur? *Balth.* Enimverò major est sapientia hominis, quàm rumor, quem audivi: DEus cum ipso est. *Cos.* Sanctus est: neque (quales nos nobis fingimus, qui virtu-

virtutem confundimus cum melancholia) absurdus Sanctus: didicit comitatem probitati adjungere: odit homines, & amat simul; hoc temperamentum paucis commune est. *Balth.* Illis solis, qui in homine DEum amant, quod est christianè amare, non ethnicè tantùm. Sed me primus Paulani occursus attonuit. *Cos.* Rectè advertis. Neutrum de facie noverat: tamen vix visos suo quemque nomine compellavit, unde, & cur adesset, explicuit, nec obscurè cœlitùs se esse monitum significavit, ut ex fuga hominum rediret ad homines, quorum opera sibi esset futura utilis *ad certum finem.* Profectò mihi sic comparatus est animus, ut promptus sim ad quodvis obsequium: honorat me DEus meus, si utitur ex beneplacito Servi sui. *Balth.* Mirificum sermonis exordium fuit; sed me simplex obedientia, quâ Episcopi personam in me coluit, multò affecit teneriùs. Vix umbram imperii conspexit, quàm alacriter arcana sua, ne quidem testem veritus, expositit mihi? quàm sincerè rationem vitæ omnem enarravit? *Cos.* Et, ô cœli! qualis vitæ! si Angelus indueret carnem, num aliter viveret? *Balth.* Ego exemplô captus sum, & cupio imitari. Vah! nondum homo vigesimum annum ætatis attigit, nunquam vel primos litterarum apices didicit, nullos Doctores Sanctitatis audivit: & suspicio in summo vertice altissimæ contemplationis plaudentem sibi: quàm grandis mihi facienda est via, dum illuc evehar!.. nimirum, qui ubi vult, spirat, maturè Franciscum per compendia viarum duxit, dum ego lentè ambulo per ambages. Via brevissima ad perfectionem est VIA AMORIS: ô si hanc iviſſem, quantos pridem reliquissem post me! nunc ferre debeo, quòd præcucurrerit pænè puer, ac ne quidem abecedarius. *Cos.* Utilis comparatio. Est tamen, quod doceri velim, Amice: ecce tota ferè occupatio Franciſci *in frequentandis affectibus Amoris* se versat: credíne potest, tanti esse hos actus DEo, ut pretium præ actibus quibusvis alterius virtutis habeant? profectò administratio justitiæ, quâ publica

ſcelera,& ſuum cuivis jus vindicamus; fortitudo, quâ pro patriæ bono, aut fide jurata Principi vitam & ſanguinem fundimus; prudentia, quâ regendæ Reipublicæ ſtrenuè invigilamus; temperantia,quâ intra decori limites coërcemus tumultuantes affectus; miſericordia, liberalitas, magnificentia, affabilitas, ſolertia, virtutes videntur, quæ multò & ſplendidiùs, & utiliùs formant virum, quàm iſtæ teneritudines faciant: age, erroneum hoc judicium putas? *Balth.* Certè ſi à charitate hæc virtutum exercitia ſepares, erroneum eſt, quia judicio DEI, qui ſolus errare non poteſt, contrarium: nam quæ tu enumerâſti glorioſa facinora, *nónne & Ethnici faciunt*, quin tamen ſpes præmii ullius in cœlo ſit? nempe homo *in externa ſpecie* figit oculos, *DEus cor intuetur:* inde judiciorum contrarietas venit. Virtutes, quas *morales* vocamus, *naturam* perficiunt: tribuunt, ut ſis bonus homo, bonus civis, bonus Princeps: verùm ut ſis *bonus Chriſtianus*, Theologicæ virtutes exiguntur, *Fides, Spes, Charitas, tria hæc: major autem horum eſt Charitas.* 1. Cor. 13. Eò quòd Fides ſerviat, *ut poſſim*, Spes, *ut velim* amare, Charitas autem non ordinetur ulteriùs, ſed animam ſuo principio, & fini conjungat. Sequitur, quòd Charitas *Regina virtutum* ſit: & tu facilè concludes, actus virtutis nobilioris meritò apud DEum in pretio majore eſſe, quàm ſint actus aliarum minùs nobilium, ſaltem niſi & ipſos Charitas imperet; imperat autem, imperat illuſtriſſimos actus, neque in ſuis quieſcit, ſed quando ſe offert occaſio, aut DEus impellit, alacriter virtutes famulas ad opus excitat; atque ita denique hominis perfectio *in perfectione Amoris* conſiſtit. Certa doctrina eſt ex Apoſtolo: *Si Charitatem non habuero, nihil ſum.* 1. Cor. 13. Utinam ſicut *ſpeculativè* pridem perſpexi, etiam *practicè* tenuiſſem! *Coſ.* Suboritur aliquid luminis: ut ſerviam DEo, ideò me fecit DEus, ideò homo ſum, ideò vivo. Actus vitæ meæ alii ſunt liberi, alii naturales, & neceſſarii: *per neceſſarios* non aliter DEO ſervio, quàm elementa, bruta, & plan-

plantæ ſerviunt: *quod vult DEus*, & ipſæ faciunt, ſed non faciunt, *quia vult.* Mihi data eſt facultas liberi arbitrii, ex cujus uſu poſſum non modò obedienter acquieſcere ordinationibus, quas AUCTOR NATURÆ conſtituit, ſed etiam accommodare me legibus, & beneplacitis, quæ DOMINUS SERVIS promulgat. *Balth.* Rectè diſcurris. Jam verò dic mihi, per quos *Actus liberos* DEO ſervimus? *Coſ.* Utique non per alios, niſi quos agimus PROPTER DEUM? quis enim me dicet ſerviiſſe Regi Tartarorum, cujus causâ nunquam vel pedem, vel manum movi? *Balth.* Itaque neque habes, quod ſperes, mercedis quidpiam *ab illo Rege*, quantoscunque labores per vitæ tempus ſuſceperis, quæcunque pericula ſubieris, quascunque virtutes exercueris; dicet enim Tartarus: præmiet te, cui laborâſti! propter me egiſti nihil: itaque nihil debeo. Vides in hoc exemplo, quàm meritò DEus nullam virtutem æſtimet, niſi quam *propter ipſum* exerces? agere autem *propter DEum* quid eſt, niſi agere ex Charitate? itaque anima virtutum eſt Charitas: & ſine hac illæ cadaver ſunt. *Coſ.* Jam plenâ luce ſe veritas mihi exhibet, & ad mærorem. Unum adhuc ſe dubium movet: actus Amoris, in quibus vidimus exerceri Paulanum, ferè *meri affectus* ſunt: tantine ſint? *Balth.* Nimirum DEus, Coſenti, alios vult occupari *circa ſe*, alios *propter ſe*, plerosque mutatis vicibûs, modò *circa ſe*, modò *propter ſe*: quodlibet vitæ genus ſuam laudem meretur, ſummam illa, in qua ſummus eſt amor: menſura amoris menſura eſt meriti. Verùm qui ſe diu, uti Paulanus, occupat *circa DEum*, & ſcilicet *in actibus Amoris elicitis*, hunc ſuæ induſtriæ fructum habet, quòd deinde, cùm res poſtulat, facillimè exerceat *imperatos*, & ſe occupet *propter DEum*: didicit ex creaturis ſcalam conficere, per quam aſcendit, & deſcendit, cùm lubet, quin unquam à DEO abeat. *Coſ.* Tandem videor mihi intelligere aliquid de iis, quæ vidi. Vis dicere: Franciſcus non ceſſavit ſervire DEO, etiam cùm ſervit nobis.

bis. *Balth.* Rem dicis. Et fallor? an lautam homini cœnam imperavit amor, tam longas ut trahat moras? per te ſi liceat, explorabo, quid agat.

SCENA V.

Coſentius Solus.

QUod lubet, age: me rerum omnium, & omnis vitæ faſtidium tenet acerbum, grave. Coſenti, vixiſti annos quinquies omnino denos, ſemper vegetus, & viribus valens, & vitæ genus, cui occaſiones rem gratam præſtandi DEO nunquam deerant: euge! quot annis ſerviiſti DEO? imò quot menſes numeras, aut dies ſaltem? horam ſubinde aliquam, Domine (memini) conſecravi Religioni, verùm & ipſam ah! quàm frigidè, quàm nihil amans! *Multa tuli, fecique:* ſed quæ fuit omnis ſive patientiæ, ſive laboris mei origo, quis finis? *origo* vitium, aut natura fuit, *finis* aut ſcelus, aut vanitas. Cupido placendi mortali Principi, commodandi meæ familiæ deſiderium, libido ſatisfaciendi meis cupiditatibus, ambitio honoris, ac titulorum, ſpes lucri, amor licentiæ, denique nugæ nugarum fuerunt anima tot motuum, quibûs me, & alios conturbavi. Hachorâ ſi ſiſterer ſupremo Judici, quid reſponderem interroganti? age, quid totâ, quanta fuit, vita *laborâſti*, aut quid *paſſus es* PROPTER ME? nempe obmuteſcerem miſer, & coopertus confuſione, ſi non mali, certè ſervi pigri ſententiam trepidè expectarem; ita, quæ debebant eſſe *ſcala cæli* creaturæ, *ſcala inferni* forent. Huc me malorum *mali amores* traxerunt, amores rerum pereuntium, vanarum, futilium. Stultitia gravis! quid enim amas in creaturis, cùm amas, Coſenti? formam amas? DEus eſt pulchrior: opes amas? DEus eſt ditior: munificentiam amas? DEus eſt liberalior: virtutem etiam ſi amas, qui

Sanctus

Sanctus Amor est, DEus infinitè est sanctior, DEus super omnia! vah! amores, amores mei quò exerrâstis!

SCENA VI.

Cosentius. Balthasar.

Balthasar. AD cœnam te voco, Domine, ad cœnam, quâ nullam unquam sapuisse tibi dulciùs, certum est mihi: nam Amor Divinus condivit. *Cos.* Quid sibi hæc præfatio velit? *Balth.* Brevis sum: audi attentè, mera prodigia loquar. *Cos.* Loquere. *Balth.* Cùm discessi à te, Franciscum reperi in mentis excessu: cubitum totum elevatus in aëra hærebat sine motu, ardente vultu, corde interdùm extrudente altum suspirium. *Cos.* O felix conditio animæ amantis DEum! *Balth.* Diu attonitus hæsi in aspectu, & vix non cum ipso in extasi: tandem ad se rediens lentè subsidit in terram. Vix viderat (hem novum prodigium) prô! exclamavit, propè parandæ cœnæ oblivio subiit. Cucurrit, curro simul: stetimus ad rivulum in vicinia, vocat ille pisciculos: accelerant turmatim: nudis manibûs senos ipse comprehendit, & sinu concluſos ad focum defert: iterum prodigium! *Cos.* Narra citò! *Balth.* Non ignis, non pruna, non cinis, non lignum aderat: arripit ollam Franciscus, pisculos injicit, affundit aquam, quam ùt vix extremô digitô tetigit, incipit illa continuò calefieri, stridere, ebullire: momentô pisciculi cocti sunt: ad hanc cœnam invitamur.

Cos. Omnibus Regum mensis pretiosior est: citò imus. *Balth.* imus.

(o)

CHORUS.

Chrysopœia Divini Amoris.

Microcosmus, sive Homo. *Mercurius* mendax Alchimista, sive amor lucri. *Chrysopœus* verax, sive Amor DEI.

*Microcos.** JO! *dives sum, & locupletatus,*
Et nullius egeo! Apoc. 3.....
Vive Mercuri! tuo artificio
Hanc omnem opulentiam debeo.

* In numerando auro suo occupatus.

ARIA.

Quantus sum, tantus sum
A Chrysopœia:
Eja!
Phœbe, mirificum
Lauda Mercurium!
Ars princeps artium
Est Chrysopœia!
Ars verè aurea
Lucri } *ambo*: ditissima
Chrysopœus ex angulo. Fumi }
Est Chrysopœia.

Chrysop. Vah! dicis: *dives sum, & locupletatus,*
Et nullius egeo!
Et nescis, quia tu es miser, & miserabilis,
Et pauper, & cœcus, & nudus! ...
Hoc dicit Dominus:
Ecce sto ad ostium, & pulso:
Scio opera tua,

Quia

Quia neque frigidus es, neque calidus:
Utinam frigidus esses, aut calidus!
Sed, quia TEPIDUS es,
Et nec frigidus, nec calidus,
Incipiam te evomere ex ore meo! Apoc. 3.

Microcos. Tu quis es,
Qui tantum mihi nuntias malum
A Domino?

Chrysop. Missus sum, ut liberem te
A mendace Mercurio.

ARIA.

1.

Insanis,
Quem labor fatigat inanis!
Spe modici lucelli
Non potest vir prudens impelli,
Ut vano rabulæ
Sacrificet sua, & se.

2.

Quid aurum?
Quid coacervâsse thesaurum
Juvabit moriturum,
Et illas in terras iturum,
In quibus *numinis*
Vilissimi nulla est vis?

Microcos. Quid dicas, non intelligis:
Meus, quem laboro, non est labor sterilis.

Chrysop. Quæro, cui sit utilis?...
Ajo, quòd fructus tui laboris
Sit *aurum spurium*,
Cui nullum in cœlo est pretium.

Microcos. AURUM SPURIUM!
Adsit ipse Mercurius, & refutet convitium.
Mercur. Vah! video inimicum Amorem!
Chrysop. Persequor,
Ubicunque affectas Divinum honorem:
Fraudes detego, vilem facio.
Microcos. Heu me! si *pro auro spurio*
Fodiendo, coquendo, cudendo
Miserè consumpsi me!
Mercur. Futilem metum unà cum inepto homine
A te abige.

ARIA.

1.

Cur audis blateronem?
Sub specie Amoris
Ad odium laboris
Extimulans, hypocrita
Ingeminat suspiria,
Fingit *religionem*:
Cur audis, blateronem?

2.

Vetabit *laborare*:
Orando occupabit,
Orantem delectabit:
Hac arte te decipiet,
Ad incitas te rediget,
Et coget mendicare.

Chrysop. Ex more suo mentitur Mercurius.
Non odit AMOREM LABORIS
Amor Cælicus,
Imò *imperat* seriò,

Ne

Ne tempus malo malè perdas in otio.
Sed hoc ago, hoc urgeo,
Ne labores *ſine operæ pretio*:
Volo, ut *ab igne*, quem nutris perpetuò,
Prodeat *aurum ſolidum*,
Non ſpurium.

Mercur. Iterum repetis infame convitium?

Chryſop. Provoco ad experientiam.
Eja! bone vir,
Redde flammis hanc maſſam auream:
Ego folles animabo:
Niſi tota in fumum abeat,
Reus ſim de mendacio.

Microcoſ. Optima propoſitio!

Mercur. Et tu, ſtolide,
Tanti non metuis theſauri periculum?

Chryſop. Si *verus* eſt, non timet incendium.

Microcoſ. Benè habet: fiat probatio!

Mercur. At ego, ingrate, ecce! te defero.

Microcoſ. Superi, quid video? * * Exhibitio.

Chryſop. Aurum vides in auras evaneſcere,
Unà cum ipſo impoſtore Mercurio.

ARIA.

1.

Ecce hoc habes, qui te, *non per me*,
Demens in gravibus
Vexas laboribus:
Videris lucrari,
Videris ditari:
Subitò cares re omni, & ſpe!

2.

Scilicet fallit te *noxia nox* :
Manus fictitiis
Implet divitiis :
Inanes videbis,
De fraude dolebis,
Somnum cùm galli excuſſerit vox.

Microcoſ. Heu! repentè ex ditiſſimo
Pauperrimum me video!
Homo inſipiens, cur credidiſti Mercurio?

Chryſop. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum,*
Ut locuples fias. Apoc. 3.

Microcoſ. Quomodò poſſum emere, qui nihil habeo?

Chryſop. Eme *Amoris pretiò.*
Ama DEum, & fac, quod vis.
Sic, quidquid facies, cum lucro facies,
AURUM facies.....
Amor, Amor veri eſt *ſemen auri:*
Amor eſt *lapis Philoſophicus,*
Veræ Chryſopœiæ peritis probatiſſimus.

Microcoſ. Quid igitur jubes me agere? clariùs edoce!

Chryſop. Age, quod egiſti, NON ALIUD,
SED ALITER,
Et nempe, quod hactenùs egiſti EX MORE,
Age deinceps EX AMORE.
Hæc eſt doctrina *aurea,*
Hæc certiſſima CHRYSOPOEIA.

Microcoſ. Ah! cur ſerò adeò
De arte tam nobili audio?
Amice, quot dies, menſes, annos perdidi
In labore *inutili!*

Chryſop. Non eſt nullum malo remedium:

Tepo-

Teporem excute,
Et Amoris *fervore* amissum tempus redime.

ARIA.

1.

Microcos. Anni, menses, dies, horæ
Vano actæ in labore
Ah! redite,
Estis vitæ
Pars peractæ maxima!
Chrysop. Ama! Amor aurum dabit:
Quod quem diem inaurabit,
Unus valet sæcula:
Sic jacturam repara!

2.

Microcos. Totâ vitâ laboravi:
Et pro cœlo quid paravi?..
Chrysop. Talis vita,
Nunquid vita?..
Microcos. Quæstio gravissima!...
Chrysop. Sed jam ama, & amando
Hanc jacturam repara!

PUNCTUM II.

AFFECTUUM INTENSIO.

SCENA I.

Franciscus. Balthasar. Cosentius.

Cosentius. ENimverò quasi micas de mensa cœlesti cadentes apposuisses, ita mihi hæc cœna sapuit. *Francis.* Agamus

mus DEO gratias! *Omnes.* DEO gratias! *Franc.* Bonus est, mihi credite, bonus est Dominus, & liberalis, & suavis diligentibus se, modò *toto corde* diligamus. *Balth.* Vis dicere, modò cor totum occupemus *in Amoris affectibus*, sine dissipatione in alios. *Franc.* Hoc volo, & *vita affectiva*, dico, quòd sit *mater lætitiæ spiritualis*, illius lætitiæ, quæ exuperat omnem sensum, quæ spiritum quidem dulcissimè afficit; sic tamen, ut non rarò se diffundat in corpus, quam experiri possumus, explicare non possumus. *Cosentius.* Fallor! an hodie aliquid ex hac lætitia delibavi? certè cui hactenùs ne de nomine quidem nota fuerunt spiritûs gaudia, modò solatia percipio, quibus vel æqualia, vel similia totâ vitâ non sensi. Credere incipio, quòd decipiamur turpiter, quicunque credimus, vitam proborum esse obnoxiam melancholiæ, virtutíque se dedere, nihil esse aliud, quàm ad obligationem perpetuæ tristitiæ se ultrò damnare. *Balth.* Potuit hæc opinio ingenerari animis per hypocritas, aut per ineptos Ascetas quosdam, qui ut sanctitatis studium præseferant, spectrorum malunt, quàm Angelorum faciem induere. Atqui Apostolo teste: *hilarem datorem diligit Deus*, 2. Cor. 9. unde colligo, quòd agat cum servis suis, sicut paterfamilias cum operariis, quibus non solùm sub vesperum datur denarius, sed etiam sub meridiem prandium apparatur. *Franc.* Hic sensus bonus est, & ego plus dicam: dico, quòd Deus *punctum honoris sui* in hoc collocet, quòd habeat servos *alacriter* obedientes sibi, vultúque ac gestibus palàm præseferentes lætitiam animi gratulantis, quòd optimam partem elegerint, cùm servire DEO potiùs, quàm mundo decreverunt. Qui sic ingreditur, ut credas mancipium videre te pistrino inter Saracenos addictum, herúmque barbarum, & scorpiones intentantem perpetuò expavescens: cujus pallore funereo squallet facies, horrent crines, caperatur frons, rigent oculi, stupet lingua, pectus palpitat, quíque totus imaginem attoniti refert: quid putatis, an iste honori est DEO? hôc animô

mô, tali vultu vos famulum ferretis in servitio vestro? *Cosent.* Imò infamari domum, & Dominum credimus à servorum tristitia. Attamen hoc scimus, quòd Sancti ultrò à sensuum deliciis sese abstrahant, & vitam agant in angustiis, in egestate, in solitudinibus, in vigiliis, in jejuniis multis, in plagis supra modum: hæc vitæ methodus quomodò non excludat lætitiam, hoc miramur. *Franc.* Excludit utique lætitiam vitiosam, stultam, vanam, puerilem, animalem: sed lætitia sana, solida, sancta, vera non potest cum amoribus aliis, nisi cum Amore DEI componi. Itaque, bone vir, non equidem tripudiamus, non ludimus, non cachinnamur, non epulamur, non venamur, non gaudemus in sonitu cytharæ, non habemus *delicias vestras*, sed nec desideramus; sed spernimus insuper, sed habemus *delicias alias*, ALIAS habemus, & tripudia nostra sunt exultare in Domino, cachinni nostri ridere vos, epulæ nostræ contemplari Divina, venatio nostra in creaturis venari DEum, nostra musica DEum laudare, DEO plaudere, gratulari, jubilare. *Cos.* Sublimior est hæc Philosophia, quàm ut à quovis capiatur. *Balth.* Ego videor mihi intelligere lætitiæ modum, quam sic extollis. Nimirum uti alia sunt gaudia parvulorum, alia juvenum, alia virorum, ita tu doces alia esse hominum sensualium, alia spiritualium. *Franc.* Utique alia, & talia nempe ùt sicut vos, qui estis viri, ridetis gaudia puerorum, neque quisquam vestrûm vellet jam, quod olim fecit, ludere par impar, aut equitare in arundine longa: ita qui spiritûs gaudia gustavit, ei desipiat omnis caro; experitur nempe, quàm sint ista illis nobiliora. *Gaudia sensuum* enim nunquam satiant, citò desinunt, & si durant longiùs, fastidiuntur, sic, ut ne Salomon quidem aliud in illis invenerit, præter vanitatem, & afflictionem: illíque, qui postquàm diem combusserunt in stultitiis, hodie dicunt: *heri læti fuimus!* nihil aliud dicant, quàm quod dicere subinde æger solet: *hac nocte somnia jucunda habui!* aut quod dice-

ret vitulus, si loqui posset, postquàm in pinguibus pascuis horis aliquot lascivivit. Sed gaudia spiritûs sic satiant, ut tamen semper magis sitiantur, idémque qui dicit: *satis est!* simul clamet: *amplius, Domine, amplius!* sic veniunt, ut non abeant, nisi velis, atque cùm voles, redeant: sic afficiunt, ut nunquam fastidium ferant. *Balth.* Hìc verò vide, ne hallucineris, Francisce; nam ego scio, nihil in hac vita æternum esse, nihil non obnoxium mutationi; multi hoc Sancti questi sunt, & ipsum Sanctum Sanctorum audivimus ingemiscentem: *tristis est anima mea!* *Franc.* Domine, pro me respondet Apostolus, qui Sanctos describit nobis *quasi tristes, semper autem gaudentes.* 2. Cor. 6. Semper, (audis?) semper gaudentes; nimirum quia deficere quidem potest exundantia gaudii, sed non ipsum gaudium: cessare potest gaudium hominis inferioris, non item superioris; tolli potest gaudium *sensibile*, non verò gaudium *rationale*, nisi quando ultrò cessas amare DEum, atque adeò abrumpis unionem cum eo, cui adhærere bonum est. Ita in ipso Christo tristitia cum lætitia eandem animam occupavit: sed nempe uti lux, & tenebræ eundem involvunt globum terraqueum, attamen in hemisphærio non eodem. *Cosentius.* Verùm non est remedium, quod ejusmodi fastidium pellat? *Franciscus.* Non est præsentius, quàm oratio: ideò ipse Dominus tristitiæ tempore *prolixiùs oravit*, & omninò consolationem exoravit sibi ministratam ab Angelo. Nempe ne vos quidem cibi suavitatem sentitis, nisi cùm applicatis palato; applicatio mea oratio, & contemplatio est: per hanc Amoris objectum, quod dulcissimum est, unitur animæ, & in unione dulcedo sentitur vel minor, vel major, prout illa vel strictior erit, vel laxior. Itaque quidquid applicationem impedit, quidquid distrahit contemplationem, suavitatem Amoris confundit. Habetis causam, cur homines fugiam: & jam tempus est, valete! priusquàm diescat, hinc abeundum est mihi. *Cosentius.* Abeundum? & quorsum? *Franciscus.* Ubi me

nullus

nullus homo inveniat. *Balthasar.* Franciſce, ſalvâ obedientiâ, quam Epiſcopo debes, non ibis hinc: juſſus ſum explorare, quæ ſit vitæ methodus tibi: expectare, cùm retulero, quid de te Præſul ſtatuat, juberis tu. *Franciſcus.* Boni Superi! quod malum audio? nunc ſi quid hoſpitioli titulô mereor, utrumque obſecro, ut ſitis Patroni mihi. Homines me hìc repererunt, homines quotidie turbant, liceat mihi homines fugere. *Balthaſar:* Tibi ſoli non vivis, & ſi reperiſti theſaurum in hac ratione vitæ, ut cum aliis quoque communices, CHARITAS imperat. Sunt, qui petierunt à Præſule facultatem adhærendi tibi, & in hoc loco profitendi contemplationis exercitamenta, Magiſtro te: recedere licebit paululùm, & deliberare, quod velis reſponſum à te, ut Epiſcopo feram. *Coſentius.* Et quidnî ex ſtapede ſententiam, Paulane, dicas? ego enim, quanquam parùm frequentaverim Amoris ſcholam, tamen nihil credo errare me, ſi dico: *parùm te amat, DEus, qui, cùm poteſt, non curat, ut plures ament.* *Franciſcus.* Prô! quale auguror malum mihi? cùm fugerem à vobis anteà, juſſit reverti Dominus, & hoſpitibus miniſtrare, qui in negotio momenti magni futuri mihi auxilio eſſent. Jam ſic juvatis? juva me: DEus mi, ne à te abſtrahar!

SCENA II.

Balthaſar. Coſentius.

Balthaſar. ABjit: ſinamus ſolum cum DEO agere. Tibi, Domine, pro amicitia communico conſilium cordis mei: primus ego diſcipulus Paulani ero. *Coſentius.* Doctor diſcipulus? *Balthaſar.* In ſcientia Sanctorum ego puer ſum, ille Magiſter eſt. Proſpicio gaudia, quæ mihi in hac eremo ſub hoc magiſterio paravit DEus: docebor amare, & TOTO CORDE amare! O doctrina omnibus doctrinis potior! *Coſentius.* Reſolutio heroica eſt, quam ego non laudare modò, ſed etiam imi-

tari velim: nam si cogito, cur homo sim, video utique, quòd hæc via rectiùs ad cœlum ducat, quàm ducit mea. Sed quid faciam? uxor & familia tenent: captivus sum. *Balthasar.* Non omnes ad summam perfectionem Amoris vocavit DEUS: etiam qui ex toto corde est Amor, magis & minùs capit: quisque amet, quantum, atque quoties pro ratione statûs potest, & semper magis, magísque amet, ita præcepto satisfiet. *Cosentius.* Faciliùs hoc dicis, quàm facias, in conditione positus, in qua tot amores contrarii oppugnant pectus; non vivimus in eremo. *Balthasar.* Haud dubiè difficiliùs in loco ventis pervio servatur ignis. Sed quis prohibet, quò minùs etiam tu tibi eremum struas perpetuam unam, alteram inhabitandam ad tempus, & per vices? *Cosentius.* Non te percipio satis: quid vis, ut faciam? *Balthasar.* AMA, ET FAC, QUOD VIS! *Cosentius.* Breve præceptum loqueris, sensum explica. *Balthasar.* Multiplex sensus est, quilibet ad usum bonus. Dico: AMA! hoc est, exerce frequentes, & intensos Amoris actus; ita extingues amores malos, & ignem consumes igne. Dico: *fac, quod vis!* neque hac voce laxare licentiam volo, sed coërcere; Amor enim faciet, ut nihil velis, quod amato displiceat, ne veniale peccatum quidem, multóque fortiùs, quàm *timor* retrahit, quippe cujus objectum remotum est nimis. Dico: *ama, & fac, quod vis:* amans enim quidquid facit, hilariter, ac sedulò facit, bene facit. Dico: *ama, & fac, quod vis*, addo: & *quando vis*; ora, cùm vis, sed *ama*, & *benè* orabis: labora, cùm vis, sed *ama*, & *sine tædio* laborabis; animum recrea, cùm vis, sed *ama*, & nunquam limites honestatis aut *tempus*, aut *modus* excedent. Ita cor semper in eremo versabitur, solíque se DEo affiget. *Cosentius.* Verum dicis, si quis *vitæ Amoris* assueverit. Sed! *Balthasar.* Assuescès autem, si interdum diem unum, aut alterum te à tumultibus mundi subducens solitarius contemplationi vacaveris. *Cosentius.* Sic est, & bonum consulis: sic quantum licet, vos imitabor.

Eja!

Eja! fac, ut institutum, Amice, Episcopus probet: ecce area, in qua stamus, mea est, vestra sit: accommodate usibus vestris, & meis. *Balthasar.* Liberalis es: Franciscus quid de hoc consilio judicet, audiemus.

SCENA III.

Franciscus. Cosentius. Balthasar.

Franc. AMici! *Cosentius.* Superi! quis subitò splendor micat! *Balthasar.* Hem! CHARITAS! *Franciscus.* Vicistis! imò CHARITAS vicit! jam patior, quos fugi, homines! adeste omnes! utinam eodem, quo ego igne ardeo, accendere omnes possem. *Cosentius. Balthasar.* Primos accende nos! *Cosentius.* Ego mea! *Balthasar.* Ego meipsum addico tibi! *Franciscus.* Utrumque CHARITAS habeat, BEATA CHARITAS!

MEDITATIO III.

Diliges ex tota mente tua. *Marc.* 12.

S. FRANCISCUS SALESIUS.

ARGUMENTUM.

AMOR AFFECTIVUS, qui cor occupat, si sincerus est, sterilis esse non potest; unde si quis dicat: TOTO CORDE se DEum diligere, an verum dicat, cognosces *ex fructibus*, & scilicet *ab examine*, an etiam diligat *ex tota mente*, *ex tota anima*, *ex tota virtute*, puta *per omnes*

potentias ſuas; nam cordis nomine *voluntas* appellatur, & per mentem *intellectus*, per animam *appetitus*, per virtutem *ſenſus corporei*, *vires*, *vita ipſa* intelliguntur: ſúntque iſti actus, atque gradus AMORIS AFFECTIVI ab amantis *voluntate* imperati. Hodie ſiſtemus *in gradu primo*, qui eſt EX TOTA MENTE DEUM diligere, ſive *nihil diligere* SUPRA DEUM, ſed DEum *ſuper omnia* appretiare. Illuſtre, & heroicum hujus Amoris exemplum S. FRANCISCUS SALESIUS præbuit, cùm adhuc Philoſophicis ſtudiis Lutetiæ Pariſiorum vacaret. Multùm eo tempore ex Calvini hæreſi de prædeſtinationis myſterio Gallia turbabatur; Saleſius neque per ætatem, neque per litteras tunc par erat diſcutiendis argumentis, quibûs ſententia Catholica impugnabatur: itaque uſus eſt occaſione tentator, & in diſpiciendis callidi hoſtis artibus nondum verſato juveni planè perſuaſit, ut crederet, ſe *ex reprobis* eſſe, quibus nulla ſit ſpes ſalutis. Triſtiſſima opinio ſic diu exagitavit miſellum, ut inquies animi etiam in corpus furens, pallorem vultui, membris maciem, viribus languorem pænè fatalem aſpergeret. Sed vicit denique timorem Amor verè EX TOTA MENTE conceptus, & nihil appretians SUPRA DEUM, ne quidem ſalutis propriæ, atque totius æternitatis negotium. Saleſius enim, cùm angores ſuos Deiparæ, cui devotiſſimus erat, quereretur, repentè ſenſit animari cor ad magnanimam reſolutionem, quam *Hiſtoria vitæ* his verbis expreſſit: *Quandoquidem eò infelicitatis deveni, ut in vita altera Domino DEo ſim carituras ſummè amabili: ſaltem quamdiu verſabor in terris, enitar pro viribus, ut eum diligam ex toto corde meo, & ex intimis præcordiorum affectibus*! A tam generoſa audacia victus hoſtis malignus continuò in fugam ſe dedit, diſcuſſáque repentè caligine rediit menti malacia, & vigor corpori: Amori verò tantum robur acceſſit, quantum graviſſimi labores deinceps poſt ſuſceptum cum Patris conſenſu ægrè impetrato Clericatum pro DEo exantlati, atque ærumnæ usque ad mortem

for-

fortiter toleratæ abundè probaverunt. Erit igitur hujus Meditationis

Materia: S. Franciscus Salesius de sua reprobatione anxius.
Puncta duo: 1. Tentationis atrocitas.
2. Tentationis victoria.
Fructus. Primus Amoris gradus: *nihil amemus* SUPRA DEUM!
Propositum. Statuamus DEum *etiam austerum* amare? ita fiet Amoris *probatio*, & inter nulla adversa deficiemus, neque cùm vita ipsa periclitabitur.

PERSONÆ.

S. Franciscus Salesius Philosophiæ Parisiis studens.
Franciscus de Sales Sancti Pater.
Deagius, ejus Moderator.
Meranus Famulus.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad præsentem.

Fides. Ratio.

Ratio. * SUperi! ubi fui? .. & ubi sum? ..
Heu! à quanto repentè excidi gaudio!
Disparuerunt Thaborea spectacula,
Amoris miracula! ...
Ah! quàm jucunda occupatio
Est contemplatio! ..
Nemo, nemo, nisi expertus, potest capere,
Quàm suave sit, DEum diligere.

* Ratio ab extasi redit ad se.

ARIA.

ARIA.

1.

O DEus!
O mihi omnia DEus!...
O ſi te homines nôſſent!
O ſi cor tuum inſpicere poſſent!
O ſi viderent, audirent, guſtarent,
O ſi olfacerent te,
Si tangerent te!
Quàm te ferventer, quàm purè amarent!...
Nunc, vix intelligent me,
Si loquar de te!

2.

Caliginis tuæ ſi lucem declaro,
Si myſticum cœli ſilentium narro:
Occulto de manna ſi plaudo,
Odores ignotos ſi laudo:
Extaſes, oſcula,
Raptus, Sponſalia
Si jacto de me:
Qui audiet me,
Vah! dicet: inſanis,
Qui talia canis!

Fides. Siccine? tu, poſtquàm *guſtâſti, & vidiſti, Quàm ſuavis ſit Dominus*, Pſ. 33.
Se amantibus:
Hìc ſedens in otio indulges affectibus?

Ratio. Eſt dulce otium: ſine, Soror,
Sine me in ſinu Amantis requieſcere.

Fides. Satìs eſt, ſatìs datum contemplationis illecebris,
Satìs Amoris deliciis!

Omnia

Omnia tempus habent:
Est tempus amplexandi,
Et tempus longè fieri ab amplexibus! Eccl. 3.
Habet Amor *sua otia*,
Sed & habet *sua negotia*,
Habet *labores*, habet pugnas, *& prælia.*
Quid? *solum cor* tu vis Amori sacrare? ...
Atqui *per omnes potentias* juberis amare:
Toto *corde*, tota *mente*, tota *anima*, totis *viribus*:
SIC prorsus, SIC DEUS DILEXIT TE:
SIC TU DEUM DILIGE.
Circumspice!.... * Exhibitio.
Nunquid, qui animi *gaudium* extremis angoribus,
Qui *libertatem* truculentis lictoribus,
Qui *famam* infestis tribunalibus,
Qui *sanguinem* flagrorum cruciatibus,
Qui *vitam* propter te tradidit crucis doloribus:
Nunquid *tota mente* amavit te,
Nihil appretians SUPRA TE? .....
Et qui *reliquit omnia*, ut sibi assereret te:
Nunquid *totâ animâ* amavit te,
Et nihil PRÆTER TE? .....
Et qui pro te *pedes* fatigavit per itinera,
Manus extendit ad prodigia,
Oculos ad lacrymandum adhibuit,
Linguam prædicando exercuit,
Nec, ubi fessum *caput* reponeret, habuit:
Nunquid *tota virtute*,
Nunquid SINE MODO amavit te? ...,
Ecce! hoc est Amoris *affectum* per *effectus* probare,
Hoc verè, hoc solidè, hoc sincerè amare.

ARIA.

1.

Quàm facile eſt, dicere:
O DEus, ego amo te! ....
Quod dicitis, probate:
Splendore quòd ſpurio
Illudat aurum oculo,
Per ignem demonſtrate.

2.

Affectus veſtri pectoris
Eſt, ſicut radix arboribus:
Et hæc, & ille latet:
Quod utriusque meritum,
Quis uſus ſit, quod pretium,
Ex ſolo fructu patet.

Ratio. Omnino, bonum eſt conſilium:
Probabo me, Amor meus, utrùm ſic amem te,
SICUT tu amâſti me!

Fides. *Per gradus* ingredere! non enim licet volare.
Sufficit, ſi hodie examines te:
An Amor tuus *ſuper omnia* DEum appretiet?
Sive, an ejusmodi ſit,
Ut nihil audeas SUPRA DEUM diligere?
Hoc eſt enim EX TOTA MENTE diligere.
Quòdſi aut, ut obtineas bonum, quod cupis,
Aut, ut effugias malum, quod metuis,
Non horres DEum offendere;
Jam utique intelligis,
Quòd hoc ſit TEIPSAM *ſupra DEum* diligere:
Inſpice, ſeverè te inſpice!

Ratio. Hem! quæ lux terrifica ſubitò
Infundit ſe animo?

Repen-

Repente evanuit omnis consolatio,
Et trepidè incipio dubitare de me,
An unquam dixerim seriò:
O DEUS, EGO AMO TE! ...

ARIA.

1.

Age, loquere cor meum:
Nihil amas SUPRA DEUM? ....
Ah! Amor, quid amem præ te? ...
Tace lingua! tu cor meum
Tu, quæso, testare de re! ...
Quid mussitas? ...
Heu! hæsitas? ..
O triste examen pro me!

2.

Nam unde me probabo?
Quos *Fructus* Amoris monstrabo? ...
Hem! quæ credebar apici
Jam summo imminere,
Vix pedem montis attigi,
Et cogor hìc hærere
Ambigua in spe:
O triste examen pro me!

MEDITATIONIS III.

De S. Francisco Salesio

PUNCTUM I.

TENTATIONIS ATROCITAS.

SCENA I.

Deagius. Meranus.

Deagius. MErane! *Meran.* Vah! occursus infelix! *Deag.* Nam cur me fugis tu? *Mer.* Video me deprehensum esse. Sed nihil interest, si prodo mysterium, quod diutius occultum esse non potest. *Deag.* De quo mysterio tu loqueris mihi? *Mer.* Nempe de veste hac, quam sartor herì confecit denique, & hodie Salesius induet. *Deag.* Moderatore ignaro nova vestis parari non debuit, & cui fini? *Mer.* Talem se obvium Illustrissimo Domino Parenti feret, cujus in hanc diem adventus, te teste, decretus fuit. *Deag.* Expecto in horas: evolve sarcinam .... Juvate me Superi! novum luctum hic color nuntiat. Clericalis est habitus: Clericum se Patri Franciscus sistet? *Mer.* Ita constituit. *Deag.* In mortem affliget. *Mer.* Gnarum consilii? *Deag.* Unde? *Mer.* Ex filii ipsius epistola, per quam licentiam petiit acceptandi Beneficium à summo Pontifice, ne quidem de tanta gratia cogitanti oblatum. *Deag.* Obscura sunt omnia. *Mer.* Igitur narrabo per ordinem. Consiliis Joyosæ Capucini quantum tribuat Salesius, non ignoras. *Deag.* Et probo, quia virum delegit sibi heroicè sanctum, nec vulgaris prudentiæ. *Mer.* Hominis famosissimi exemplum Salesium

traxit

traxit in imitationis cupidinem. *Deag.* Vir erat Joyosa pacis, bellique artibûs longè clarissimus, ex aulæ proceribus ferè primus Regi ad invidiam charus; tamen cùm ad summam fortunam deesset nihil, repentè calcatis illecebris, ille sermonum, judiciorúmque humanorum contemptor, fugitivus à castris mundi, saccô vestivit se, & elegit in domo DEI abjectus esse potiùs, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Ipse suspexi actum dignum sanè nunquam interituris annalibus. *Mer.* Cum Joyosa igitur tractavit herus deliberationis de vitæ statu sapienter eligendo negotium? *Deag.* Suspicabar, nec erat, cur improbarem. *Mer.* Amore patriæ erroribûs inquinatæ decrevit Sacerdotio addicere se, atque ut in hunc finem firmaret animum, nuper in Sacello Deiparæ extra urbem, præsente me, votô perpetuæ castitatis se DEO adstrinxit. *Deag.* Probante Joyosa? *Mer.* Id nescio: hoc scio, quòd consilium suum continuò Patruo suo Gebennensi Canonico perscripserit. *Deag.* Et quid ille? *Mer.* Gavisus de sanctitate nepotis promisit, licentiam exequendi propositum se impetraturum à Patre. *Deag.* Actum aget: Primogenitum familiæ non patietur Parens dicari aris. *Mer.* Non erit tamen inexpugnabilis: Canonicus negotium non sine artificio egit. *Deag.* Audio. *Mer.* Commodè tunc Ecclesiæ Gebennensis Præpositura vacabat, dignitas ab Episcopo prima, & cui providere Pontifex debet: scribit Romam Patruus, & commendat cognatum, annuit Papa, Beneficium addicit Salesio. *Deag.* Mira narratio: nihil dubito, quin lateat in hoc eventu aliquid Divini consilii. Et gavisus est Juvenis de tanta gratia? *Mer.* Imò noluit acceptare: dicebat enim labores Sacerdotii ambire se, non honores. *Deag.* Mens digna Salesio! *Mer.* Sed rescripsit Canonicus: acquiescendum esse Divinæ Providentiæ honores offerenti nunquam desideratum: fore, ut sic ornatum Pater faciliùs manu mitteret: laboris materiam in Diœcesi ab hæresi, & vitiis passim corrupta etiam Præposito deesse non pos-

ſe, ſi voluntas adeſſet: abrumperet moram, & quanti ſibi eſſet Pontificis gratia, palàm ipſo habitu profiteretur, ne expectato quidem conſenſu parentum: cætera ſe curaturum. Hem cauſa, cur ignaro te iſta veſtis confecta ſit, nimirum ne tu fortè Patrui placitis opponeres te. *Deag.* Rem novam audivi, de qua gaudeámne, an angar, medius hæreo. Sed dum unum explicas, alteri dubio implicuiſti me magìs. Dic: à quo tempore adeò ſupra votum voti compos Franciſcus fuit? *Mer.* A prima notitia pænè jam menſis fluxit. *Deag.* Mirum! & nunquam aliàs triſtem, niſi hoc menſe Saleſium vidi: quæ cauſa eſt? fortè Pater jam negavit conſenſum? *Mer.* Reſponſum certè: hinc antequàm adſit Parens, ſtatuit ſe veſtire. *Deag.* Minimè ſuaſerim: intremus.

SCENA II.

Franciſcus. Deagius. Meranus.

Meranus. ECce orat!....* *Deag.* Nam quid hoc ſit? iterum deprehendo immerſum lacrymis, & fruſtra tergis oculos, Franciſce, à fletu turgidos. Jam macte animo! huc usque tuum tibi ſilentium nocuit: quod ignorat medicina, non curat: nunc poſtquàm detexi triſtitiæ fontem, facilè ſolatium erit. Habe tibi, quam adeò deperis, veſtem Clerici: non ſum contrarius ſancto propoſito, ùt tu putabas; potiùs, quod hodie ſcies, apud Patrem patronus ero, ut, quem adeò ardenter expetis, conſenſum impetres. Conſilium tantùm non probo tuum, & tu, ſiqua tibi adhuc Deagii reverentia eſt, nequaquam ſubibis Parentis oculos veſtitus aliter, ac ipſe velit. *Franc.* Ah! Domine Moderator, non eſt homo miſerior me! relinquite me mihi, obſecro, & lamentis meis: niſi à fletu, & precibus, auxilium

* Animadverſò Deagio Franciſcus lacrymas conatur reprimere.

xilium non erit mihi. *Deag.* Cor Patris in manu Domini est: flectet ad vota tibi, si ferventer oraveris: ora igitur, non impediam, ora! sed ut tristitiæ modereris, ora cum spe: spes non confundit: neque nactus Parentem es durum tibi, aut inexorabilem. Merane, depone sarcinam: imus! tristibus solitudo solatium fert. *Mer.* Here, egregia vestis est,& digna Præposito. *Franc.* Aufer ex oculis, quæso, aspectus cruciat. *Deag.* Relinque: nisi falsus sim vates, hodie indues, nihil invito Patre: hodie diuturnus luctus vertetur in gaudium, quod deinceps nemo tollet à te. Ora, donec adventus Patris ad pugnam evocet. *Franc.* Non habeo Patrem: infelix sum. *Deag.* Sic dolor loquitur. At Matrem habes: Maria Mater est! verte animum illuc: Mater restituet Patrem: ora.

SCENA III.

Franciscus solus.

ITa est: Pater me meus odit, dum me profani Principis servitio destinat: & Pater cœlestis abjecit, dum renuit à me amari. Ergò *geminum Patrem* amisi miser, neque tu misereris MATER Filii dupliciter orphani? ... Fallor! an Deipara quoque illos suos misericordes oculos avertit à me? ... inepta dubitatio est; nam cui DEus Pater esse cessavit, utique Maria Mater esse non potest! .. Horrenda res! quod licet omnibus, non licet Salesio dicere: *Pater noster, qui es in cœlis!* ... audite hoc muti parietes, sed nemini meam miseriam prodite! Franciscus Salesius (audite, & miserescite!) Franciscus Salesius est *infelix illa creatura, quæ DEum suum æternùm amare non poterit, & quam DEus suus æternùm amare non volet!* O calamitas! ô horror! ô supplicium immane, atrox, intolerabile! ... Salesi, *locus tormentorum* est paratus tibi! tibi ardet ignis tartareus, ignis, qui te involvet undique flammis devorantibûs carnem, populantibus ossa, cruciantibus

tibus viscera, exsiccantibus medullam ossium, in ipsum immortalem Spiritum rabie æterna furentibus: tremit animus vel ad memoriam tantæ calamitatis... Et tam gravibûs oppressus miseriis quid faciam? .. qui erunt damnati mecum, flebunt, scio, stridebunt dentibus, *ponent in cœlum os suum*, os impium, rebelle, sacrilegum: blasphemabunt DEum meum: ego!.. quid obmurmuras infelix anime?... quid? Franciscus Salesius damnatus cum damnatis DEum suum blasphemabit?... Salesius blasphemabit! ô vox, tristior tristissima æternitate!.. Sed hoc absit à me! hoc non fiet! sit mihi cœlum & terra testis, non blasphemabo! furat ignis, rodat vermis, frendeant socii, fremant diaboli, non blasphemabo; scio enim, DEus mi, quòd etiam *cùm austerus es*, quia semper justus es, semper sanctus:.... Verùm blasphemantes tamen necesse erit audire: dolorum impatientia, & rabidi dæmones huc adigent miseros: audiam! neque licebit corrigere! tormentum hoc est *amanti* omnibûs tormentis acerbius!... amanti, ita: sed tu errâsti, Salesi: nam tunc *neque tu DEum* amabis, *neque DEus te!* ecce redit amarissima cogitatio de tristissima conditione creaturæ, *quæ Creatorem suum æternùm amare non poterit, & quam Creator æternùm amare non volet!* Huc, infelix, huc redigeris..... Et quando? post mortem utique: *interèà* quid ages Franciscè? prô! ùt se mutavit animus ab uno mense! recordor principii: quâ horâ decrevi Sacerdos fieri, eâdem incepi miser esse: quocunque incedo, aures animi vellicat tristissima vox: *si eris ex numero Clericorum, eris ex numero damnatorum!* igitur hac veste indui, idem erit, ac inferno consecrari. Et si non induar, utique salvus ero? minimè gentium! nam primæ voci succesit altera, quæ dixit mihi: *Salesi, agere, quod libet, licet, nam ut esses inter reprobos, DEus voluit: lata sententia est, neque mutari potest!* Ergò si me ultrò ad labores, & curas damno, quas ista vestis exigit, & si Sabaudiam universam lucrabor DEo, quid me juvabit? heu! undique fluctus premunt!

SCENA

SCENA IV.

Franciscus. Deagius.

Deagius. RUrsus adsum: nam urget cura, ne mæror filii malè Parentem habeat. Ut succesſit oratiò? *Franc.* Non aliter ac pumex arui. Sed tu consiliô solari, Deagi, potes. Quæro: si abjecta veste Clericali acquiesco voluntati paternæ, num spes sit salutis super? *Deag.* Audio, deliberationis negotium cum Joyosa peractum esse: itaque si vocare DEum, dubitandi prudenter non est ratio, resilire à proposito, & retrahere ab aratro manum, res est periculi plena, postquàm verbis adeò apertis dixit Dominus: *qui amat patrem plùs, quàm me, non est me dignus*, Math. 10. *Franc.* Tinniunt ambæ aures ad hanc sententiam! verùm si vocationi paruero, num certa est salus? *Deag.* Nondum sanè: aliud enim est *ingredi* viam designatam à cœlo, aliud nunquam *aberrare*, donec teneas terminum: vigilare, & orare omnes jubemur, ne *filum prædestinationis* nostrâ culpâ rumpatur. *Franc.* Prædestinatio, horrendum mysterium! quid? si ego prædestinatus non sim? *Deag.* Nimirum facere debes, Franciscе, ut prædestineris. *Franc.* Illudis ignorantiæ meæ: atqui hoc intelligo tamen, quòd prædestinatio, aut reprobatio mea facta sit ab æterno; igitur quid ego in tempore faciam? *Deag.* Noli errare ex Calvini insania; loquamur rectè: *prædestinationis initium*, puta, *præscientia*, & *selectio* gratiarum, per quas operaberis salutem tuam, æterna fuit, ita est: sed *prædestinationis perfectio*, sive complementum, quod in illarum gratiarum *usu successivo* consistit, utique à te liberè *in tempore* ponitur: dubitas? *Franc.* Declarari responsum vellem. *Deag.* In exemplis veritas velut in meridie splendet. Aliquibus DEus ab æterno opes, honores, longam vitam destinavit: nunquid? *Franc.* Certè, nihil enim fit casu, aut sine consilio DEI: ita me fides docet. *Deag.* Iisdem *ad hos fines* providit *de idoneis mediis*, de loco, de tempore,

de occasionibus lucri, unde ditescerent: de libris, de Doctoribus, de Patronis, à quibus promoverentur: de victu, de commodis, de Medicis & medicinis, per quas valetudinem vel servarent, vel repararent: atque hoc decretum *de mediis* nunquid rursum DEI fuit, & æternùm fuit? *Franc.* Negari non potest. *Deag.* Applicatio autem, sive *usus mediorum* cujus est, aut quando est? *Franc.* Jam lucem aliquam nocti infers. Nimirum hominis est initium beneficii sibi ab æterno præparati per usum mediorum complere in tempore. *Deag.* Rem tenes, & stultescere dicemus eum, qui solâ DEI præscientiâ fretus vellet *sine labore* locupletari, *sine cura* proficere, *sine medicina* sanari. Idem ergò in materia salutis sentiamus, scilicet: quòd nemo *nisi volens* damnetur, nemo *sine sua cooperatione* salvetur. Sed quorsum divagaris, Salesi? veniet tempus, cùm annis, & scientiâ auctior doctrinam Catholicam expendes profundiùs, & propugnabis. Nunc hæc est quæstio: an, postquàm Roma ornavit te dignitate Præpositi, de vocatione ad Clericatum primùm incipias dubitare, an potiùs in executione vocationis contra genitoris voluntatem aliquid hominis persentiscas? Certè hoc videbaris innuere, cùm interrogares, an sine animæ detrimento posses parere Patri. *Franc.* Non, Deagi, non dubito, quin Clericum me DEus velit; sic enim amo animas, ut amare illas nemo videatur mihi, *nisi JEsus, & ego.* Aufer à Sacerdotio omnes reditus, tolle honores, & titulos, nulla relinque commoda; tamen ambiam, modò spem lucri animarum non auferas: non tibi hic ambitus dignus est, ut originem à cœlo habere putetur? *Deag.* Habet, quia & sanctus, & prudens est, quippe conjunctus cum spe prudente, quòd desiderio respondere fructus conveniens possit. *Franc.* Sed neque renitentia Patris valde angit: cedet, si ego non cedam; novi indolem viri, & amorem virtutis: *unum onus officii* terret etiam Angelicis humeris formidandum. Quid, si opprimar? quid? si, *cùm aliis prædicavero, ipse repro-*

reprobus efficiar? quousque autem dissimulo vulnus, quod animum torquet? quid dico: si efficiar reprobus? audi me, Deagi, imò vide me, obsecro! *Deag.* Quid vis, ut videam? *Franc.* Fatere: non tu notas damnationis æternæ legis in ista fronte? *Deag.* Prô Superi boni, quid iste garrit? *Franc.* Hem! vultum avertis? nempe diriguêre oculi in funesto aspectu hominis reprobati à DEO! miseret me tui, vir bone! infelix Moderator es, quippe qui Juvenem educaveris, *qui DEum in æternum amare non poterit, & quem DEus in æternum amare non volet.* O curas malè collocatas in me! Domine, plus tibi, quàm Parentibus debeo; illis debeo, quòd homo sim, tibi, quòd huc usque bonus homo! functus es *Moderatoris* officiô cum perfectione: jussus eras *moderari* mores, studia, recreationes meas, & habes grati animi causâ fatentem palàm: *mores* à te didici, quorum cultura DEO, & hominibus me amabilem reddidit: *Studiis* te duce sic me addixi, ut semper labor in amore, otium in odio fuerit: *recreationum* usus te vigilante nunquam in noxios abusus degeneravit: vinum, venerem, & iram te adhortante assuevi fugere, horrere, triumphare; denique ad regulas *sanæ rationis*, & *sanctæ fidei* formare omnes actiones meas, præcipuè verò *Amores meos* ei, qui solus amabilis est, uni consecrare ab infantia tu docuisti: gratias habeo, optóque, ut possim æternas reddere. Sed actum est, eheu! separabimur Amice, separabimur in valle Josaphat, & tu quidem curæ pro me tuæ præmium expectans inter oves à dextris stabis: Salesius autem à sinistris inter hædos stans videbit te in corona Sanctorum, fremens ac tabescens, quòd ejectus sit à Societate eorum, *qui DEum suum æternùm amabunt, & à DEO suo æternùm amabuntur!* Ecce! huc denique fructus industriæ desinet, quam sterili arbori impendisti Colonus infelix: *excidetur, & ignem mittetur! Deag.* Franciscе! quæ te intemperiæ agunt? egóne unquam sic sentire, sic loqui te docui? *Franc.* Noli de me affligi, chariſſime Moderator! justus est Dominus,

& rectum judicium ejus etiam cùm projiciet me à facie sua! tu lauda hanc justitiam, æternùm lauda, etiam pro me, cujus vox à vocibus blasphemantium obruetur. *Deag.* Turbâsti me. Nam egóne seria esse ista lamenta credam? *Franc.* Crede mihi, verè unus ex reprobis sum! Eheu! ex illis unus, qui DEum æternùm amare non poterunt, & quos DEus æternùm amare non volet! *Deag.* Deliras miser, & helleborô potiùs, quàm consilio indiges: tace! impero! neque posthàc verbum de ista stultitia loquere. *Franc.* Obedio, & sileo: at flere saltem per te licebit? *Deag.* Quid dicam? jam mihi cor in curis est quoque, & oculi in lacrymis natant. *Franc.* Fallor! an miseriæ gravitas tandem miserationem concivit? *Deag.* Iterum garris? jámne oblitus es, quod dixi anteà: *nemo damnatur nisi volens:* num vis damnari? *Franc.* Ah! nolo utique, damnabor tamen! reprobavit me DEus! ita mihi hic animus loquitur. *Deag.* Maligni serpentis sibilum audis: aures obtura. Ego DEum laudo, quòd tandem adegerit te, ut loquereris: tu disce, quantùm noceat Juveni imprudens silentium, & *cura latendi.* Jam pænè mensem integrum video te ambulare in tenebris tristem, turbidum, inquietum: nunquam veram mæroris causam narrâsti requirenti sollicitè satìs: ita invaluit malum, & lentiùs fortè medicina vim exeret. Nunc age, quod tempus postulat, & intemperiem saltem dissimula Patri; ad hilaritatem compone vultum, & comitate, quâ decet, excipe venientem. *Franc.* De Patre non sum anxius: erit hilaris, cùm audiet, quòd consilium Clericatûs abjecerim. *Deag.* Quod audio novum malum? consilium abjecisti, de quo dixeras, quòd non sis dubius, quin sit Divinum? *Franc.* Homini reprobo, ut suscipiat Sacerdotium, nec tu suadebis. Nunquam Sacerdos damnatur solus: semper comitantur, quos vel per scandalum, vel per acediam secum à DEO abstrahit. Ego, quia pereundum est, malo perire solus, quàm cum multis. *Deag.* Ecce per caudam se prodit draco; ut vocanti DEO tergum ver-

verteres, perſuadere tranquillo non potuit: turbavit, vicit, ſuccumbis. Miſerrime Adoleſcens! adeóne una tentatio totum evertet ædificium ſummæ ſpei, quam cœlum, & terra de te concepit? Enimverò incipio credere, quòd ad marginem inferni ſtes: adhuc impulſu eſt opus, & in abyſſo jaces. Fides, ſpes, charitas, omnia periclitantur: ultrò te adjunges numero animarum infelicium, *quæ DEum ſuum æternùm amare non poterunt, & quas DEus ſuus æternùm amare non volet.* *Franc.* Ah! erras, Deagi, erras; nam idem amor, quô amo DEum, & SUPRA DEUM nihil amo, idem adegit me, ut, quantùm herì deſideraveram Sacerdos eſſe, tantùm hodie horream, eò quòd horridius nihil videatur, quàm Sacerdos damnatus: judica, num malè horream? *Deag.* Malè utique, quia non eſt ſapientis mutare ſententiam, cùm perturbatus eſt animus; ſerena ſit mens oportet, ut benè judices. Jactas amorem DEI: non datur amor, qui ſpem excludit; datur enim præceptum ſpei, quam ſi tu abjicis, utique ſimul amorem abjicis, qui voluntatem obſervandi præcepta in ſe includit? vide, quò te adigat reprobationis opinio: reprobus eris, niſi opinari deſinas, quòd reprobus ſis. *Franc.* Heu! in quas anguſtias coarctas animum! *Deag.* Nihil ſuſpiria juvant: pugnandum eſt, & vincendus *contemptu* dæmon, *conſtantiâ* Pater: delibera, obedire num velis. *Franc.* Utinam poſſim! Et tu abis? *Deag.* Ira, & miſeratio abigunt, miſeratio erga miſerabilem, ira adversùs pertinacem.

SCENA V.

Franciſcus ſolus.

JAm verò vide, quò te vertas, Franciſce! deſertus à DEo, & hominibus es! inter homines Pater, & Deagius huc usque fuêre chariſſimi: jam Pater perſequitur, Deagius fugit; quò abis? ominoſæ voces ſunt: *ira, & miſeratio abigunt, miſeratio erga miſerabi-*

ferabilem, ira adversùs pertinacem! pertinacia in Juvene reprobationis est signum, & incorrigibilitatis initium, sæpè audivi. Novum argumentum mæroris habeo, & imminentis exitii, in cujus margine me stare ne ille negavit quidem, qui me solari volebat: ideò miserabilem prædicavit. Quid? si Joyosæ me sisterem? scilicet etiam illum ira, & miseratio à me avertent, quia ego Medico animæ tamdiu texi morbum, qui me affligit, donec incurabilis fieret. Supereſt, ut ad Cœlites fugiam! Sed cui bono? si reprobus sum, nunquid Cœlitum aliquis pro me intercedet? Mater!.. Domina!.. Patrona!.. Advocata! opitulare Salesio cum infelice æternitate luctanti!.. non opitulaberis?... heu! torpent omnia: nulla vel tenuis solatii scintilla micat. Ergò scinde pectus dolor, & invisam cœlo animam expelle citò!.. Imò ignosce cœlum! erravit lingua! aliter loqui decet Domino, cùm sim pulvis, & cinis!... *nónne subjecta erit DEO anima mea?* Erit, benè habet: & si reprobationis sententia lata est adversùm me, lata sit: hoc vel damnato Salesio solatium erit: scire, quòd non à tyranno, sed à DEo justo & sancto damnatus fuerit. Verùm ô triste solatium!... heu! mæror elidit animam!.. Quid ago autem? sic mærentem, nisi caveo, Parens opprimet. Fugere ex his ædibus juvat: inveniam angulum, ubi securè lacrymer. O cœli! ænei cœli! videre Salesium sic afflictum potestis, quin liquescatis?.. Lamentum ridendum tamen! nam quid cœlum ad me, & ego ad cœlum?... terra, terra, terra, tu loquere, an feras hominem, qui sit miserior me!.....

SCENA VI.

Pater. Deagius. Meranus.

Meranus. HEre!.. here!.. quorsum abscessit homo?.. etiam cubile vacat ab incola... *Pater.* Maturè debebat

Pater

Pater per Moderatorem moneri. *Deag.* Clàm me rem omnem filius cum Joyosa peregit. *Mer.* Domine, nuspiam Franciscus comparet: exjisse domô pallium & pileus, qui absunt, testantur. *Pater.* Oculos subire paternos num timet? *Deag.* Certè conturbatus animô videtur, atque Patri an DEo obediat, miserè hæsitans. *Mer.* Veluti de consensu paterno certus jussit occultè has vestes confici: posteà ex tuo ad epistolam silentio, decretóque huc itinere territus in mærorem se dedit. *Pater.* Consolabor; nam etsi tenerrimè afficiar filio tantæ spei, non tamen is sum, ut contradicere DEo velim, si ereptum familiæ asserere sibi velit: Dominus est. Verumtamen discutiendum maturo examine consilium est, utrùm illud juvenilis impetus, an Divinus instinctus peperit. Inquire fugitivum Merane, bonóque animo esse jussum hìc siste mihi. *Deag.* Non potest abjisse longiùs. *Mer.* In aliquo templo reperiam certè. *Pater.* Pro mea in te fiducia, Deagi (nam quòd talis sit Franciscus meus, tibi post DEum debeo, tuæque curæ: & amavit me cœlum sanè, quod filio de tali Moderatore providit,) explico tibi animi mei motus, quos litteræ pro licentia Beneficium Pontificium acceptandi supplices excitaverunt. *Deag.* Gratiam facis, Illustrissime vir: nam me Salesius de hoc argumento in hanc diem celatum voluit; credo, quòd crederet, me Patri potiùs adhæsurum, quàm sibi. Hodie exhibuit se demum, neque integrum tamen, neque, ùt apparebat, in proposito firmum satìs. *Pater.* Scripsit ita, ut juvenismi non nihil epistola referat, sic tamen, ut Spiritus DEI rexisse manum videatur: sic orditur: *Illustrissime Domine Parens! Philosophicis studiis proximè finem impositurus, venio ad te supplex, ut licentiam impetrem ad Theologica transeundi: Equidem tu, Pater, ut Jurisprudentiæ me dederem, imperâsti, quòd cupias, ut tuis insistens vestigiis ad tuenda jura patriæ, ac Principis nostri idoneus redderer: sed ego, cùm semper ita animum scientiis addixerim, ut illarum adminiculô jura DEI mei pernoscere tota virtute contenderem: in dies magis, magisque*

gisque perspicio, quòd quàm multi, quàm seduli, quàm strenui Sabaudi sunt in propugnandis juribus Ducis, tam ubique jura DEI violentur impunè, præcipuè in Provinciis, quas schisma deformavit. Deag. Astutè per ambages aggreditur. *Pater.* Paulatim ad rem accedit. *DEus ex Dialecticæ placitis describi potest, quòd sit terminus, & extremum omnis cupiditatis humanæ: inde est jus herile, vi cujus mancipium, quidquid lucratur, hero debet: quantis igitur injuriis DEus impetitur, quando omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ JESU Christi? Quòd DEus sit auctor naturæ, in Physica didici: sequitur, quòd jus proprietatis rerum omnium ad DEum pertineat, neque homines aliud nisi Emphyteutæ, & vasalli sint DEI: ergò, ô Cœlites, quàm latè crimen feloniæ grassatur, quando homines passim bonis DEI contra DEum abutuntur!* Deag. Acutè advertit, & piè. *Pater.* Pergit: *Metaphysica deinde me docuit, quòd DEus sit ens à se, ex quo prædicato prærogativa independentiæ nascitur: quantæ igitur contumeliæ inferuntur ab iis, qui ordinationibus Divinis obmurmurant, ipsámque providentiam velut ad reddendam decretorum rationem ad suum tribunal citant? Jurisprudentia verò DEum esse Regem regum, & Dominum dominantium nunquid fatetur? læsæ ergò Majestatis enorme crimen committunt, quotquot quemcunque hominem plùs timentes quàm DEUM displicere Domino non horrent, modò placeant servo. Denique à Theologia DEum audio nomine summi Boni describi: concludo, quòd ei summo jure summus Amor debeatur: & quis reddit, quod debet? quis appretiat super omnia? quanti propter pugillum hordei, & fragmen panis amorem suum à DEO aversum creaturæ affigunt?* Deag. Profectò gravissimi sensus etiam in stylo juvenili se movent. *Pater.* Jam propiùs accedit ad rem. *Domine parens, ego DEum non considero tanquam extraneum Principem, cujus jura me æquè nihil afficere debeant, ac jura Regum Chinæ, aut Persiæ: absit! meus est Dominus, & illius injuriæ omnes sunt meæ: singulas acerbissimè sentio, & quantum in me est, abolere, vel si sanguine & vitâ conatus constat, ardentissimè cupio.* Deag. Superi! quis det, ut in hunc finem

litte-

litterati omnes Studiorum laborem consecrent! *Pater.* Sequitur supplicatio: *Desideriis tam piis cùm non alius magìs, quàm Sacerdotii status feliciùs subserviat, per Amorem, quô uterque DEO adstringimur, supplico tibi, Pater, ut pace tua huc aspirare tuo Francisco liceat. Memento* (nunc adverte animum, quàm me fortiter stringat) *memento Pater, quòd Pater sis quidem, sed non Dominus filiorum tuorum; depositum sumus: DEO debemur. Tu, si apud te Sabaudiæ Princeps tres gemmas deposuerit, nunquam audebis dicere: adamantem familiæ dono, smaragdum Ecclesiæ consecro, carbunculum ad gladii mei splendorem destino! nimirum excipere Princeps posset: festinalentè, vir bone, meæ sunt gemmæ, non tuæ: quid ego velim, audire à me debebas, non pro tua voluntate statuere.* Deag. Ad rem similitudo mirificè facit. *Pater.* Epilogum audi: *Jam verò, quòd impulsus, quô ad Sacerdotium feror, á DEO sit, probat finis, quem intendo, confirmavit Joyosa, quem ipse æstimas, Christi Vicarius gratiâ non expectatâ declarâsse est visus, id quod ex Patruo non sine admiratione audieris. Vale, & propter Amorem DEI votis meis citò responde!* Deag. Domine, digitus DEI has litteras scripsit. Ut tamen negligas nihil, quod in hoc negotio humana prudentia potest, suadeo, ut cum Joyosa potiùs, quàm cum filio consilium ineas. *Pater.* Rem bonam suades: duc statim! novi virum: sanctitas, & prudentia consilium bonum dabunt. Deagi, velut si Isaacum ab Abrahamo victimam sibi cœlum peteret, ita cor meum in me tumultuatur; si tamen petat, habeat: non mihi, sed cœlo genui. *Deag.* Sic cœlum utrumque amet!

CHORUS.

Stultitia animæ seipsam supra DEUM Amantis.

Homo Viator. Philautia, sive Amor sui. Amor DEI.

Viator. DUx optima! ex aliis in alias me trahis delicias.
Sed hìc juvat paulò diutiùs conquiescere,
Et frui amœnissima scenæ pulchritudine.

Phil. Fruere, & judica, quàm nequiter te decipiant
Homines misanthropi,
Qui vitam præsentem
Valli lacrymarum comparant,
Heracliti perpetui.

Viator. At me sic afficit ista regio,
Ut (nam cur dissimulem?)
Si DEus daret æternùm hìc vivere,
Cœlo possim carere facilè.

ARIA.

Terra mihi sufficit:
Terræ bona video,
Tango, & olfacio,
Cœli bona nescio:
Bonum, quod non capio,
Animum non afficit:
Terra mihi sufficit.

Amor Dei. Superi! quid audio?
Nunquid ad præsepe, si loqui posset,
Idem audiremus ab asino?
Homo stolide!

Nulla

Nulla tibi est judicandi facultas,
Nisi sensus, & imaginatio?
Nihil de cœlo loquuntur Fides, & Ratio?

ARIA.

Sancta superbia
Hominem occupa!
Discat, in quantas creatus sit spes:
Discat à corpore
Mentem distinguere:
Animal, anima duæ sunt res.
Animal obviis
Lætum in pascuis
Cubat, volutat, exaturat se;
Alia pabula
Esurit *anima*:
Anima! sidera gemmant pro te!

Phil. Sidera, sidera nimis à nobis remota sunt:
Tu fruere bonis, quæ propè sunt.
Viator. Utinam essent perpetua!
Sed, quidquid relucter, omnia turbat gaudia
Identidem animo se obtrudens cogitatio:
Quàm diu sic? &, *quid posteà?*

ARIA.

I.

O mea cythara!
Hodie melos suavissimum sonas:
O læta silvula!
Hodie caput hôc myrto coronas:
Hodie amat me

Omni amore amabilis ſors:
Cras, heu me! heu me!
Omnia vertet implacida mors.

2.

Pro carmine dabitur leſſus,
Pro myrto me cinget cupreſſus,
Succedet putredo, & cinis:
Hic erit lætitiæ finis,
Hæc ſortis meæ ſors,
Implacida mors!

Amor Dei. Superi! tales iſte ſuas eſſe delicias intelligit,
Et tamen præ perpetuis eligit!
Homo miſerrime!
(Nam quouſque peregrinantur aures tuæ à me?)
Tandem audi me, & ſequere!
Dux ero tibi per Amoris ſemitas
Ad delicias infinities meliores,
Et inſuper perpetuas. * * Exhibitio.

Phil. Quid audio? quid video?
Ad has tu nos invitas ſemitas?
Heu! quàm arcta eſt via,
Et quàm aſpera!
Rupibûs undique, & ſpinis obſita!
Inſuper infamis
Ab horrendis caſibus plurimorum,
Qui relicta hac valle in cautes enixi
Repentè fallente veſtigio
Præcipites deciderunt,
Et ſic utraque felicitate
Æterna ſimul, & temporanea caruerunt.

ARIA.

ARIA.

1.

Est verè felix terminus,
Sed via incommoda nimis:
In passibus primis
Languens deficies,
Retrò respicies,
Et dices: cur hac ivimus?

2.

Sit ingens laus victoriæ:
Si tamen pugnandum obstanti
Pro palma giganti,
Tanto discrimine
Tantulam gloriæ
Spem ego nollem emere.

Amor Dei. Viator, noli credere Syrenis fallaciis:
Viæ difficultates non esse nullas, fateor,
Sed illa impiis exaggeravit mendaciis,
Et, quotquot jactavit de rupibus decidisse,
Tu, scito, à PHILAUTIA
Præcipitatos ruisse:
Ipsa omnium est rea cædium.
Itaque si potes hanc meretriculam
A te dimittere,
Viam securus ingredere,
Me solo comite.

Philaut. Vah! patior contumeliam?

ARIA A DUETTO.

Tu audes te ducem offerre
Tanti itineris,
Qui tantulus masculus es?

Amor Dei. Tu audes te vecors miſcere
Tantis conſiliis,
Quæ ſtolida fæmina es?
Philaut. Imò nec maſculus,
Muſculus es!
Amor Dei. Agis clamoribûs:
Fæmina es!
Ego quot paſſibûs altior ero,
Totidem gradibûs fortior ero:
Philaut. Vana jactantia!
Muſculus es!
Amor Dei. Jacta convicia:
Fæmina es!

Viator. Ceſſate litium! res mea agitur:
Viam mediam eligo.
Jure Cœli, quod per Chriſtum habeo,
Me ultrò volens abdico,
Quia poſſeſſionem adire non poſſum
Sine incommodo.
Hoc tamen viciſſim exigo
A Cœli Domino,
Ut pro Amore, quô ipſum amabo,
Et pro obſequiis, quæ præſtabo,
Bona terræ concedat mihi *jure perpetuo.*
Amor Dei. Trepidate aures! auditis blasphemiam!
O ſeptem Sapientibus
Dignam ſententiam! ...
Sed lata eſt altera, ab ipſa Sapientia:
Qui amat animam ſuam plùs, quàm me,
Non eſt me dignus! Matth. 10.

ARIA.

1.

O curæ, & cœlestium
Inanes animæ!
Amores inter subdolum,
Et verum noscite.
Hæ erunt regulæ:
Qui *bene odit*, amat se,
Qui *malè amat*, odit se:
Has intelligite.

2.

Non veto vos amare,
Sed veto sic amare,
Ut Amorem Numinis
Velitis abdicare:
Si fortè vestris commodis
Ostendat se obstare.

PUNCTUM II.

TENTATIONIS VICTORIA.

SCENA I.

Pater. Deagius.

Pater. JAm verò non miror, Deagi, quòd filius fugerit conspectum Patris; atrocitas mali, quod premit animum, sic turbat, opinor, ut omne consilium, & ipsa mens reliquerit Juvenem. Miseret me! sed cur tu mihi silebas, quod Joyosæ narrâsti? *Deag.* Quare cor Patris affligerem sine fructu? præsente Joyosa verò necesse fuit detegere veram radicem mali, ut pru-

prudens Medicus, quam cupiebam, medicinam præscriberet. *Pater.* Et nempe novum contra me argumentum haberet. Usus est strenuè, filiíque ad Clericatum vocationem à DEO esse, sic evicit, ut captivaverit intellectum, quanquam voluntas adhuc repugnet. *Deag.* Inclinationis ad Sacerdotium origo, finis, effectus, omnia pro Salesio pugnant; non impetus juvenilis in hoc consilium rapuit: oravit DEum, deliberavit secum, quid humeri ferrent; consuluit Joyosam virum â sanguine, à religione, à sapientia inclytum, atque in discernendis spiritibus expertissimum. Quid insuper, Domine, ad *prudentem* resolutionem requiris? & accedit prudentiæ *sanctitas*, quam finis probat. Præpositi dignitatem Patruus inscio impetravit; cæterùm ille non præbendam, non pinguedinem, non lanam, sed oves, & labores pro DEO, & Ecclesia unicè appetiit sibi: potéstne sanctior *intentio* exigi? fructus autem, *effectúsque* (quod Joyosa solerter advertit) in hac ipsa tentatione, quæ Juvenem miserandum jactat, se exhibet nobis. Ex præclaris naturæ ac gratiæ dotibus, quibûs ornatus est Adolescens, præsagit inimicus humani generis imminentia damna à Salesii Sacerdotio suis conatibus metuenda; unde videas, Domine, (nam cur, quod Joyosa dixerat, repetere non liceat?) videas, cujus voluntati conformes te, quamdiu durum te filii desideriis præbes. *Pater.* Omnia intelligo: sed difficile sacrificium postulas à me, DEus mi, & propè Abrahamico æmulum! Isaac meus, meus risus, Matris cor, familiæ spes præcipua, solatium senectutis eripitur! .. ipsi loquar. Tu solus redis?

SCENA II.

Pater. Deagius. *Meranus.*

Meranus. HErus jussit; spopondit tamen, propedièm se adfore, cùm, quod vellet, à Deipara impetrâsset. *Pater.*

ter. Ubi hæret? *Mer.* Post longam per templa discursationem tandem in suburbio reperi supplicem ad Statuam Virginis in Sacello, quod sancti Stephani Græcorum appellant. *Pater.* Nimirum ut flectat me in vota sua orat Divam? *Mer.* Rem oppidò horrendam narro, si licet loqui. *Deag.* Consolatricem afflictorum credo audieris interpellantem pro se. *Pater.* Tu narra omnia, dissimula nihil. *Mer.* Solus erat, gemitibúsque sine arbitri metu liberrimè indulgebat, cùm ego irrepsi. Vidi in amarissimas lacrymas sic diffluentem, ut etiam istum silicem commiseratio liquaret. Iterabat sæpissimè lamentabile suspirium: *Opitulare Domina!* Domina, *non opitulaberis Salesio cum infelice æternitate luctanti?* *Pater.* Idem miserum luctus adhuc excruciat! *Mer.* Addidit, (& horruerunt aures meæ ad tetram vocem) addidit, inquam: *fierine potest, ut te sciente, ô Mater mea! inter reprobos numeretur Salesius?* *Pater.* Ah! ùt ego infelix Pater sum, si filium genui æternùm damnandum! *Deag.* Non, non erit inter damnatos Salesius, non erit. *Mer.* Similia tamen querebatur. Heu! ingeminabat: *Fierine potest, ut ego sim infelix illa creatura, quæ* DEum *suum æternùm amare non poterit, & quam* DEus *suus æternùm amare non volet! Ah! non horreo tormenta diaboli, modò Amore non priver: amo te* DEus, *vel si austerus es, amo: da, ut æternùm amem.* *Deag.* Tanta virtus reprobari non potest. *Mer.* Etiam cogitabam, dicebámque mihi ore tremulo: Merane, si Salesius non salvabitur, quæ spes est tibi? *Pater.* Deagi, si flagitiis rogo æterno dignis inquinavit se puer, animam pro anima à Judice DEO postulabo: tuæ curæ commisi, tu reus eris. *Deag.* Nihil metuo: tu porrò narra. *Mer.* Ut abrumperem gemitus, tandem in conspectum me dedi: erubuit; sed solatium non admisit. Monui, advenisse Patrem, dixit: nuntia charissimo Patri, hominem Salesiô miseriorem non dari: jurâsse me, non discessurum à pedibus Matris antè, quàm aliquid solatii emen-

dicaverim: ignoscceret moræ Pater, & misereſceret! *Pater.* Similem deſperanti deſcribis: quid faciam? *Mer.* En! ipſe intrat.

SCENA III.

Perſonæ omnes.

Franciſc. JO! ſolata eſt Mater, jam Patri accido. *Pater.* Ecce! arctiſſimè ſtringo te! abjice pueriles metus! nullus ex his brachiis diabolus rapiet. *Franc.* Non jam hoc agitur, Pater mi! diabolum non timeo: ut per te liceat amare DEum meum, hoc ſupplex rogo. *Pater.* Fili, itáne tibi ſceleſtus videor, ut prohibere illius Amorem velim, ſupra quem nihil amabile eſt! *Franc.* Jam felix ſum! & licebit *ſuper omnia* amare DEum? *Pater.* Ama, quantum potes: omni Amore ama! *Franc.* Concedis adeò, ut plus DEum amem, quàm te, mi Pater? *Pater.* DEus eſt magis Pater, quàm ego ſim: magis ama! *Franc.* Et magis etiam quàm Matrem, quàm ſorores, & fratres, quàm omnem familiam Saleſiorum? *Pater.* Omnia noſtra DEI ſunt: magis ama! *Franc.* Et magis inſuper, quàm mea quæcunque commoda, quàm ſanitatem, vitam, ipsámque ſalutem meam? *Pater.* Nihil amandum eſt SUPRA DEUM, DEus ſuper omnia! abſit! ut hoc prohibeat Pater! mille infernis non expiandum committit facinus genitor, qui non invigilat filiis, ut nihil ament ſupra DEum. *Franc.* Satis eſt: ergò jam per te licet hac veſte indui? affer, Merane, mihi! beatus ſum! *Pater.* Sic! huc ibas per has ambages? *Franc.* Huc ibam, & (plaudite Cælites!) jam teneo terminum *Pater!* Revocabo in viam. Ama DEum, ſed ſicut vult Pater, ama. *Franc.* Hem! & non ſicut DEus amari vult, ſic amabo? non amabo, quantùm poſſum? non ſuper Patrem amabo? aut fortè amandi licentia data eſt mihi *pro affectu* tantùm, non *ad effectum?* Heu! infelix Pater! ſi fortè hæc duritiem te unà cum filio inter reprobos ponet! *Pater.* Redis ad ſtultos

timo-

timores tuos? ut fias Clericus, non est præceptum; itaque si prohibeo, nihil pecco. *Franc.* Ut sim Sacerdos, non jubet DEus; sed invitat, cupit, urget: vetat Pater, nec peccat tamen! Deagi, quid Theologi docent? loquere pro me tandem; promiseras enim! *Deag.* Ipse satis eloquens es: urge causam, nam places mihi. *Pater.* Cessate obloqui: amo te, fili mi, & quod Amor dictabit, agam. *Franc.* Amas me! probâsti, quòd DEum magis, quàm Patrem amem: cupio, ut tu similiter DEum magis, quàm filium ames: filium vult DEus ad aras sibi. Ah Pater! quandoquidem *ego sum illa infelix Creatura, quæ DEum æternùm amare non poterit, & quam DEus æternùm amare non volet.* Saltem dum vita supersit, sine, ut amem DEum! sine, ut super omnia amem! sine, ut hoc Amore incensus, relictis rebus, ac spebus vanis, uni curæ animarum me consecrem. Quid? Pater es tu, & hoc æternæ miseriæ solatium negabis filio, ut possit lucrari animas, quæ amare DEum æternùm poterunt, quod ipse non poterit? .. Siles, mi Pater? *Pater.* Surge, discede! cogitabo, quid sit agendum. *Franc.* Eja! commovit viscera Patris infelicitas filii! triumpho! tota quanta es Sabaudia! DEI eris: ego adducam! DEus, dum vivo, amabo te, & SUPRA TE nihil amabo! & *quanquam austerus sis mihi*, amabo tamen! Quòdsi post mortem amare non possim miser, erunt centies mille alii, qui meo labore, sudore, sanguine amare docti pro me amabunt te, æternùm amabunt! in hac spe acquiesco sententiæ, quam tulisti contra me.

SCENA IV.

Pater. Deagius.

Pater. AUdîsti atrox gaudium, quô gaudet puer? *Deag.* Domine, heroica virtus ex puero loquitur, vel in primis Sanctorum obstupescenda! *Deag.* Nihil metue de vita altera:

ra: tanta virtus non potest perire. Tibi time, si, quem DEus tam singulari vinculô rapit sibi, tu retinere tibi adhuc laboras. Hoc dicit Dominus: *Abraham! tolle filium tuum primogenitum, quem diligis, Isaac, & offer in holocaustum!* *Pater.* Faciliùs adhortaris me, quàm ipse faceres, si esses Pater. *Deag.* Jam non quæritur, quid sit facile, sed quid te deceat. Patieris, ut filius plus amet DEum, quàm ames tu? *Pater.* Deagi, credebam hactenùs, non esse in me nullum Amorem DEI: hodie experior, quòd major sit amor mei. Quò digniorem se amore meo probavit filius modò, tantò pertinaciùs agglutinatur paternum cor, nec sine acerbissima violentia à me avelles. *Deag. Fortis est ùt mors dilectio!* quam mors *invito* auferret filium, sine, ut dilectio *volenti* tollat: tollet autem, si fortis est. Si verò est imbecillis, eja! pudor, timor, spes adjiciant ligna foco, donec ita exardeat charitas, ut nulla flumina obruant, aut extinguant. Si Dux Sabaudiæ peteret Franciscum ad aulam sibi, gaudens à te dimitteres: & *non pudet* tricari cum DEO? neque *times*, Domine, ne, dum Divinæ Providentiæ consiliis temerè te opponis, te, & filium, & quotquot filii laboribus sacris donare DEus constituit, animas in miseriam æternam urgeas? si verò naturam vincis, *spes* est fore, ut DEus utriusque merces sit magna nimis, & Abrahamicas benedictiones cœlum in universam Familiam depluat. *Pater.* DEus, homines, diabolus urgent me: omnia video. DEus cor filii solus possidet: egóne dividam? homines tot rationibûs consilium Divinum probant, ut dubitandi facultas sublata sit: quousque luctor, & qua prudentiâ? diabolus terroribûs horrendis institit, ut everteret resolutionem heroicam: & ego conatus Sathanicos adjuvem? .. Deagi, tumultibûs pectus horrendis quatitur: intelligo, nisi DEO cedo, æternùm ab hoc animo pax exul erit. Cedam! fac, adsit juvenis! *Deag.* Plaudite victori sidera! ecce avolo. *Pater.* Cessavi Pater esse: erit deinceps DEus! O qui dedisti Filium, Domine, tot titulis

tulis amabilem mihi, da veniam tam diu luctanti tecum, ne cogeres reddere! poteras cogere, malebas repetere, ut probares amorem meum! Eja habe! amavi te semper: hodie didici *amare fortiter!* habe filium tibi, & cum filio meas delicias, meas spes omnes habe! Prô vulnus cordis! jam talem video!

SCENA V.

Personæ omnes.

Franciscus. VIdes Pater, qualem me DEus vult! *Deag.* Accinctum ad prædam animarum, ad stragem errorum, ad ruinam impietatis. *Franc.* Ipsam lætitiam cum ista veste indui, Pater! evanuerunt timores tetri. Amor, dulcissimus Amor pacificè cor totum possidet: unum quieti verbum deest, quo dicas: *approbo! Pater.* Præmium amoris tui est hæc lætitia: recordaris, quid dixeris? *Franc.* Idem adhuc est animus, & erit semper. Acquiesco Divinis de me decretis; si tamen scirem etiam, me inter reprobos esse, tantò magis contenderem, dum vita supereſt, *amare quamvis austerum DEum*, quantò essem certior, quòd post mortem ampliùs amare non possem. *Mer.* O nobilis Amor! *Deag.* Hic Amor diabolum vicit! *Pater.* Et vincit Patrem. Accede fili! amplexum paternum cape! *Franc.* Benedictio paterna assensum firmet. *Pater.* Benedictio DEI Patris descendat super te, & super consilia tua, & super labores tuos! *Deag.* Et super Amorem, ut ardeat semper! *Pater.* Ardeat! & totam Sabaudiam eodem igne accendat! *Franc.* Fiat! ô fiat! *Omnes.* fiat!

(o)

MEDITATIO IV.

Diliges ex tota anima tua, *Marc.* 12.

S. FRANCISCUS BORGIA.

ARGUMENTUM.

NIhil amare SUPRA DEUM, ne quidem vitam, & animam suam, *primus gradus* est *Amoris effectivi*, ita necessarius, ut, nisi qui huc ascenderit, salutis spem habere non possit, eò quòd præceptum charitatis Amorem saltem *appretiativè* summum imperet, & ipsa Ratio doceat, quòd sicut bono *majori* amor *major*, ita *summo* bono amor *summus* debeatur. Hodie *in gradum secundum* enitimur, qui est, nihil diligere PRÆTER DEUM, atque adeò DEum non solùm *ex tota mente*, quod fit per appretiationem *intellectûs*, sed etiam *ex tota anima* diligere, quod facit, qui insuper *appetitum* sic DEO consecrat, ut bonis creatis omnibûs privari ægrè non ferat, non solùm si quando præceptum exigeret, sed etiam cùm *majus DEI beneplacitum* suadet. Exemplum hujus Amoris heroicum S Franciscus Borgia præbuit, qui licèt jam esset sanctus in sæculo, cùm inter primos ex aula Caroli V. serviret *homini propter DEum*: defuncta uxore tamen, abdicatis omnibûs rebus & spebus, ex Duce Gandiæ factus est Religiosus, occultè primùm, deinde, postquàm Ognati aliquamdiu delituit, donec licentiam Ducatûs in filium transferendi à Cæsare obtinuit, publicè Institutum Societatis JESU professus, ut *DEO Soli* famularetur. Erit igitur hodiernæ Meditationis

Mate-

Materia : Actus abdicationis S. Franciſci Borgiæ.
Puncta duo : 1. Abdicationis propoſitum.
2. Propoſiti executio.
Fructus. Alter Amoris gradus : *nihil amemus* PRÆTER DEUM.
Propoſitum : Credamus fide ſeria, quod fides docet : *nemo poteſt duobus dominis ſervire !* & : *non poteſtis DEO ſervire, & Mammonæ*, Matth. 6. adeóque cui bona terrena abjicere non eſt integrum *in effectu*, teneri ſaltem moderari *affectum*, qui ſic quandoque rebus pereuntibus cor agglutinat, ut facilè in illis comparandis, conſervandis, augendis abſorptum à cura DEI, & Divinorum abſtrahatur.

PERSONÆ.

S. Franciſcus Borgia, in ſeceſſu Ognatenſi.
Carolus filius Borgiæ Primogenitus.
Joannes Secundo-Genitus.
Araozius S. J. Sacerdos ſub veſte Clericali.
Rogonus Comes Lermæ, Borgiæ Gener.
Villalonus Borgiæ à Secretis.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad præſentem.

Fides. Ratio.

Ratio. TAndem per gratiæ auxilium
Huc eluctata ſum.

Unde

Unde omnia despicio!...
Nihil, Amor mi, nihil amo SUPRA TE!...
Et quis à charitate hac separabit me?
Eja! provoco: quis separabit me?

ARIA.

Munde, Caro, conjurate,
Orcum quoque invocate,
Explicate agmina,
Intentate prælia!
Si hoc vultis, ut peccando
Cessem vecors ab amando,
Jubeo, vos desperare:
Malo mori, quàm peccare!

2.

Mori malo, quàm peccare!
Hoc decretum salutare
Sic inhæret pectori,
Ut non possit eximi,
Nisi cùm cor evelletur:
Et tunc ipsum audietur
Alta voce Cor clamare:
Mori malo, quàm peccare!

Fides. Audio, neque displicet resolutio;
Sed unde tibi plaudas, Soror, ego non video.
Malle mori, quàm peccare,
Est denique *in infimo gradu* DEum amare,
In quo si subsistere decrevisti,
Quod facere debuisti, fecisti,
Et nihil ampliùs.
Unde laudet te Dominus:
Periisses, si minùs fecisses.

Nihil

Nihil SUPRA DEUM diligere
Eſt, *in præcepti neceſſitate* quieſcere.
Tu aſſurge altiùs, quò trahit te
Qui in cruce exaltatus eſt propter te.
Nihil SUPRA TE dilexit:
Sed neque PRÆTER TE
Quidquam diligere voluit;
Ideò OMNIA, quæ habuit, vendidit,
Ut te emeret,
Et ſcilicet EX TOTA ANIMA,
Non ex diviſa, diligeret.

Ratio. Ah! vel *in primo gradu* firmare ſe,
Erat opus difficile;
Promptus tamen eſt animus ſequi te,
Si viam excellentiorem
Oſtenderis ad Amorem.

Fides. Aſcende *gradum alterum!*
Hæc eſt hodierna lectio,
Hæc Amoris perfectio.
Ecce! SIC DEUS DILEXIT TE!
SIC TU DEUM DILIGE.

ARIA.

Sic DEus dilexit!
(O aurea regula morum,
O Amor, *exemplar amorum!*)
Uni ut homini
Totum ſe daret,
Et quem amaverat,
Totus amaret,
Quidquid eſt *extra ſe*,
Totum NEGLEXIT:

Sic DEus dilexit!
O aurea regula morum!
O Amor, *exemplar amorum!*

2.

Nempe ùt fluvii, unde fluxerunt,
Omnes IN IDEM ſe pelagus ferunt;
Quin ſilvæ virentes,
Aut horti florentes,
Vel arces munitæ,
Et urbes turritæ
Moram injiciant,
Alveum teneant:
Ita is denique verè amabit,
UNI qui omnes Amores ſacrabit.

Ratio. Optima lectio, & digna novo ſtudio.
O Amor! SICUT tu amâſti me,
SIC, da, ut amem te!
Et PRÆTER TE nihil amem, niſi *propter te!*...
Eja anima mea! Amores diviſos collige,
UNUM dilige!

ARIA.

Una es: unus eſt DEus:
Una uni debes te!
Culpæ, & pœnæ fit reus,
Qui vel partem victimæ,
Quæ DEO mactatur,
Sibi furatur:
Totam tu immola te,
Unum dilige!

2. DEus

2.

DEus est DEus zelotes:
Iram gravem contra te
Stulta incendere potes,
Nisi totam tradas te:
Amore fatali
Faves *Rivali*:
Perdet, ut vindicet se,
Et illum, & te.

MEDITATIONIS IV.

De S. Francisco Borgia

PUNCTUM I.

ABDICATIONIS PROPOSITUM.

SCENA I.

Dux Borgia. Rogonus Lermæ Comes.

Borgia. TU obstupescis, Gener, quòd invisentem ad me in cubiculum introducam funereo apparatu triste; sed nimirum hæc dies, quâ lectissimæ Conjugi anniversaria solemnitate soleo parentare; justus dolor publicam memoriam exigit. *Rog.* Laudo pietatem, Socer, & gravis jactura longum luctum meretur. Fuit Eleonora, *Borg.* Omitte panegyrin! scio, quantum bonum amiserim: commune cum paucis pertinebat ad me, cùm illa viveret, elogium illud: *Mulieris bonæ*

beatus vir! Eccl 26. Octo liberos ex illa suscepi, sanos omnes, formosos, ingenii tractabilis, bonæ spei, delicium Patris; annos decem supra octo convixímus pacificè: nunquam conjugalis amor friguit, quia, ut ducerem, non oris species, fragile bonum, sed virtus fæminæ, religio, prudentia, solertia, modestia, & fuga otii, atque ineptiarum, à quibus pleræque infatuantur, permoverunt. In observantia mariti, in cura liberorum, in familiæ regimine verè *Mulier fortis* illa fuit, quàm nullæ suæ conditionis molestiæ vicerunt, quò minùs officio strenuè fungeretur: *procul, & de ultimis finibus pretium ejus*, Prov. 31. Opto, ut filia mea Matris insistens vestigiis te similiter beatum faciat. *Rog.* Egregiè æmulatur, & quàm verè laudaveris Eleonoram, in Isabella experior. *Borg.* Gaudeo: verùm tu audi porrò, Rogone, quod non immeritò admireris. Talis cùm esset uxor, calentissimis precibûs pro ægrotantis salute Domino supplicabam, & ecce! quasi vox de cœlo illapsa cordi dicebat intùs: *Si vis, sanabitur: sed tibi non prodest!* *Rog.* Omninò rem miram audio. *Borg.* Itaque ego orare, & illa cessavit vivere. Jam quem tu fructum credis, quòd ista mors attulerit? *Rog.* Difficilis conjectura est: quid boni ex malo judicem? *Borg.* Quod vitibus luxuriantibus culter præstat: putatæ uberiùs germinant. Jam olim, cùm ad Isabellæ tumbam fætentem vanitatem inspexi, constitui SERVIRE DOMINO, QUI MORI NON POTEST, omniáque peritura fastidiens votum concepi expediendi me à vinculis sæculi, si, quæ vinciebat, uxor soluta ante me à vinculis mortalitatis fuisset. *Rog.* Insolens factum! præproperus fervor suggessit inconsultum consilium: facilè erit reperire, qui ab obligatione te solvat. *Borg.* Atqui ego arctiùs ligari cupio, non solvi. Conditionem voti implevit DEus, uxorem abstulit, ad vitæ perfectioris genus per mortem vocavit. Vult à me SOLUS amari, quin *præter ipsum* aliud amem: hic fructus cessàsset, si uxor mihi supervixisset. Intelligis jam, Rogone!,

sensum

ſenſum Divini oraculi: *Si vis, ſanabitur; ſed tibi non prodeſt*? debuit mori Eleonora, ut Borgia ſanctiùs viveret. *Rog.* Amorem igitur, quô uxorem amabas, *diſplicuiſſe* Numini eſt opinio tibi? *Borg.* Nihil hoc metuo quidem; nunquam enim amabam Mulierem aut *contra*, aut *ſupra DEum*: ſemper & *modus Amoris*, & *motiva* honeſta fuerunt, ſanæque rationi conformia; ſed qui NON DISPLICUI amando *aliquid* præter DEum, jam præter DEum jubeor amare *nihil*, ut MAGIS placeam. Verum eſt, quod dixit Apoſtolus 1. Cor. 7. *Qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodò placeat uxori, &* DIVISUS EST: non amat DEum EX TOTA ANIMA: affectionis *partem* uxor poſtulat ſibi: Amor *diviſus* autem quòd ſit minùs perfectus, quàm *integer*, neque tu negabis, credo, atque admittes adeò, quòd ſi, cùm illa vixit, implevi præceptum Amoris *quoad eſſentiam*, ad *perfectionem* tamen aſpirare vix, ac ne vix quidem potuerim. *Rog.* Dux optime, tu acutiùs pervides, quæ ad Spiritum pertinent; ſine tamen, ut aliquid opponam diſcurſui. Eſt fluvius, qui alveô *nunquam diviſo* rectà in mare influit; & eſt alius, qui *per complures rivulos diſpertiens ſe*, tandem omnes effundit in idem pelagus: nunquid uterque *totum* ſe mari denique, unde venerat, reddit? *Borg.* Vis dicere: ſimiliter poſſe Amores noſtros, *præter DEum*, varias creaturas complecti, modò illæ poſtremò *propter DEum* amentur: & verum dicis; ſed quod fit fluvio per alveos diverſos vago, nempe ut jam rivulus ab arenis ſorbeatur, jam alius tumuletur in cæno, & tertius ſordido lacui commiſceatur, ſic ut aut nulla, aut modica aqua, eáque inquinata, præcipuè ſi via ſit longior, & multis ambagibûs varia, deferatur ad mare: idem nobis in ſtatu conjugali contingit. In uxoris, in liberorum, in familiæ curam, commoda, gloriam diviſi amores ſenſim *à DEO* deflectunt, aliósque *affectio naturalis* ſibi retinet, alios etiam *vitioſa* corrumpit, adeò, ut non rarò periculum grave ſe moveat, ne etiam *præcepti ſubſtantia* labem

patiatur. Certè primum hominem *amor uxoris* initiô *honeſtus* utique, ſed poſteà NIMIUS ſic *ab Amore DEI* abſtraxit, ut non ſolùm *præter*, ſed etiam *ſupra DEum* Mulierem diligeret. Sed ut diſputationis ſit finis, hoc certum eſt, Rogone, quòd amor creaturæ etiam, qui *honeſtiſſimus* eſt, ſi DIVINUS non eſt, dividat animam, partémque DEO aufferat. *Sed non omnes capiunt verbum hoc*, verbum, puto, quod dixit Dominus, cùm dixit Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe*, relinquenda ſunt *omnia*: Domus, Fratres, Sorores, Pater, Mater, Filii, Uxor, agri, ut rivi Amoris omnes cogantur in unum alveum, qui toto impetu ſe in oceanum Divinitatis evolvat. *Ad hanc perfectionem* me DEus invitat; ſuſtulit impedimentum: uxorem eripuit: jucundus eſt dolor! requieſce in pace, Eleonora! nunquam amavi te puriùs, quàm cùm *in DEO* amo, & unicè *propter DEum!* Eja! turedis, Villalone! bonus es nuntius?

SCENA II.

Borgia. Rogonus. Villalonus.

Villalonus. EX voto: clementiſſimè annuit Cæſar, & gratulatur, teſtem epiſtolam fero. *Borg.* Jo! *dirupiſti, Domine, vincula mea! tibi ſacrificabo hoſtiam laudis!* Pſalm. 115. Jam nihil obſtat, quò minùs hodie in crucis amplexum evolem. *Rog.* Venire in partem gaudii Rogono licet? *Borg.* Quid dubitas? cæcus es, Amice, ſi nondum vides, quantùm me DEUS amet. Ecce! facilis ad preces Cæſar facultatem concedit abdicandi me Principatu, & quam velim, Religionem profitendi palàm: hoc argumentum eſt jubili, quô exulto. *Rog.* Igitur res ſeriò agitur? & tu non vides, Princeps, quam communi riſui per hoc conſilium te Aulæ, Hiſpaniæ, Orbi proſtituas? *Borg.* Ecce, hoc eſt, quod monet Cæſar: *Plures, Dux Borgia, tui conſilii deriſores, quàm imitatores habebis!* & tu non vides, Gener, quòd

riſum

risum risu facillimè vincat Borgia? *Rog.* Grandis Hispaniæ, Dux Gandiæ, Dominus Lamboiæ, duorum Pontificum consanguineus, Roderici, & Henrici Cardinalium frater germanus, Ferdinandi Catholici Regis Arragoniæ nepos, Equestris Ordinis S. Jacobi Commendator, Vice-Rex Catalauniæ, Augustissimi Cæsaris Caroli V. supremus stabuli Præfectus, summo Monarchæ gratiosus, honoribus, opibus, liberis dives, inter primos potens, charus subditis, per omnia felix, mundi Salapusius. *Borg.* Adde: FUIT! & scripsisti Epitaphium. *Rog.* Addo: *erit Religiosus!* quæ combinatio? *Borg.* DEus & Crux! quæ combinatio? Rogone, qui homines sunt, qui Borgiam *pro DEO* se abdicâsse Principatu mirabuntur, & DEum *pro homine* descendisse de cœlo non mirantur. *Rog.* Providere liberis, de familiæ splendore curare, Cæsaris gratiâ *pro suis* uti, si *pro se* nolit, hoc Borgiam decet. *Borg.* Quod erat Patris, abundè præstiti: cætera vos agite. Carnem & sanguinem jam non audio: apud DEum si utilem vobis operam præstare possum, præstò ero; apud terrenum Principem egi satis: diu nimiùm vixi meis, nunc mihi vivam. *Rog.* Et filii nullas proposito opponent preces? Ego, Princeps, armatos in te immittam.

SCENA III.

Borgia. Villalonus.

Borgia. ÆS triplex obarmat pectus contra amores teneros. Tu age, narra! quo vultu, quô animo Cæsar Borgiæ vota legit? *Vill.* Miratus consilii novitatem laudavit Divinam Providentiam, illis temporibûs tanti viri accessione statum Religiosum ornantis in Hispania, quibûs in Germania à vilissimis homulis passim desereretur. *Borg.* Amor licentiæ, non Amor DEI ad sæculum retrahit: ô si amarent miseri DEum, præter quem nihil amabile est, quàm facile onus ferrent, quàm

suave

ſuave jugum. *Vill.* Addidit deinde: omnino probari ſibi, quòd ſervire malis DOMINO, QUI MORI NON POTEST, quàm ei, qui hodie eſt, & cras non comparet; ſeipſum perſpicere rerum humanarum vanitatem, quippe habentium nihil, unde placere ſapientibus poſſint, præter auri ſtreperi miſerum fulgorem, à quo viles animæ rapiantur. Majeſtatis futilem pompam quò diutiùs oſtentaret, eò vehementiùs faſtidire ſe, adeò ut exemplum Borgiæ parùm abſit, quin imitationis cupidinem in ſe accenderet. *Borg.* Precor optimo Cæſari *meam* felicitatem: majorem *pro hac vita* precari non poſſum. *Vill.* Aliorum alius ſenſus eſt. *Borg.* Sed minimè verus ſenſus. Villalone, vitæ præſentis felicitas *extra nos* fruſtra quæritur: *nunquam* enim, & *nusquam* inveniemus, quod ſatiet. *Vill.* Atque ita ſemper inquieti erimus; nunquam quieſcit enim, qui ſemper quærit, & nunquam invenit: vera Philoſophia eſt. *Borg.* Erit igitur ſapientis, quod non poteſt reperiri extra ſe, quærere *intra ſe*: & ſanè INTRA NOS reperiri felicitas poteſt illa ipſa ferè, qua felix Adamus in ſtatu primæ innocentiæ fuit. Beatum primum hominem PAX CORDIS fecit: pax illa fuit TRANQUILLITAS ORDINIS, per quem *affectus Rationi*, & *Ratio DEI præceptis*, ac voluntati *ſine renitentia* ſubjiciebatur. *Vill.* Sine dubio; nam cum hoc ordine pax interna, externáque, & cum pace *felicitas* finem habuit. *Borg.* Optimè advertis. Sed *pax externa*, quam pariebat obedientia creaturarum, hominis rationabili voluntati per omnia parentium, privilegium erat, quod DEus in pœnam peccati primi perpetuò ſuſtulit: *pax interna* verò eſt filia gratiæ, quam Chriſtus promeruit nobis; gratiæ ſi cooperemur, *Regnum DEI intra nos erit*, Luc. 21. Atque in hoc regno *juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*, Rom. 14. quia nempe in ſtatum primæ innocentiæ reponemur, reſtituetúrque illa *tranquillitas ordinis*, quæ illius ſtatûs *felicitatem internam* conficiebat. *Vill.* Nunquam tam jucundæ doctrinæ fundum ita clarè inſpexi. Erunt tamen,

opi-

opinor, qui negant, quòd illa *tranquillitas ordinis interni*, ſive *pax cordis*, in qua præſens felicitas conſiſtit, ſtabilis eſſe poſt lapſum poſſit. *Borg.* Non perſpicit gratiæ noſtram induſtriam juvantis vim, qui hoc negat. Quòd ſubinde ad momentum excitatura aliquem tumultum ſit aliqua cupido, ſpes, triſtitia, formido, ira, & quæ ſunt aliæ affectiones de fæce plebis, non diffitebor; ſed tu ſi audias fortè latratum canum in foro infeſtis dentibûs in ſe mutuò ſævientium, aut videas rixantes lixas, num ideò civitatis pacem dices turbatam eſſe? *Vill.* Utique injuriam facerem; ſed ſi paſſim, ſi diù, ſi impunè viderem cives obſtrepere legibus, *nullóque ordine*, qui ſanæ Politiæ eſt anima, exerceri commercia, agi lites, conſtitui tribunalia, diſtribui munera, intendi pœnas, adminiſtrari juſtitiam: tum dicam, exulare pacem, & me in Babylonia vivere. *Borg.* Idem igitur de pace animi judica; & ecce! jam punctum tangimus: *pax animi* unde, niſi *per affectus*, turbatur? & affectuum princeps nunquid eſt Amor? *Vill.* Experior. *Borg.* Igitur ſi Amor Rationi paret, & Ratio DEO, jam in ſtatu primæ innocentiæ vivo, jam ordo eſt, tranquillitas eſt, quanta eſſe viatoris poteſt, felicitas eſt: concludo, quòd ſi abjecto amore *mei*, & amore *meorum*, poſthac nihil ſit, quod amem, *præter DEum ſolum*, nihil etiam futurum ſit deinceps, quod turbet: beatus ero. *Vill.* Princeps, ſic me tuus fervor incendit, ut parùm abſit, quin inſiſtere veſtigiis, ſi ſpes ſit, velim. *Borg.* DEO ſupplica, ut te vocet. Ecce Araozius intrat, cui poteſtas eſt ab Ignatio faciendi, ut fratres ſimus.

SCENA IV.

Borgia. Araozius. Villalonus.

Araozius. PRinceps! *Borg.* Araozi, en! manumiſſus ſum. *Ar.* Scio omnia; ſed turbavit aulam Rogonus; pugnan-

dum cum tuis erit. *Borg.* Non erit pugnandum diu; tu para vestem Borgiæ, quam donavit Ignatius: gestit animus abjicere hæc parerga: hodie Christum induam. Tu Villalone festina! jube aulam se parare itineri: hodie filii redibunt in Gandiam: ego felicitatis initium ab amore solitudinis faciam. *Vill.* O si socium Villalonum admittas, Princeps! *Borg.* Dixi: ad Araozium hæc cura pertinet. Quod volui, facite: ego, donec accincti sint itineri omnes, neminem ad me admittam, ne filium quidem. Araozi, sentio, quòd nondum mortuus PATER fuerit; in ultimum amplexum pruriunt brachia, sed cor abhorret: orandum est! *reliquias Amoris*, quem sola natura peperit, oratio enecet. Includo me, & ne quis turbet, obduco pessulum; cùm erit tempus, tu me monebis. *Ar.* Juvet te cœlum, Princeps! *Vill.* Et tu, Pater, juva me, ut, quò præcedit herus, famulus sequi possit. *Ar.* Hoc oras tu? *Vill.* Ut comitem Dux habeat, velis, obsecro. *Ar.* Erit dies, cùm probabimus & istum Spiritum, num sit à DEO; nunc exequere, Villalone, quæ Princeps jussit, ne quid moretur ardorem Spiritûs. *Vill.* Ecce eo! *Ar.* Ego quoque res meas agam. O dies glorioſa tibi, Divine Amor! nam dubito, an detur Sanctus, quem mundus magìs honoravit, & qui mundum magìs contempsit. Borgiæ mundus dedit, quidquid bonorum habet, opes, delicias, honores, titulos, favores, gloriam, & quid non? adde, quòd sic blanditus sit, ut nunquam afflixerit, ne propter virtutem quidem; plus dicam: quam in aliis Sanctis semper vel risu, vel contemptu, vel dicteriis, vel injuriis persequi solet probitatem, in Borgia sic veneratus est, ut eum MIRACULUM PRINCIPUM vulgato encomiô appellaverit, imò virum Laicum velut insultans Religiosis pro speculo proposuerit, in quo orationis summæ, & mortificationis perpetuæ exempla intuerentur, discerentque, etiam vitam aulicam posse cum Sanctitate componi. Hic talis mundum contemnit, & contemnit, non quia à mundo contemnitur,

tur, sed quia honoratur; non quia mundus se opponit exercitiis sanctitatis, sed quia non satis adjuvat; non quia in mundo Sanctus esse non potest, sed ut in Religione sanctior fiat. Contemnit, nec dici potest, contemnere per impetum juvenilem, coactus per infortunia, conscientiæ cauteriatæ stimulis incitatus: est septem supra triginta annorum vir, est felix per omnia, nec habet, unde metuat casum: est innocens, & à sæculi vitiis totô animô alienus: denique ita contemnit mundum vir primæ nobilitatis, ut volens,& prudens inter tot Religiones ætate, sapientia, virtute illustribûs viris celeberrimas, nullam sibi velit, sed eligat noviſſimam, herì natam, vix adhuc notam de nomine, & quibus nota est, plerisque vilem, invisam, nullam. O dies glorioſa Divino Amori! ita Amor sancte, ita cor Borgiæ totum vindicâsti tibi, ut nulla particula mundo superſit, quantisvis illecebris lenocinanti!

SCENA V.

Araozius. Carolus. Joannes. Rogonus.

Carolus. ARaozi, quod malum audio: tu Patrem eripies nobis? *Ar.* DEus,ô Principes, DEus ad suam MAJOREM GLORIAM Borgiam sibi postulat. *Rog.* Consuetô pallio tegit nequitiam homo: cavete, ne filios cum Patre rapiat; artem piscandi callet. *Ar.* Ut essem piscator hominum, Dominus jussit: fungi officio Rogonus prohibet: *Jo.* Ego certè non mordebo hamum tibi. Sed quid tricamur? irrumpamus ad Patrem Frater: precibûs & lacrymis revocandus est à propoſito, priusquàm firmetur pectus in contumaciam. *Ar.* Orat! *Car.* Scimus, propterea, ne peccemus contra reverentiam, non ausim turbare Frater: expectemus patienter, dum ipse prodeat. *Jo.* Impatiens sum; tamen, quoniam ita judicas, Carole, acquiesco. Interea Araozium oppugnemus: ipse si noster erit, etiam

erit Pater. *Car.* Rectè putas. Eccur autem tu non sis noster? quòd DEus vocet Borgiam, tu prædicas: atqui Pater est, & ego ex jure naturæ didici, teneri Patrem liberis providere; erit igitur tuum suadere moram saltem, donec officio satisfecerit. *Ar.* Princeps, jam quatuor fluxerunt anni à luctuosa morte illustrissimæ Matris: jam tunc in crucis osculum pruriebant Patri labia: fixisset se, nisi de paterna obligatione monuisset Ignatius. Intereà geminis filiabus de opulento matrimonio prospexit Parens, tertia Divæ Claræ habitum sibi delegit, tibi quoque primogenito suo jam ætatem à legibus requisitam adepto Sponsam te dignam designavit, Ducatum, & jura sua omnia tradet hodie, & curam Fratrum reliquorum sub Generorum tutela sollicitè commendabit: quid adhuc habet, quod curet? non licebit Patri in humeros filii jam maturi, atque per sapientiam potentium Generorum sustentandi transferre curarum partem? non filius tenetur, cùm Pater ante tempus rebus se suis privat, post acceptum patrimonium unà cum commodis admittere onera, & portare? *Car.* Nec hoc, nec illud persuades, ut velim: nondum sic crevit Hercules, ut succollare Atlanti possit. Prætereà adhuc liber sum, Araozi, & tu non nescis, quòd amem vos, quos amat Pater. Quis scit, si detur mora, an non virtute supera commotus animus olim me illuc trahat, quò Pater trahitur. *Rog.* Quid audio? *Jo.* Ridiculum te facis, Frater! & quis impetus agit? *Ar.* Felix est impetus, quem cœlum imprimit! *Car.* Felix, quem DEus vocat ex mari in portum, ex ambagibus in viam regiam, ex mancipatu mundi in libertatem filiorum! Borgiæ hoc judicium est: ridicula tibi, Frater, sapientia Patris videtur, sapientia ætate firmata, per rerum usum probata, in summis aulæ officiis conspicua, à sapientissimo Cæsare tot laudibûs celebrata? *Rog.* Dic: Sapientia in hoc certè argumento heteroclita, solitaria, contraria sensui communi omnium ferè hominum. *Car.* Ecce hoc argumentum est, quod ab eo tem-

tempore, quô Imperatricis funus inſpexit Borgia, explodendum eſſe centies facilè mihi inculcavit. Carole, dicebat mihi: veniet dies, cùm eris hæres omnium, quæ Borgia poſſidet. *Communi ſenſu* videor hominibus felix; ſed crede mihi, SENSUS COMMUNIS fallit: in rebus fluxis beatitudo vera non poteſt quæri: ſentire, & vivere *cum paucis* aſſueſce, quia *pauci electi* ſunt. Diſce contemnere peritura! CONTEMPTUS facit, ut, ſi te vocet DEus ad relinquenda omnia propter ſe, promptè obedias invitanti: ſi non vocet, ſaltem *non appones cor* miſeris bonis, quæ præter boni nomen nihil habent, niſi *per bonum uſum* te bonum faciant. *Rog.* Mentior, niſi iſte virus, quod Parens potavit, jam etiam propinaverit filio; ſic enim Principes non ſolent loqui. *Ar.* Sic tamen loquitur Borgia MIRACULUM PRINCIPUM! *Car.* Neque ego virus, Cognate, à Patre hauſi, ſed doctrinam veram, ſolidam, utilem, quæ ſi animo penitiùs inſidet, etiam in ſæculo Sanctum facit. *Ar.* Et fecit Borgiam; nam ex contemptu rerum præſentium nata eſt mirabilis ſapientia, qua vir in aula educatus conjunxit honores cum modeſtia, divitias cum temperantia, libertatem cum innocentia. *Rog.* Idem ergò doce, ut Carolus faciat: quid opus eſt, ſtatum mutare? *Jo.* Poſteà ego divitem uxorem ducam! *Car.* Et deinde? *Jo.* Deinde Patronis, & clientelis auctior promovebor ad prima aulæ ſubſellia. *Car.* Et poſteà? *Jo.* Inclareſcere titulis laborabo, & domum Borgiam novis ſplendoribûs illuſtrare. *Car.* Deinde? *Jo.* Sic in rerum omnium abundantia, inter liberorum, ac nepotum amplexus conſeneſcam. *Car.* Et denique? ... nempe morieris, mi Frater, & quid ex his reculis, quas enumerâſti, morienti ſolatium feret? *Jo.* Communis neceſſitas eſt, à qua nemo eximitur. *Car.* Sed neceſſitas, quæ *contra communem ſenſum*, quàm ſint vilia terræ bona, vel cæcis demonſtrat. Novum argumentum habes Araozi, quod moveat, ut moram in executione conſilii Borgiæ imperes; nam ſcio, imperare quòd poſſis, poſt-

quàm se ille pro Ignatio tibi subjecit. Vides, quòd uterque diutiùs Patris disciplinâ indigeat : ego ut spiritum salutis perfectè parturiam : iste, quia adhuc *sensui communi* adhæret, parúmque ab exemplis, ac monitis paternis profecit. *Rog.* Profectò nisi ego oppono me, manebit cum Borgia uterque filius, & tu Carole videris velle Joannem trahere. Itaque ego ipse urgebo iter, nec longiùs cum Patre eritis. Araozi, non ùt tu vis, ita erit: sit tuus Borgia, filii non erunt tui. *Ar.* Domine, vides, me nihil agere : agere autem si DEus velit, num te oppones ? *Jo.* Certè ego sensum DEI non habeo. Si tamen Carolus suis bonis non cesserit mihi, credam altaribus me destinari, sed inter Canonicos & Præsules : Pedum & mitra placet, aurô, gemmisque fulgens. *Rog.* Rectè divinas; nam lata frons, altus vertex, grandes oculi, os rotundum, gravis facies, & amœnùm severa promittunt idem. In te autem, Princeps Carole, grande supercilium, succus oris, nasus aquilinus, & modesta majestas trucioris aspectûs quid loquuntur, nisi virum aulis & curiis natum? Talenta, quibûs te DEus ditavit, non debent bono publico subtrahi. *Car.* Metuo, ne injuriam viris religiosis loquaris, Cognate; hoc enim videris velle, ut illi in Monasteria se abdant soli, qui aliàs mundo parùm utiles forent. *Rog.* Ita opinio est. *Car.* Error est. An non enim, si cives probè Catholicos, si bonos Sacerdotes, si viros habemus doctrinæ, & virtutis studiosos, eos magnam partem Religiosis debemus? itaque etiam Religiosi bono reipublicæ serviunt. Certè hoc expectamus, exigimus. Hinc, si qui ad concionem dicit, ineptus, qui à confessionibus est nobis, indoctus, qui docet in scholis, imperitus est, querimur, murmur fit, & sæpè contumelia. Oratores disertos, Doctores sapientes, prudentes Judices volumus: quo jure, qua spe, si non, nisi hebetes homines, & bardos Monasteriis damus? *Jo.* Accipiant homines de plebe, nullius nobilitatis, modicæ fortunæ: invenient aptos: pro divite & nobili cella non est. *Ar.*

Magnâ

Magnâ DEum gloriâ', magnis ornamentis Eccleſiam, magnis bonis univerſum orbem ſpoliat, qui divites & nobiles Monaſteriis adimit. Etiam pro his conſilia Evangelica dedit Servator noſter: etiam his præter centuplum, promiſit vitam æternam, ſi vendant ſua, & pauperibus tribuant. Itaque dives, an pauper, nobilis, an de plebe ſit, qui Religionem amplectitur, non eſt quærendum: an à DEO vocatus ſit, hoc eſt quærendum. *Rog.* Et probandum. Sed en! Dux prodit.

SCENA VI.

Borgia. Carolus. Joannes. Araozius. Rogonus.

Borgia. QUos video? *Car.* Dux! *Jo.* Pater! *Borg.* Sic meis filii mandatis obediunt? abi caro, & ſanguis! negotium Divinum ago: cum Araozio res eſt mihi. *Araozius.* Præſtò ſum. *Borgia.* Et tibi, Gener, quod loquar, habeo. Vos cùm parati ad iter eritis, admittam ad manûs oſculum, & poſtremo amplexu ſtringam: niſi vocati, non comparebitis. *Jo.* Durum imperium! quid facimus? *Car.* Parendum eſt.

CHORUS.

Stultitia animæ aliquid præter DEUM amantis.

Coſmiander. Tres Mundi Ephebi. Amor Divinus.

Coſm. *SApis, Machiavelle, ſapis, & tecum ſentio! Lego ſententiam tuo dignam ingenio: * Legens.

Soli DEO ſervire, eſt Monachorum:
Soli Mundo, eſt impiorum:
Nec DEO, nec Mundo, eſt inſanorum,

DEO

DEO simul, & Mundo, est Politicorum.
Prudentissimè.
Confirmor in proposito:
DEO, & MUNDO servio!

ARIA.

1.

Ut, *dum vivo*, bene sit,
MUNDO indigeo:
Ne *post mortem* malè sit,
DEO indigeo:
Utrique vitæ consulo,
Si servio
Utrique Domino:
Sapio!

2.

Munde juva! te honoro!
Tu es *Deus temporis!*
DEUS juva! te adoro,
Ut *post tempus* clemens sis!
BONOS ô! experiar!
Ita vivam bene;
Ita bene moriar,
Et BIS erit bene!

Ephеb. 1. Cosmiander! villam quam emisti,
Creditores sibi impetrârunt *à Principe:*
Juberis acquiescere sententiæ;
Nisi feceris, gratiâ excidis.

Ephеb. 2. Cosmiander! quinque juga boum,
Quæ nuper tibi vendidit,
Iterum sibi *vicinus* repetiit,
Dixit: *indigeo*; debuimus commodare,

Et

Et tu juberis injuriam dissimulare,
Nisi velis potentiorem adversùm te irritare.

*Epheb.*3. Cosmiander! *uxor*, quam duxisti,
Vestem artis novissimæ vidit in socia;
Jubet, ut similem sibi compares,
Etsi necesse sit contrahere debita.
Nisi assenseris:
Juravit, quòd nunquam ampliùs
Ridentem visurus sis.

Amor Dei. Cosmiander! *ad Cœnam magnam*
Invitat te CÆLI DOMINUS.
Parata jam sunt omnia:
Juberis properare,
Et *in veste nuptiali* festum ornare.

Cosmiand. Vah! aures obtunditis,
Et animum obruitis tot imperiis!

Amor Dei. Hoc dicit Dominus: *Ego sum Dominus*;
Et non est alius, præter me:
Cui præ cæteris obedire debeas,
Potes ambigere?

*Epheb.*1. Cœnam nunc accedere,
Non est de tempore:
Res postulat, ut Principi satisfacias,
Et cum creditoribus transigas.

*Epheb.*2. Ut periclitanti Oeconomiæ consulas,
Et celeriter boves tuos recipias.

*Epheb.*3. Et ante omnia, ut soleris uxorem,
Neque *per moram* conjicias in mœrorem.

ARIA.

1.

Morantem increpabit:
SIC AMAS!.. exclamabit:

Heu! decepta sum!
Credebam, virum strenuum
Duxisse me: decepta sum!
Heu! duxi rusticum!

2.

SIC AMAS! . . . geminabit,
Et planget, & plorabit,
Et fremens misera,
Quis, dicet, *viri stolidi*
Quis improbet, si capiti
Affigam cornua?

Cosmiander. Ad Cœnam magnam, ô bone,
Ad quam venisti me invitatum,
(Vides, quot curis impediar!)
Non possum venire:
Rogo te, *habe me excusatum!*

ARIETTA.

Tres Ephebi. I, curre, propera!
In mora est periculum,
Cùm MUNDUS imperat:
De Cœna te sollicitum
Ut *vesper habeat*,
Sit *cura proxima*:
I, curre, propera! * * Abeunt.

Amor Dei. Axioma impium!
Sic curæ hujus sæculi
Suffocant curam animi.
Atqui hoc est verbum Domini:
Quærite Regnum DEI primùm, & ante omnia,
Et: *Nolite esse solliciti*,
Adjicientur cætera.

Quid cor dividitis? quid curis angitis?
Nemo ſervire poteſt duobus Dominis
Inter ſe contrariis.

ARIA.

1.

Ridiculæ, futiles curæ!...
Duplica, triplica tuos labores,
Sanguineos funde ſudores:
Age! an cubitum
Poſſes *vel unicum*
Adjicere tuæ ſtaturæ?...
Ah! ſperas in mendacio;
Invito MUNDI DOMINO
MUNDUS beatum non faciet te.

2.

Non diſplicet mihi conatus:
Labora, ut vivas, ut creſcas,
Ut unà cum tuis diteſcas;
Fructum ſi *unicè*
Speras à Numine,
Et bonus eſt labor, & gratus.
Sed *terram* licèt excolas:
Ut tamen fruges colligas,
CÆLO, non terræ, da ſupplicem te.

Coſmiander. Prô! infelicem me! * Rediens.
Rejectus ſum *à Principe*,
A vicino deriſus,
Uxori inviſus:
Quò verto me?

Amor Dei. Ecce! hi sunt Dii tui! huc verte te; * Surgent, & opitulabuntur utique!...

* Fanum Deorum Mundi, qui sunt Gratia, Fortuna, Mammon.

Cosmiander. Ah! oculos habent, & non vident, Aures, & non audiunt me!

ARIA.

Vana, inania
Ruite Numina! *
Machiavellica
Peri prudentia! *
Una in uno
Est Numine spes!
DEus, da veniam:
Damno stultitiam!
Præter te *alium*
Colui Dominum:
Atrox! horrenda!
Sacrilega res!

* Evertit statuas.

* Calcat librum.

Amor Dei. Intelligo: intellectum dedit vexatio.
Perge (sic sapis) perge
Ab idolis cor tuum purgare,
Et *uni DEO* parare.....
Ah! erratis, qui duas in partes claudicatis:
Erratis, qui putatis,
Quòd duo sint Domini,
Unus *temporis*, alter *æternitatis.*

ARIA.

Unus est Dominus:
Unum amate!
Bona vitæ *geminæ*
Ab uno expectate!

Qui

Qui *duobus* ſerviunt,
Neutri ſatisfaciunt,
Et denique
A Mundo deſeruntur,
A DEO puniuntur!

PUNCTUM II.

PROPOSITI EXECUTIO.

SCENA I.

Borgia. Rogonus. Araozius.

Borgia. ABſolvi: & tandem, quod ſpero, intellexiſti, Rogone, quàm magnam gratiam mihi faciat Dominus, cùm in ſuam me Familiam vocat. Synopſin omnium, quæ dixi, repeto paucis, ut habeas, unde defendas Borgiam contra Zoilos, qui *quæcunque ignorant, blasphemant.* *Rog.* Multis argumentis cauſam tueris, Princeps; ego tamen nondum comprehendo, quid ſibi velit toties repetitum apophtegma: VOLO SERVIRE DOMINO, QUI MORI NON POTEST! per DEum! non igitur ſerviebas DEO, cùm ſerviebas homini PROPTER DEUM? *Borg.* Etiam huic difficultati jam ſatisfeceram, ſi percepiſſes: attende modò. FINIS, propter quem vivo, eſt *ſervire DEO* in hac vita, ut *frui DEO* in altera liceat: non hoc intelligis tandem? *Rog.* Bardus ſim, ſi neſciam, cur homo ſim. *Borg.* Itaque homo ſum, *ut ſervus ſim DEI mei.* Porrò ſervorum duo ſunt genera, boni, & mali ſervi. *Rog.* Quis hoc ignorat? *Borg.* Malos dicimus, qui aut non obediunt, aut negligenter obediunt; bonos, qui ab utroque vitio immunes ſunt. *Rog.* Palpari manibûs hæc veritas poteſt. *Borg.* Et inter bonos, quò

quis est *melior* servus, hoc erit gratior Domino, nunquid? *Rog.* Quis sapiens neget? *Borg.* Et quò quis est gratior Domino, eò erit in conditione servi felicior, præcipuè si Domino serviat, quô melior optari non potest: fortasse hoc negas? *Rog.* Meras evidentias loqueris. Sed status quæstionis in hoc versatur, uter sit DEI servus melior, qui *DEO soli* servit, an qui homini *propter DEUM*? hoc ut definias, velim, *Borg.* Jam ipse Dominus definivit: *si vis ad vitam ingredi*, inquit, *serva mandata*: ita eris BONUS SERVUS: sed *si vis* PERFECTUS *esse*, *vade*, *vende omnia*, *sequere me*! quanquam quid opus est oraculis, cùm Ratio loquitur: dic, si tres servi sint tibi, quorum unus sollicitè cavet, ne ita offendat te, ut mereatur domô ejici, aliud nihil curat; alter prætereà attendit, ne ad iram te concitet vel per parvos errores; tertius verò non contentus est observare præcepta, etiam consilia audit, non metuit displicere solùm, etiam placere contendit, non modò quod jubes, exequitur sedulò atque alacriter, etiam nutibus invigilat: age, quis trium est melior servus, quis gratior tibi? *Rog.* Sentio stringi me. *Borg.* Arctiùs stringam. Est, qui *propter te*, QUIA tu jusseras, & UT tibi placeret, aliquot annis Oeconomo tuo diligenter servivit in mediastini officio; tu hominis solertiâ captus invitas, ut dimisso famulatu Oeconomi esse velit à cubiculis tibi, cessetque agere SERVUM SERVI, & servus SOLIUS DOMINI fiat, non ei honorem facis? non gratiam offers? non, si ille acceptare renueret, eò quòd amet Oeconomum, concluderes, falsò jactâsse, quòd Oeconomo serviat *propter te? Rog.* Facilis applicatio est. Vis dicere: Principes nostri Oeconomi DEI sunt: *Servus Servi* est, qui illis servit, etiamsi serviat propter DEum. *Borg.* Ita est: DEus autem ab hac servitute liberum vult me SIBI SOLI servire; non me honorat? & si invitantem audire nollem, non se manifestè proderet prava intentio, quòd Cæsari hactenùs non *propter DEum*, sed propter me, propter meos, pro-

pter

pter nugas servierim? Absit! vocas me, DEus mi, ecce venio! melius est *esse servum solius Domini*, quàm *esse servum servi propter Dominum*: eligo, *quod est melius, quia eligendi potestatem* Dominus fecit, *cùm invitavit.* Rogone, hæc ratio propositi est: probetur mundo, an non probetur, nulla me cura angit. *Rog.* Omninò vicisti, Socer! video, me talpam fuisse, quæ cælestem Sapientiam non pervidit. *Ar.* Nimirùm in fundo, non in superficie se *veritas* exhibet, propterea ipsa monuit: *nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate*, Jo. 7. *Borg.* Ita, justum judicium conforme judicio tuo, DEus, qui solus in judicando errare non potes; justum inter æterna, & pereuntia judicium judicemus! Et tu quid affers?

SCENA II.

Personæ omnes.

Villalonus. DUx magne, parati ad iter filii, sicut præceperas, expectant nutum. *Borg.* Quô animô sunt? *Vill.* Curarum pleno. Vix visos antè, velut si alieni essent, à te repuleras, hoc affligit. *Borg.* Solabor: adesse jube. Ultimus actus supereſt: pugnandum amori paterno erit. Irrue Divine Amor! expelle, quidquid teneritudinis adhuc in fibris latitat: totum occide Patrem! *Araoz.* Dignum spectatore DEO theatrum habes: actores intrant. *Rog.* Tragœdiam dabunt. *Borg.* Salve Dux Gandiæ, Lamboiæ Marchio! nam filium abdicavi: Joannes, verere Ducem fratrem, qui tibi deinceps pro Patre erit. *Carol.* Pater! *Borg.* Cessavi esse! *Joan.* Amande Pater! *Borg.* Franciscum voca! *Car.* Quàm tristi exordiô sermonis terres! *Borg.* Nihil erit longo sermone opus: decreta sunt omnia. Ecce facultas Cæsaris! ecce ultima voluntas Patris! cætera exponet Gener meus. Valete! itineris sit comes DEus, & amet vos semper! *Car.* Itáne! imò Pater,

ter, non ita fiet. Frater, jura mea tu tibi habe: ego cum Patre maneo. *Jo.* Post mortem Patris si cedas mihi, accipiam volens: nunc redde Patri; sine Patre non vivam ego. *Car.* Pater, decide causam! non audeo sperare, quòd precibûs everti sanctum propositum queat, quô te armâsti adversùm nos; hoc queror, quòd bonum consilium celaveris Carolum, ut prospicere sibi non potuerit. Quanquam cur hæsito? sapiens Pater est: qui status ipsi placet, idem & filio placet. Pater! quid mihi cum Gandia, quid cum Lamboia est? habeat sibi has quisquilias Frater: ego Patri hæreo. *Borg.* Placet hic animus, Carole, & loqueris ex meo sensu: tu verò quid sentis, Joannes? *Jo.* Ego Patrem plùs, quàm Fratrem amo: oro, ne me deseras orphanum! *Car.* Frustra hoc oras, Frater! accepta potiùs, quæ dono, jura: ecce hodie Dux Gandiæ, Marchio Lamboiæ eris. *Jo.* Probas Pater? *Borg.* Animula vilis! quantum adhuc Adami habes! *tu* verò, Carole, adeóne facilè contemnis hæreditatem, Majorum laboribus & sanguine partam nobis? *Car.* Quanti humana omnia esse debeant, tu docuisti; unde mihi æstimatio sit? pretium habeant, quæ Pater calcat? Quòd nihil æstimet DEus, præter virtutem, quòd, quæ pereunt, viri sapientis affectu indigna sint, quòd hujus vitæ felicitas vix hodierna sit, quòd post hanc vitam nulla prærogativa locum habeat, & nobilium cadavera æquè fæteant, ac rusticorum, à te didici: & miraris, quòd spernam, quæ tu spernis? *Borg.* Macte animo! quò minùs appetis, tantò magis es dignus Imperio. Rogone, Araozi, video, adhuc semel resumendam esse Patris personam mihi. *Rog.* Expecto, quid velis. *Ar.* Carole Princeps, acquiescendum est voluntati paternæ, & in subitis motibus nihil decernendum, quod facilè mutari non possit. *Borg.* Erit tempus, cùm examinabimus per moram, DEI, an Patris amor sic te incenderit. *Ar.* Sed nec Ignatius, ô Princeps, continuò probaret præceps consilium: providè agit, nec nisi *per patientiam* probatos in Familiam adlegit.

git. *Borg.* Nimirum vir ille prudens, quos suos esse vult, in illis non ceras numerat, non fortunas attendit: an *apti*, & *serii* sint AD MAJOREM DEI GLORIAM, hoc inquirit; & hæc inquisitio tempus postulat. Itaque *interea* ut imperes, impero tibi, Carole: parebis? *Car.* Nunquam difficiliùs obedivi. DEus scrutator cordium! tu scis, quòd invitus capessam regimen: da, ut sit breve, dignúmque fac, ut cui cum Patre non licet, post Patrem possim in vestigia ire, quæ impressisti viæ, per quam calcatis opibûs, honoribus, & commodis hujus vitæ in cœlum ibas. *Rog.* Totus patrizas, Carole, & ad ruborem mihi. *Ar.* Optima est animi comparatio ad felix regimen; & nemo securiùs cum mundo vivit, quàm qui contemnit mundum: contemptus *affectum* opprimit, qui cor seducit à DEo procul. *Borg.* Utinam, Joannes mi, similiter ùt Carolus, profeciſſes in ista Schola! Sed age, quod non didicisti à Patre, Mater doceat. Ne vacuus à me abeas, hanc effigiem dono. Nôsti, cujus imago sit? *Jo.* Heu! gemino dolore obruor! te, Pater, mihi eripis, & ut mortuæ Matris imago tristis perpetuò ante oculos versetur mihi, hoc jubes insuper? *Borg.* Ad fructum jubeo. Qui amant aliquid *præter DEum*, amorem vanum, aut malum non faciliùs corrigent, quàm *per mortis memoriam.* Eleonora! formosa eras, dives eras, illustrissimo genere, amœnissima indole, summa dignitate, summâ gratia: nunc! vide mi Joannes, quid videas! *Jo.* Isabellæ Imperatricis, non Matris Eleonoræ hæc est imago: jam olim cum nausea vidi. *Borg.* Mors Matrem tuam Isabellæ gemellam sororem fecit: ecce ambæ sepultæ sunt, & ambarum propè cum campanarum sonitu memoria periit: hæc rerum humanarum conditio est, quas tanti facimus. *Jo.* Fastidium turbat viscera! talis est Mater mea? heu! quacum toties deliciabar, in quale monstrum desivit!.. *Borg.* Perge! perge! ita te bene occupas. Tu verò Carole, donec aliud DEus postulet, cape

Spiritum regimini parem. * Auferat à te DEUS SPIRITUM PRINCIPUM, qui est spiritus superbiæ, spiritus vanitatis, auctor luxûs, amator otii, altor crudelitatis, fax bellorum! det tibi SPIRITUM PRINCIPALEM, qui Regium Prophetam *virum* secundùm cor DEI fecit. Intellige, quòd per æternæ Providentiæ ordinem in Principatu sis natus, non ut tibi viveres, tuisque cupiditatibus, sed ut tuos regeres; regere autem non esse idem, ac dominari, despoticóque imperiô subditos premere, sed idem esse, ac *communi bono servire*, ex illo sanæ Politiæ principio: *Princeps est propter populum, non populus propter Principem.* Prima tibi cura sit *cura Religionis*: à DEo firmantur solia. Altera erit cura tui, ne à semita mandatorum DEI vel unguem devies: obedientiam à subditis tu tibi exigis, à te DEus. Tertiô locô curabis Fratres, Patérque illis, non Princeps eris, memor, quòd non per aliam prærogativam illis præsis, nisi quòd cunas prior *tuis* lacrymis madefeceris. Postremùm subditos tibi commendo, quos ut regas bene, una regula sufficit: SIC REGE, UT REGI VELLES! ita fortiter administrabis justitiam, prudenter coles clementiam, solerter invigilabis Officialibus, sollicitè fugies adulantes, studiosè diliges veritatem, denique jura Majestatis, & magnificentiam nunquam tueberis per tuorum injurias. Talem subditi amabunt ùt Patrem, timebunt ùt Judicem, colent ùt vice-Deum. *Car.* Divina præcepta sunt! cœlum faveat, ut satisfaciam Parentis spei! *Ar.* Exempla trahant! *Rog.* Sic eris tu quoque Miraculum Principum. *Borg.* Sed jam sit finis. Adeste ad manûs osculum dilecti mei! ultimùm Pater vocat. *Jo.* Ergò avelli necesse est? cor mihi eripitur, Frater! *Car.* Reluctari nec DEo, nec Patri licet. O benefica manus, quot bona tibi debeo! nunc dum subtrahis, Pater, sæpè pro me in cœlum tolle, ut inde veniat benedictio mihi! *Jo.* Mihi pro lingua loquatur cor! *Borg.* Vale Joannes mi, & quomodò vivendum sit, ex mortua Matre

* Ex Epistola Sancti ad Principem Lusitaniæ.

Matre discе! vale Dux Carole! & tu Rogone Gener, vale! colite pacem, obsecro, & concordibûs studiis amate DEum, *præter quem* nihil amabile est! Villalonum manumitto, tibíque commendo, Carole! fidelem famulum habes: cole, donec, cùm cœlo placuerit, ad famulatum *solius DEI* & ipse feliciter avolet. *Vill.* Dux magne! *Rog.* Illustrissime Socer! *Car. Jo.* Optime Pater! *Borg.* Cessate titulos, quos abjeci! injuriam facitis, si me creditis sic honorari. Franciscus vocor! hic supersest unus titulus: FRANCISCUS PECCATOR! valete! *Vill.* O utinam plenus his peccatoribûs mundus foret!

SCENA III.

Borgia. Araozius.

Borgia. ABierunt. Respiro, Araozi, tanquam si molare saxum pectus à se amovisset: adeò me *multiplex* Amor torsit: nunc cùm est *unus*, ô quàm dulcis, ô quàm jucundus est! jam Fratres sumus! primum, Pater; amplexum cape! salve in Christo Frater! *Ar.* Laudate victorem cœli, qui talem hodie dedistis Fratrem! sed Fratres similis vestis decet: en paravi! *Borg.* Promptus sum ad obedientiam tibi! *Serii Amoris* partus hæc virtus est. Abi Ducalis cydaris! quem amo, spinis cinctum ostentat caput! exue superbiam Borgia! nudus Amor nudum à phaleris Amorem postulat! porrige tunicam mundo vilem: sic Christum induam! O qui propter me Domine tribûs clavis es crucifixus, da ut Borgia nunquam sine tuis comitibus sit, nunquam sine pauperie, nunquam sine dolore, nunquam sine contemptu! Hæc tria si *præter DEum* amo, tunc *solum DEum* amo. *Ar.* O sensus bonus! I munde, jam ride Borgiam! at non ridebis, scio, cùm videbis olim sedentem *inter judicantes duodecim tribus Israël*, tunc non ridebis!

MEDITATIO V.

Diliges ex tota virtute tua. *Marc.* 12.

S. FRANCISCUS XAVERIUS.

ARGUMENTUM.

ASCendimus tertium gradum Amoris *effectivi*, qui est, DEum *ex tota virtute*, hoc est, SINE MODO diligere. Nimirum claudi limitibûs verus Amor non potest; quantum potest, tantum audet, nec rarò etiam plus, quàm potest, ita ut succumbere demum conatui debeat, atque post vires pro Dilecti gloria exhaustas vitam in ejusdem amplexu exspiret. Tam felix mors S. Francisco Xaverio obtigit in Insula Sanciano Sinensibus confini, quos fidei sacræ luce illustrare, vel sanguinis impendiô, TOTIS VIRIBUS desiderabat, vir nunquam satur ærumnarum, quas pro DEO ferebat, quia DEum *sine modo* amabat. Erit igitur hujus Meditationis, quæ de quinto Francisco instituetur,

Materia: S. Francisci Xaverii sancta mors.
Puncta duo: 1. Mortis causæ.
2. Mortis modus.
Fructus. SINE MODO.
Propositum: In materia, quæ ad DEI beneplacitum pertinet, nunquam dicamus: *satis est!* semper: *amplius! amplius!* neque qualemcunque, sed majorem semper, ac majorem ejus gloriam *in omni consilio* spectemus, nullo vel labore, vel dolore deterriti.

PER-

PERSONÆ.

S. Franciſcus Xaverius ſenſim febri ſuccumbens.
Almeida navis Luſitaniæ Præfectus, Xaverii ad Sinas profectioni contrarius.
Georgius Alvarus Luſitanus Mercator, qui ſuum mapale ægrotanti permiſit.
Jacobus Juvenis Indus, cui à bona inſtitutione deficienti Xaverius moriens prædixit interitum.
Antonius à S. Fide Juvenis Sinenſis, à Xaverio converſus, & ex India in Sancianum adductus, ut eidem apud Sinas pro interprete ſerviret.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad præſentem.

Fides. Ratio.

Ratio. JO! rupta ſunt vincula: * Exhibitio.
Ad DEum, ad tuum centrum
Alacriter cor meum evola!

ARIA.

1.

Valete amores profani!
Fulgetis fulgore inani,
Qui *levi* ſtultarum
De grege muſcarum
Leviſſimas trahit ad ſe:
Non ſic capietis & me!

2.

Vix illæ, cùm lucem viderunt,
Audacter se propiùs ferunt,
Jam alæ uruntur:
Misellæ sternuntur! ...
Ex avibus reptiles se
Dum plangunt, erudiunt me.

Fides. Hem! qualem te video, soror?
Ratio. Qualem fecit Amor.
Ecce *reliqui omnia:*
Ut amores divisos colligerem,
Et DEum *unum*, nihilque
PRÆTER DEUM diligerem.
Quid adhuc mihi deest? Matth. 19.
Fides. Omnia relinquere
Vel *per affectum*,
Vel, si voluerit Dominus,
Etiam *in effectu*,
Non est nihil facere.
Sed tu audi me:
Si vis perfectus esse (sunt verba Domini)
Veni, sequere me, & SIC DILIGE,
SICUT EGO DILEXI TE! ...
Supereſt igitur gradus Amoris *altissimus*,
Qui est, DEUM SINE MODO diligere.
Certè, qui voluit crucifigi pro te,
SINE MODO dilexit te,
Neque tantùm EX TOTA ANIMA SUA,
Sed etiam EX TOTA VIRTUTE SUA.
Audis clamantem: CONSUMMATUM EST!
Et non intelligis SINE MODO amantem?

ARIA.

ARIA.

Philoſophiam optimam
Hic habet TITULUS:
In cruce ponens animam
Vocatur FLORIDUS. * * Nazarenus.
Amoris nempe flores
Sunt ſpinæ, ſunt dolores,
Si Amor verus eſt:
Qui ludit, qui jocatur,
Per nugas qui procatur,
Furor, non amor eſt.

Ratio. Doctrinam tradis auſteram!
Fides. Sed veram.
Ecce Dominus
A juventute ſua *in laboribus*,
Vitam denique finivit *in doloribus!*
LABOR, & DOLOR fuerunt AMORIS
Individui comites,
Teſtes, & fomites.
LABOR, & DOLOR probabunt te,
An poſſis, an velis DEum *ſine modo* diligere,
Sicut ipſe dilexit te.
Ratio. Labor, & dolor! ô pondus verborum!
Probatio difficillima!
Fides. Amanti jucundiſſima.

ARIA.

1.

Fides. Aſſurge! aſſurge!
In gradum ſupremum te urge!
Ratio. Promptiſſimus ſpiritus eſt;
Sed caro infenſa *labori*,

Fides.

Fides. Non AMORI,
Ratio. Infensa *dolori*,
Fides. Non AMORI,
Ratio. Rebellis spiritui est!
Fides. SI AMAT, rebellis non est!
Tu sequere me!
Ratio. Tu adjuva me!

2.

Fides. Non labor laboris,
Non dolor sentitur doloris,
Si Amor fervebit in te?
Dulcedo dulcissimi mellis
Absorbet vim fellis:
Mors ipsa (ne crucia te!)
Amabilem exhibet se,
Tu sequere me!
Ratio. Tu adjuva me!

MEDITATIONIS V.
De S. Francisco Xaverio

PUNCTUM I.
MORTIS CAUSÆ.

SCENA I.
Xaverius. Antonius. Jacobus.

Xaverius dormiens. AMpliùs, Domine, ampliùs!.. O bona crux!.. *Ant.* Quæ exclamatio est? *Xav.* O suaves labores!.. *Jac.* Somnians loquitur. *Xav.* O dolores jucun-

jucundi! ampliùs, Domine, ampliùs!.. *Ant.* O Pater ſancte! tu pretioſiùs dormis, quàm alii vigilant. Jacobe! quis animi ſenſus eſſe nobis debet de tanto Magiſtro? *Jac.* Æſtimo virum, Antoni, & amo etiam, quia video, quòd amet me, & bonum velit; amarem tamen teneriùs, ſi eſſet minùs ſeverus mihi. *Ant.* Ego verò hanc ipſam ſeveritatem tenerrimè amo, quia intelligo *paternam* eſſe, præceptámque in Evangelio, quod uterque docente ipſo, & infinitis prodigiis illuſtrante profeſſi ſumus. Chriſtianos ipſe fecit, hoc eſt, HOMINES FUTURI TEMPORIS, atque adeò *præſentium contemptores*; aſpirare ad cœlum juſſit, ne æternis miſeriis involveremur: ad cœlum viam eſſe arduam, viam abnegationis, viam crucis ſive per innocentiam, ſive per pœnitentiam intrare velimus, ex ipſo ſacro Codice demonſtravit. Igitur cùm inſtat, cùm urget noſtram ſegnitiem, cùm contumacem indolem ſub ſuave jugum flectit, cùm arguit, obſecrat, increpat opportunè, ac importunè, beneficium nobis facit. Et væ mihi! æternùm væ, niſi optimus DEus providiſſet mihi de viro, qui Sinicæ *educationis mollitiem* ad Divinæ legis auſteritatem durâſſet. *Jac.* Me India genuit: Indus non ita facilè, ût Sina, naturæ ferventis impetus ad Didaſcali imperium frangit. Venus, ira, & horror laboris *nobiſcum* naſcuntur: putas, *ante nos* mori poſſe? *Ant.* Mori debent, Jacobe, ſi quidem tu velis æternùm vivere. *Jac.* Mori debent! quis occidet? *Ant.* Tu, tu debes violentam manum inferre inimicis domeſticis, qui pugnant adversùm te! *Jac.* Difficillimus labor eſt. *Ant.* Sed neceſſarius. Age, quid facis, ſi fortè in fragili lembo navigantem turbo repentè impetit, ſi fremit mare, ſi ſurſum, deorſum jactat, ſi jamjam in ſyrtes trahere, aut ſcopulos videtur: non tu TOTA VIRTUTE remis incumbis? non *ſummo labore* fluctus verberas? non contentione nunquam intermiſſa adversùs ventos, & mare pugnas ferociter, donec victor periculorum *in littus* exilias? *Jac.* Scilicet ſummum vitæ diſcrimen in iſto caſu op-

primeret ignaviam indolis, & ſopitos ſpiritus in frigentes artus vocaret. *Ant.* Diſcrimen vitæ, ais? cujus vitæ? utique miſeræ, mille calamitatibus obnoxiæ, denique quantumvis pro illa laboraveris, tamen ſeriùs aut citiùs finiendæ: & diſcrimen vitæ æternùm beatæ nihil contra noſtri ſpiritûs acediam valeat? venti ex inferno irruunt, fluctus in utroque appetitu inſurgunt, anima periclitatur, & tu iraſceris Xaverio, quòd *ad laborem* extimulet! *Jac.* Nimirum iſta pericula non cadunt ſub ſenſus; hinc ſegniùs movent. *Ant.* Hinc ſegnities neceſſe eſt, ut habeat, à quo concutiatur, ne deſinat in lethargum. Frater, boni, boni conſule optimi Patris ſollicitam curam: moleſta ſit ſenſui, & indoli gravis: *amari* etiam moleſtia poteſt, quæ *utilis* eſt, quam nauſeat *guſtus* medicinam, RATIO, mi Jacobe, RATIO probat, amat, magnô pretiô emit. Laudemus DEum, qui dedit Xaverium nobis: oremus, ne auferat. *Jac.* Quid ingemiſcit? prô! ſi audivit gemitus meos, quæ iterum lamenta audiam! *Ant.* Iterum ſomnians muſſitat aliquid. *Xav.* Heu! pondere opprimor! *Jac.* Audin', ùt ſuſpiret! *Ant.* Laborat, ſudat, angitur!.. evigilat. *Xav.* O DEus, ego amo te!.. quid vidi?... *Ant.* Ut vales, Pater mi! *Xav.* Reſpiro: & fallor! an abiit febris? *Jac.* Utinam concedat inducias ſaltem! *Xav.* Ah! miſer! ah miſer! *Jac.* Nam quid hi gemitus volunt? malum filio prophetat Pater? *Xav.* Ah miſer!.. Antoni, valeo! curre ad mare! quære cymbulam mihi! ad Sinas navigemus, ad Sinas! *Ant.* Parce obſecro! vitam toti Aſiæ debes: vitæ parce! aut moram ſaltem zelo impera, ne te perimat ante tempus! *Xav.* Tu obloqui? ſic obedis! ſed bene! Metuis, opinor, vitæ tuæ, non meæ, ſi Sinenſibus Evangelium interpretemur; igitur ſolus ibo, & vel ſi pedibûs calcandi fluctus ſint, non timebo. *Ant.* Imò obedio, quoniam jubes. Urgebo Almeidam, ut denique ſecundet votum: tu tantùm, donec redeam, moderare ardorem, ne nimius fervor irritet malum.

SCENA

SCENA II.

Xaverius. Jacobus.

Xaverius. Sic places. Sed tu, *ah miser! ah miser! Jac.* Terroribûs horrendis me tremefacis, Pater! quid jubes metuere? fortè Propheticum somnium de me turbavit? *Xav.* Tua te mollities perdet, ô miser, & quia tua vitia non occidis, illa occident te: hic dolor tristissimum somnum fecit. *Jac.* Audivi gemitus dormientis: sed & jubilum vidi. *Xav.* Nempe geminum spectaculum se menti objecit, lætum unum, triste alterum. Lætus eram, cùm videbam innumeras cruces delabi cœlô, quæ (ita me Spiritus Domini confirmavit) tantùm abfuit, ut terrerent, ut etiam traherent in amplexum! *Jac.* Audivimus attoniti exclamantem: *amplius Domine, amplius! Xav.* Attoniti! quare attoniti? quòd DEus *pro homine* cruci configi voluerit, hoc attonare hominem debet intelligentem, quid sibi velint hæ voces: DEUS PRO HOMINE! si autem *homo* aliquid pati PRO DEO velit, unde admiratio sit? *Tu, tu, mi JESU, totum me amplexus es in cruce! cur igitur non amem te,* & Amorem simili crucis amplexu probem? *Jac.* Sed tu, quod ego à vigilante fieri posse vix adducar, ut credam, petebas, post decem annorum immensos labores, post itinerum infinitas molestias, post vires quotidianis prædicationibûs exhaustas, post tot naufragia, vir perpetuæ orationis, exigui somni, refocillationis nullius, obrutus innumeris curis, curis pro Sociis, & pro extraneis, in tanta rerum omnium, & commodorum penuria, post tantas elementorum, hominúmque in Gentibus tam variis injurias, & novissimè à Præfecto Malacensi nullo habito ad Nuntii Pontificii dignitatem respectu publicè contemptus, à Lusitanis, quibûs nuperrimè, ne siti perirent, aquam maris salsam in dulcem insigni prodigiô commutâsti, panè desertus, insuper calente febri ad mor-

tem oppressus, petebas *amplius* laborum, *amplius* ærumnarum, ampliùs *Crucium*; profectò humana natura ab his abhorret. *Xav.* Sed ratio, & fides, ô bone, non abhorret. *Tu, tu, mi JEsu, tulisti clavos, lanceam, multámque ignominiam, INNUMEROS dolores, sudores, & angores, ac mortem, & hæc PROPTER ME!* quantillum est, quod ego feci, & tuli *propter te!* .. AH MISER! tu neque scis, quid sit *amari* à DEO, neque quid sit DEum *amare*: propterea si quidem vult DEus, ut moriar, propè de te solo sic affligor, sicut de tota Sina, quòd curæ meæ nondum fructum, quem vellem, tulerint. Et verò vereor, ne alterum somnium hoc malum portenderit. Videbar mihi portare in humeris Indum Æthiopem, & sub onere defecisse! *Jac.* Sudabas certè, & difficillimo anhelitu angorem animi demonstrabas: egóne sim ita gravis? .. Alia interpretatio occurrit mihi. Æthiops pondere giganteo incumbens tibi universam *Indiam* referebat, cui impensi labores huc adegerunt te, Pater, ut valetudine jam prostrata Sinis suffecturus sis minimè: propterea acquiescendum tandem erit amicorum consiliis; converte Indias ad Christum: satis est: *Xav. Satis est!* ô frigus! nam ignis nunquam dicit: *sufficit!* ampliùs! ampliùs propagat incendium, donec supersit nihil, quod devoret. Indiæ providi de operariis, qui quod plantavi, rigent, donec incrementum det DEus: me cœlum in Sinas vocat: in Sinas ibo. Video eheu! latè patentes campos urticis, ac tribulis plenos; quia nemo est, qui excolat! amplissimum Imperium sub jugo Sathanico gemit: & nemo est, qui liberet! quot myriades animarum hoc Regnum alit; & nulla ex illis amat DEum meum: ego hoc sinam! hoc feram! hoc patiar? *Jac.* Modum, quæso, fervori pone! *Xav. Ah miser!* tu libidini tuæ, tuæ iræ, tuæ acediæ pone modum, & limites tandem: me sine DEum meum *sine modo* amabilem *sine modo* amare! *Jac.* Fastidium est, Pater, toties audire antiquam crambem: patientiam habe: modum affectionibus meis

ætas

ætas ponet. *Xav.* Quid audio? modum *ætas*, non Amor ponet? ergò qui ab æterno amavit te, non tu illum *omni ætate* amabis DEum? O glacies feralis! ô cor infelix! hem! Domine, tu in laboribus, & doloribus fuisti à juventute tua propter hunc homuncionem, & iste vult amare te, cùm erit vir: dum est juvenis, non vult amare! *Ah miser!* quem non vis amare, cùm potes *omni tempore*, vereor, ut possis amare, cùm voles, *in æternitate!* Non DEus tuo, sed tu DEI Amore indiges, ut sis felix. *Jac.* Fatigor à tot lamentis. Ecce Antonius tuus.

SCENA III.

Xaverius. Antonius. Jacobus. Almeida. Alvarus.

Antonius. JAm verò, Pater mi, hinc proficiscendi ultima necessitas est, & videndi patriam Christo supplicem spes omnis evanuit mihi. *Alm.* Pro mea erga te reverentia Pater, ipse adsum ingratus nuntius, ut videas, quòd invitus obediam. Epistolam inspice! *Xav.* Nomen Ateidæ lego: nihil commune mihi cum viro est propter contumaciam à Sanctorum communione excluso. *Alv.* Irritâsti ferox ingenium tua severitate, sic, ut iræ rabiem usque in Sancianum extendat. *Xav.* Parcat illi Dominus! coëgit me homo invitum, atque gementem extrema expedire remedia, dirisque devovere virum rebellem Christo, Christíque Vicario, ut qui scelus non horruit, saltem per sceleris supplicium, & publicam ignominiam corrigeretur. *Alm.* Aliter accidit. Exacerbatior, deserto te, jubet nos redire Malacam; obediendum Præfecto est: cras faciemus vela. *Xav.* Ecce! huc hominem furor egit! Me miseret miseri: nam pænas impeditæ legationis horrendas dabit, uno, eodémque tempore famæ, fortunarum, regiæ gratiæ, ipsius vitæ, utinam non & animæ jacturam passurus. Almeida, obsecro, ut ad Sinas

Cantonem occultè avehar: ita te DEus amet! *Alm.* Atqui hoc ipsum prohibeor: legis? *Xav.* Profectò provida impietas est. Sed intelligo tua consilia, ô mens æterna! Lusitanæ naves, quibus solerter servii, nuper ne salutatum quidem omnes reliquerunt: quæ mansit una, jam etiam deserit: solus sum, ut soli me tibi fidam. *Alm.* Quidquid tamen jusserit Gubernator, hoc non committam, ut in deserta Insula extremæ calamitati virum optimè de nobis meritum, DEO charum, ex morbo languentem exponam; quodcunque littus postules, inveham, modò Malacam, aut Sinam non expetas. *Alv.* Et verò adire Sinas quousque avebis, Pater! si tibi tui cura non est, at saltem sit mercatorum, quos tuus in Sinas adventus ab omnibus excludet commerciis? *Alm.* Et afflicta propè ad mortem valetudine quid præstabis? Vix ingressum aut vires destituent ad prædicandum, aut si redirent etiam, immani labori celeriter succumbent, aut proditus æterno carcere, vel capitis pænâ audaciam lues. *Xav.* Igitur aut labor, aut dolor manet: uterque comes Amoris est. Amor ad Sinas vocat. Agite res vestras, Amici: de me Dominus providebit. Sinite, ut soli loquar.

SCENA IV.

Almeida. Alvarus. Jacobus. Antonius.

Almeida. QUid facimus? *Alv.* Mihi navis cum mercibus Cantone rediit; & jam nihil tenet, quò minùs cras abeam. *Alm.* Ego verò per aliquot dies vel Ateidæ ingratiis libenter hærerem ad littus, donec extra discrimen posita valetudo Xaverii idoneas jactationi vires suppeteret, si tamen spes esset flectendi virum, ut à consilio Missionis Sinensis desisteret. *Alv.* Nempe times, Almeida (nec imprudens est timor) ne si tanti nominis hominem in Sanciano deseras, malè in tota India

dia, & Lusitania audias, arguendus barbaræ inhumanitatis, quæ nota est viro honestè educato turpissima. *Jac.* Sed inutilis humanitas est: obstinatus in proposito animus officium non admittit. Xaverius, vel si totus mundus dissuadeat, ad Sinas ibit; est sui capitis, & ajunt, vitium pertinaciæ esse commune Sanctorum. *Ant.* Paulò reverentiùs, Frater, de hominibus DEO charis loquare. Quòd tu vitium pertinaciæ appellas, est *virtus Constantiæ.* Sancti, quod decernunt, non decernunt *per impetum:* consilium à DEO orantes postulant; res non obiter, neque ad malignum lumen intellectûs ab affectibus obnubilati expendunt, sed trutinant ad rationes æternas; denique non semper per leges *prudentiæ humanæ* se regunt, à Divina inspiratione aguntur: mirum sit, si minùs facilè, quàm alii, sententiam mutant? *Jac.* Te semper *spiritus contradictionis* facundum reddit adversùm me, postquàm in sinum Xaverii te conjeciisti, me dejecto. *Ant.* Amici, injuriam iste loquitur: ego illi gratiam Sancti, æquè ùt mihi, gratulor: & verè utrumque à Francisco amari æqualiter, *præter invidiam*, nemo non videt, licèt Amoris signa erga me, & ipsum diversa edat. *Alm.* Semper tu quereris, Æthiops, de severitate Xaverii: minùs amaret te, si minùs severus esset. Facilior Antonio est, quid tum? nempe faciliùs forma, quam cupio, in tela, quàm in faxo formatur: difficilis indoles scalpris, & limâ indiget. *Jac.* Miseri Indi! sic viluimus vobis? postquàm hic Sina sua vafritie vos dementavit: atqui tu, Alvare, meliùs nôsti, qui sint, quos nunc præ Indis Lusitani depereunt: in Cantonensibus commerciis experientiam ceperis. *Alv.* Nemo, Amice, sine vitiis nascitur. *Alm.* Optimus est, qui agnoscit, & correctionis est patiens: omissis jurgiis uterque parete Xaverio, uterque amabitur. *Jac.* Non jurgor: hoc tantùm molestè fero, quòd iste per spes inanes sic se insinuaverit Patris animo, ut etiam ad deserendam Indiam obstinaverit. *Alv.* Tantùm si potes, quare non id agis modò, ut mutet consilium,

post-

poſtquàm vides, per Indicos labores proſtratum, jam Sinicis non poſſe ſufficere? *Ant.* Amici, ſæpe hanc cauſam coràm ægro etiam cum lacrymis egi. Quanquam enim tantum bonum, quantum eſt ſanctæ fidei, contribulibus meis ſummis votis exoptem, tamen valetudini, & vitæ ut parceret, quoties rogavi! Flebam ego: flebat ipſe etiam, atque cum gemitu: fili, dicebat, hæc tu lamenta Europæis mercatoribus fac: illi per tot terrarum, mariúmque diſcrimina, patriæ, uxoris, liberorum, ſanitatis, vitæque immemores ad Indos contendunt, ut lucrum ex quisquiliis faciant: & tu homini *animas* quærenti otium à laboribus ſuades? tu vis, ut corpori quietem indulgeam? vis igitur, ut *vitam inutilem* vivam, ne *citiùs* moriar? atqui nihil interest, *quàm diu*, ſed *quàm bene*, quàm utiliter vivam: multi moriuntur ſenes pleni annorum, vacui meritorum: vis, ut inter hos Xaverius numeretur? Abſit! *laborare* neceſſe eſt, *vivere* non eſt neceſſe, niſi poſſim *utiliter* vivere. Ecce! (& oſculabatur crucem) ecce in flore ætatis contempſit vitam ſuam Dominus, & dedit pro me: Servus autem tanti ſe æſtimet, ut mori nolit in obſequio Domini? quanti terrâ, marique, in pacis, & belli laboribus pro Principe ſuo vires, ac vitam prodigunt, & laudantur: pro DEO autem, ſi paulò citiùs conſumatur Xaverius, imprudens dicetur. *Vade retrò Satana!* ſcandalum es mihi, quisquis quietem ſuades! DEus amandus eſt EX TOTIS VIRIBUS! qui vitam vivere *ignavè quietam* cupit, non meretur, ut poſt mortem *requieſcat in pace.* Hi ſenſus Xaverii ſunt: ite nunc, & ſuadete, ut Sinicas ærumnas fugiat. Sinæ, inquit, vel me audient: ſi audient, erit vita mihi pro DEO *laborioſa:* ſi non audient, vitam auferet *cruenta mors:* utraque eſt in votis. Non poſſum *jucundiùs* vivere, niſi *in laboribus* pro DEo: non poſſum *glorioſiùs* mori, niſi *in cruciatibus* pro DEo. *Alv.* Almeida, vel nuda deſcriptio animi ſic comparati in deſperationem me conjicit, fieri poſſe, ut à ſententia dimoveatur: convaſemus. *Alm.* Te-

cum

cum sentio, nam cui bono hìc hærebimus? abitum Atcides imperat, tempus urget, venti vocant: valedicamus Sancto, ut benedicat. *Ant.* Ah duri! hæc resolutio est digna ingentibus beneficiis, quæ Xaverius præstitit. *Alm.* Grata memoria est: doleo, quòd sit inutilis. *Ant.* Ad mortem ægrum relinquitis in manibus duorum juvenum inexpertorum, opis ac consilii egenorum? Frater, quid nos agemus? *Jac.* Ego mihi consulam: cum Almeida abibo hinc! *Ant.* Quid? & in me solum incumbet onus curandi ægri! Almeida! hoc tu insuper committes facinus, & Jacobum insciô, atque invitô Xaveriô tecum auferes? *Jac.* Quid? ut in desertæ Insulæ miseriis propter ipsum contabescam, Xaverius exigat? *Alv.* Nihil hoc metue: quæ ad victum sufficiant, donec redibimus, ego ex navi suppeditabo. *Jac.* Nihil istis opus est mihi; vel ringente Xaverio redibo in Indiam: sentiat, quem amiserit, & habeat fructum suæ severitatis. *Ant.* O Superi! quid loquitur iste? Almeida, tu judica, in quam miseriam me Jacobus præcipitet? solus quomodò ægro, quomodò mihi consulam? *Jac.* Si eris miser, tuâ culpâ eris: abire tu etiam nobiscum potes, & ego invito te. *Ant.* Crude! hoc te adeò impium consilium decet? *Jac.* Stupide! desertum ab omnibus Xaverium non vides coactum iri, ut in Indiam nobiscum redeat? non sic mihi, & vobis consulo? *Ant.* I miser, consule tibi: consilium à te Xaverius sibi non requiret. O sancta pietas, quàm bonum semen in isto corde nullas radices egit! *Alm.* Lamentis abstine! nunquam ego hominem in navem recipiam, nisi annuerit Xaverius. Intremus.

SCENA V.

Antonius, Jacobus.

Jacobus. TU verò, Sina, hoc telum vides? acumen tenta! *Ant.* Cur istud postulas? *Jac.* Visceribus tuis usque huc im-

mersum hoc frigus ferri calescet in tuo sanguine', & animam expellet invisam mihi, nisi efficias, ut per Xaverium reverti in Patriam sinar. *Ant.* Jacobe Frater! ecce per illum supplex te DEum oro, cui consecrati uterque per sacrum lavacrum sumus: abjice consilium atrox, tam inimicum charitati, quam proximo *propter DEUM* juravimus! *Jac.* Necem juravi tibi, nisi pareas. *Ant.* Ah! quò te impotens furor agit? nimis AMAS TEIPSUM Frater, ideò majores verò miserias times, & timor accendit rabiem: DEUM AMA! Amor cicurabit ferociam: Amor ad ærumnas durabit pectus. Servimus Sancto, quem DEus amat: in hoc servitio etiam, si mori necesse sit, beati sumus! *Jac.* Vis, ut ego vobiscum crepem? surdus sum! non persuadebis.

SCENA VI.

Antonius. Almeida. Alvarus. Xaverius.

Antonius. O DEUS! quem esse SINE MODO amandum me Xaverius docuit, in quas angustias Antonium redigis? Amici deserunt, Frater odit, Pater fortasse moritur: ego quò ibo? *Alm.* Antoni, ardor febrilis rediit: vereor, ne antequàm nos è portu, Xaverius ex vita abeat. *Ant.* O me miserum! ô infelicem Sinam! *Alv.* Totus in piis deliriis est: nihil ad nostras quæstiones conveniens loquitur. Audis? *Xav.* Qui cœlo & terræ imperat, huc misit me, unus ac trinus DEus! *Ant.* O Pater! quorsum inani contentione fatigas te! *Xav.* Per omnia superstitiosiores Indis, ac Japonibûs vos video, Sinenses mei. *Ant.* Ah! nemo te audit. Audi me, Pater mi! & in laborem utilem vires serva! *Xav.* Unus est DEus, sapientissime Imperator, unus est DEus! *Ant.* Jam in aula prædicationis officiô se fungi existimat. *Xav.* Unum ratio, unum natura esse clamat, cui nullus sit par! unum adorari, Princeps, unum amari in tuo Imperio impera! nihil vos mortua simulacra juvant: unus

est,

est, qui vivit, & regnat in sæcula! *Ant.* Et ab hoc uno, Amici, spes auxilii pro Xaverio est. O qui per Xaverium tot ægros sanâsti Domine, ecce quem amas, infirmatur ad mortem! miserere Sinensium! dic verbô (nam verbô potes) & sanabitur Xaverius: sanetur! Quòdsi peccata popularium, meorum indignos gratiâ prodigii faciunt, ecce! adsum victima pro peccato! aufer hominem inutilem mundo: Xaverium Sinis serva! *Alv.* Almeida, miserabilem scenam video. *Xav.* Antoni! Antoni! *Ant.* Ecce adsum! redis ad te? impera! jube! *Xav.* Interpretare, quæ dixi, sed cum ardore! cum ardore, quem argumentum meretur. *Alm.* Vide, ùt incensa sit facies! *Alv.* Ipse anhelitus pænè ignem exspirat. *Xav.* Hic DEus, hic Dominus universorum, cùm per peccatum homo gratiâ excidisset, ut *sine Justitiæ detrimento* restitui posset, unde exciderat, *sic dilexit mundum*, ut Filium suum unigenitum pro illo in mortem dederit, & quidem in crucis mortem! *Alm.* Contentio vocis, ac virium elidet animam, nisi juvamus. *Alv.* Quid est consilii? *Xav.* Ecce hic est Filius DEI, mortuus pro Sinis, Imperator, ut vitam haberetis æternam! mortuus est, sed & resurrexit à mortuis, & jam sedet ad dextram Patris: inde venturus est judicare, & cùm judicabit orbem terrarum, illi, qui crediderunt in eum, eique obediverunt, ibunt in vitam æternam, qui verò non crediderunt, condemnabuntur ad supplicium æternum, in stagnum ignis ardentis, ubi cruciabuntur in sæcula sæculorum! *Almeida.* Antoni, est Chirurgus in navi: consulemus hominem, an fortè phlebotomia non profit. *Ant.* Vereor, ne ferum remedium sit. *Alv.* In re desperata audenda sunt omnia. *Alm.* Si morbum non tollet sanguinis missio, saltem erit tolerabilior mors. *Alv.* Miserum solatium est: tamen agimus, quod agi potest.

SCENA VII.

Xaverius. Antonius.

Antonius. JAm mea calamitas propè apicem attigit. *Xav.* Dictis ut fidem faciam, Princeps, postulas? Eja! huc afferri jube, quotquot in Imperio sunt, aliquibus ærumnis oppressi: in Nomine D. N. J. C. Crucifixi cæci videbunt, surdi audient, claudi ambulabunt, mortui resurgent! quòdsi alia probatio placet, en corpus, en membra! quam prædico veritatem, effuso per extrema tormenta sanguine subsignabo. *Ant.* O DEus, sic Xaverius delirans te amat: quantum amabit sapiens! Antoni, sic *ex totibus viribus* DEus amatur! tu vires optimæ ætatis quibus stultitiis consecrâsti? ô valetudo, dulce beneficium DEI, quàm multi te abutuntur in benefactoris injuriam! Domine vitæ, & mortis! qui malè sani sunt, illi, fac, ut ægrotent: Xaverius vires suas pro te impendit, & tu prosternis! Ah! salvum fac servum tuum, Domine, propter te!.. propter te!... fallor! an quiescis, Pater!.. prô! ût sudas! ût anhe ût suspiras atrociter! oppidò fatigâsti te! *Xav.* Ubi fui!.. *Ant.* Nôsti Antonium tuum, Pater mi! *Xav.* Filius meus es tu, quem in Christo JEsu iterum genui: Antonius es. Sitio, mi Antoni, vehementer sitio. *Ant.* Ecce festino, ut aquam hauriam. *Xav.* O mare, amarum mare, quousque à Sina me divides!.. quid autem de Sina somnio! jam mors grassatur in visceribus: migrandum est. O nimiùm bone Domine! vix aliquot menses supra decennium laboravi in India, & Japonia: & tu jam vocas ad denarium! Ah! ampliùs vitæ! atque in vita ampliùs laborum! ampliùs dolorum! *Ant.* Ecce Pater, aqua limpidissima, unde refrigeres æstum pectoris! *Xav.* Libemus eam Domino, fili mi, Domino! Domino in cruce sitienti! *Ant.* Siccíne! atqui ita morieris præ siti! *Xav.* Ita, præ siti moriar, præ siti animarum,

præ

præ ſiti laborum, præ ſiti dolorum. Ampliùs Domine, ampliùs propter te! *Ant.* At nunc quieſce ſaltem! miſerè enim paroxiſmus vexavit corpuſculum. *Xav.* Fruſtra quietem Amori imperas. *Ant.* At ſilentium tamen! *Xav.* Sileo. *Ant.* Ego morior ad iſtos pedes.

CHORUS.

Stultitia Animæ DEUM non totis viribûs amantis.

Anima. Caro. Amor DEI. Labor. Dolor.

Anima. *COr meum, & caro mea*
Exultaverunt in DEUM vivum! Pſ. 83.
Cantemus Domino, Soror,
Cantemus, quia *usque ad delicias* amat nos!

Caro. Redamemus! cantemus!

DUETTO.

O DEus, ego amo te,
Amo tenerrimè!...
Eja! rumpe coſtas pectus,
Dulcis locum ut affectus
Habeat *ampliſſimum!*
Ardet deſiderium
Amandi ampliùs!
Ampliùs!

Amor Dei. Satìs eſt, ſatìs verborum:
Qualis quisque ſit *in Amore*,
Probat ſe,
Non *ex more*, vel *ore*,
Sed *ex re*,

ARIA.

Semper amor verus
Fuit rigoroſi
Examinis res:
Color eſt ſincerus,
Quando lacertoſi
Eſt roboris ſpes.
Ante pugnam fortis
Ipſa inter arma
Ignavia ſtat:
Sed ad umbram mortis,
Mox abjectâ parmâ
In fugam ſe dat.

Anima. Ecce totam, quanta ſum, tibi committo me.
Ut libet, licet Amori cum Anima diſponere,
Caro. MODO nihil ſupra vires velis exigere.
Amor. Apage iſtud *modò!*
DEum neceſſe eſt non ſolùm *ex tota anima*,
Sed etiam *ex totis viribus*,
Et SINE MODO diligere.
Verùm Amori obſtat Amor,
Quo ſororem proſequitur ſoror:
Proptereà *non veni pacem mittere, ſed gladium*,
Quô obſtantem Amori diſcindam Amorem.
Ecce intrant;... Eja! ſi placet Amor!
Placeant etiam amici Amoris,
LABOR, & DOLOR.
Caro. Heu! ad me pertinent iſtæ minaciæ!
Soror, defende me!
Amor. Vah! fæmineum ſuſpirium!
Atqui, ſi vultis vivere in amore,

Viven-

Vivendum est in labore, & dolore.
Anima. Vel ipso nomine occidis me!

ARIA.

Dulcis vita est *amare:*
Caro. Tristis vita *laborare:*
Qui hoc jubet, jubet mori,
Anima. Et succumbere dolori,
Caro. Antequàm labor,
Anima. Antequàm dolor
Ambæ. Oppresserint me.
Quem amamus, suavis DEus,
Caro. Pater est! *Anima.* Est Sponsus meus:
Caro. Pater me ad transtra liget?
Anima. Sponsus me in cruce figet?
Caro. Non me ligabit,
Anima. Non me damnabit,
Ambæ. Qui diligit me!

Amor. Scilicet, quem diligitis,
In montem Thabor sequi cupitis,
In monte Calvariæ deseritis! ...
Dolor. Delicatæ!
Si verè amatis, generosè amate!
Labor. Amor vester DEus crucifixus est,
DEus, qui à juventute sua vixit
In labore, & dolore:
Dolor. DEus, qui in ætatis flore
Animam in cruce pro vobis posuit ex Amore:
Amor. Amor, si Amor est, necesse est,
Ut amantes amato aut inveniat,
Aut faciat similes.

Labor.

Labor. LABOR, & DOLOR huc serviunt:
Dolor. Sunt amoris Artifices.
Ecce Prototypon!
Labor. Tale formamus Ectypon: *
Amor. Hæc nostra officina est.

* Exhibetur aula plena imaginibus, inter laboris, & doloris parerga.

ARIA A TRIO.

Labor. Ecce! hæc laboris,
Dolor. Ecce! hæc doloris,
Amor. Dictante Amore
Tres. Sunt artificia!
Labor, & Dolor. In his Dilectus videt se,
Et placens sibi amat se:
Amor. Ex auri pallore
Taxabit singula.

Caro. Novi Heroës, & æstimo:
Sed nónne plerique per laborem, & dolorem
Sanitatem, virésque prostraverunt,
Et ante tempus illati sunt tumulo?
Anima. Videtis corpus gracile:
Ne subitò deficiat, num immeritò timeo?
Labor. Nempe vos eritis immortales!
Imò, quantumvis laborem, & dolorem oderitis,
Denique deficietis
Vel ab ipsis deliciis.
Dolor. Sed neque nos effugietis:
Labor, & Dolor, quos fugitis,
Cùm comes est Amor,
Sine Amore vos persequentur:
Et tunc fugi, tunc odio haberi merentur.
Labor. Respicite! *

* Exhibitio. Tria

Tria se vobis exhibent cæmeteria:
Dolor. Moriemini! sepeliemini!
Quod eligatis, dicite.

ARIA A DUETTO.

Dolor. Hìc jacent, quos immanibus
Oppressos *à doloribus*
Aut vinum, aut Venus, aut ira necavit.
Labor. Hìc jacent, quos insomnibus
Consumptos *à laboribus*
In luto, & latere Mundus humavit.
Labor,& Dolor. Hìc jacent, quos Amor Divinus
Per nos morte placida
Transtulit ad sidera:
Quod (dicite!) malum est minus?
Licet eligere:
Eligite!

Anima. Non videmini nihil dicere:
Caro. Sed liceat deliberare!
Labor. Vah! & hoc sit sapere?
Dolor. Hoc sit bonum à malo discernere?
Amor. Hoc sit amare?
Necesse est mori, non datur exemptio:
Sed ex quo *labore*, ex quo *dolore*
Vires, sanitatem, vitam velis absumi,
Datur electio:
Papæ! num potest esse prudens deliberatio?

ARIA.

Cereus si saperet,
Euge! quid eligeret?

IN ABACO ludentibus
An mallet prælucere,
An Numinis honoribus
IN ARA resplendere?
Utrinque se consumeret:
Euge! quid eligeret?...

PUNCTUM II.

MORTIS MODUS.

SCENA I.

Alvarus. Jacobus.

Alvarus. REspiro à terrore, quem convulsiones, & deliquia incusserunt; nervi, credo, ab imperito chirurgo offensi dolore lethali confeciſſent ægrotum, si diutiùs torsisset symptoma. *Jac.* Nunc verò somnus, qui jactationi succeſſit, spem vobis convalescentiæ præbet? *Alv.* Optimam; signum est enim, quòd missio sanguinis vim æstûs febrilis fregerit. *Jac.* Infelix sum! *Alv.* Tu ingemiscis? *Jac.* Quia si moreretur Xaverius, Almeida me in navim reciperet, redire liceret ad meos: liber à jugo forem. *Alv.* Nescis, quid petas, miser! non potest tibi displicere Xaverius, nisi Christus displiceat: reverti in mancipatum diaboli est animus tibi?.. hem! filet homo. Igitur nunc intelligo demum, cur te Xaverius in Sancianum adduxerit. Inspexit *animi mobilitatem* nempe, & ut caveret lapsui, abstrahere à periculo voluit: ingens beneficium fecit. Equus effrænis libertas est: sessorem juvenem in omne scelus præcipitem agit. *Jac.* Liber natus sum: servire nolo. *Alv.* DEO verò, velis nolis, servire debes, nisi perire æternùm malis: nemo ex Regibus

etiam

etiam ab hac necessitate exemptus est; servi omnes nascimur. *Jac.* Iterum Almeidam adeo: væ homini, si iterum rejiciat preces! *Alv.* Minaris adeò? quò te cæcus amor licentiæ abripit? metue tibi! si fortè violenta consilia agitas. Ecce! arma, quibûs contra belluas cincti incedimus, in te convertes. *Jacob.* Nihil metuo. *Alv.* Ferox homo est. *Jac.* Vides hanc rupem? ex hac Almeidam sedentem ad clavum sagittis conficiam, si sine me navigabitis! *Alv.* Quid murmuras?

SCENA II.

Alvarus. Antonius.

Anton. ADhuc suavissimè Xaverius dormit: spero bene. Amas Sinenses, Domine, qui tantum Apostolum nobis servas! *Alv.* Gratulor! utinam tamen non triumphes antetempus: malum à convulsionibus time, si redeant. Si ad vesperum tranquillitas duret, tunc exclama! Sed mihi jam major pænè cura est de Jacobo, furit atrociter, & barbaras minas jactat. *Ant.* Scio: ô auferte vobiscum hominem: indomabilis indoles molestiis non ferendis fatigat Xaverium. *Per Amorem DEI* VINCE TEIPSUM, Jacobe, centies de die inclamabat Xaverius: *sine pugna* non vinces, &*sine victoria* non coronaberis! Surdo cecinit: homo post baptismum voluit eadem flagitia licere sibi, quibûs idolorum cultor inquinabatur. Stolidè nimis SEIPSUM AMAT, & SINE MODO: itaque nihil negat *vitioso appetitui*, scilicet quia vi opus foret, vim autem sibi facere delicatus pusio nullam vult. *Alv.* Omitte cætera: pernovi hominem in via satis, sæpéque admiratus sum Xaverii patientiam, modis omnibûs adlaborantis, ut Juvenem DEO excoleret. *Ant.* Odium VITÆ MOLLIS, si meministi, præcipuè inculcabat, adeóque *fugam otii*, & *amorem laboris*, *ac ærumnarum*; negabat enim, quòd, *qui molliter vivunt*, DEum *ex totis viribus* sicut oportet, ament. *Alv.*

Etiam Europæis auribus molesta hæc lectio est, ut adeò de Asiaticis minùs mirer. Sed tu fac, ut Almeida Xaverium invitum ne habeat, si abducat Jacobum. *Ant.* Imò auferendus est inscio; nam nimis amat Xaverius hominem, quanquam *ipsius amoris* impatientem, quia *virilis* est, quia *mollis* non est. *Alv.* Tu verò solus sufficies? nimirum ut, donec offeratur occasio penetrandi ad Sinas, ægroti necessitatibus servias? *Ant.* Date alium ex vestro numero, qui mihi adjutor sit, si quidem verè, uti videri vultis, Xaverius vobis in pretio est. *Alv.* Almeidæ loquar...

SCENA III.

Antonius. Xaverius.

Antonius. E Vigilat. Ut te habes, mi Pater? *Xav.* Bene, fili mi, bene, optimè me habeo. Vale Sina, tot votis, tot desideriis petita mihi! aliæ te manus colent: ego spectator messis de cœlo ero. *Ant.* Animô aberras, Pater! te, tuas manus, non alias expectat patria. *Xav.* Tu erras, mi Antoni, nam ego quidem *jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat: bonum certamen certavi, cursum consummavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus!* ita, *in te, Domine, speravi: non confundar in æternum! Ant.* Nihil de morte loquamur, Pater! quinquaginta annos nondum habes, & jam vis mori? de vita loquamur, de vita in laboribus agenda usque in supremum senium: tunc maturior cœlo eris! *Xav.* Domine! si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: sed quis est necessarius tibi? centum pro uno operarios, si vis, habes, meliores me: ego Servus inutilis fui! *JEsu Fili David miserere mei!* Ant. Bone DEus, si iste Servus inutilis fuit, quis, & qualis sum ego? Xaveri! omitte, obsecro, istas de morte curas: valetudinem cura! *Xav.* Frustra speras; migrare Dominus jubet: *venit hora, & nunc*

nunc est, veni Domine JESU! ecce venio! *Ant.* Heu, quid agam? in tanta imbecillitate tanta contentio utique te occidet? *Xav.* Qui semper EX TOTIS VIRIBUS amare DEum studui, vis, ut in ultimo vitæ actu *viribus* parcam? *Ant.* Ah! mi Pater, aliis ægris præcipitur silentium, vix Sacerdoti sinuntur loqui, imò etiam, qui pios affectus præit, quos æger audiat, jubetur brevis esse, ne vitam, ajunt, decumbenti abbreviet, cujus solus DEus est Dominus, & tu! *Xav.* Tace carnalis sapientia! nescis, quòd DEI Filius clamans *voce magna* exspiraverit? ... Qui vitam sibi *per pravorum affectuum incontinentiam* abbreviant, de ira Domini metuant sibi. Qui in tuo obsequio, DEus mi! cui debetur vita, citiùs moriuntur, quia contentiosiùs laboraverunt, nunquid reprehendentur? intende *remissiùs* fides citharæ, diutiùs servabis integras, sed Musica miserrimè languebit: ut placeat, adducantur, donec edant sonum, quem res exigit: rumpentur *citiùs*; nihil refert, modò rumpantur in obsequio, quod debebant. Ergò INTENDE TE AMOR, & quantum potes, tantum aude, sciens, quia modicum tempus superest. *Ant.* Heu me! nihil proficio: Lusitanos in auxilium voco.

SCENA IV.

Xaverius solus.

O DEUS EGO AMO TE! nec amo te, *ut salves me*, aut, *ne æternùm damnes me!* .. imò erravi! amo, *ut salves!* amo, *ne damnes!* equidem non ignis infernalis me incendit, ut amem: sed amo tamen, ne dejiciar in locum, ubi Amor æternùm exulat! non splendor Cœli, non divitiæ loci, non deliciæ incitant, *ut velim salvari*: amo, ut salver, salvari volo, ut amare æternùm possim! amo te, *non præmii ullius spe*, quod A TE distinctum sit; amo tamen, quia amare æternùm concupisco! quid? hic

Amor concupiscentiæ est, qui Amoris perfectioni, quem tu mereris, repugnat? imò *lauda anima mea Dominum!* qui sic Amorem sui cum Amore mei connexuit, ut non possim amare ipsum, quin *eodem* Amore amem me. VIVO, UT AMEM! Amor est finis meus, in quo quiesco: Amor beatitudo mea, quæ omne desiderium implet, si erit *æternus Amor!* finem meum, beatitudinem meam ut appetam, *per omnem actum*, tu *præcepisti*, neque *appetitus amoris* est aliquid aliud, quàm *appetitus meæ beatitudinis*: igitur si amo te, QUIA infinitè amabilis es, & amo te, UT *per Amorem* merear *æternùm amare*, simul me & te amo, & gemini amores unus sunt Amor, quia cùm amo, UT AMEM, me PROPTER TE amo. Gaude igitur, gaude anima mea! ultimus in hac vita agendus est actus Amoris, qui est ex, & in Amore amati mori: mors initium Amoris æterni erit. Igitur ô felix pœnitentia, quam de amore vanitatum Ignatio Duce maturè concepi! ô bene susceptí labores, quos per Europam, Indiam, & Japoniam ex Amore DEI exantlavi! ô jucundæ miseriæ, quæ in ipso Amoris exercitio me oppressérunt! succumbis caro mea! sed plaude tibi! nulli amori profano, soli Divino succumbis! plaude! merces DEI *amati in tempore* erit DEus *amandus tota æternitate!* ô merces magna nimis! Cœlum meum cœlum Amoris erit: hoc solum appeto, nullum aliud: nam *sicut tu amâsti me, sic amo, & amabo te!* tu amâsti me *hoc fine*, ut ameris à me: ego amo te *hoc fine*, ut amer à te; amari autem à te *non alio fine* cupio, nisi ut liceat æternùm amare: dignus es Amore æterno, quia REX MEUS es, quia DEUS es! REX, optimus ERGA ME! DEUS, summum bonum IN SE! ... Eja! jam viscera mors ingreditur! vale terra! CONSUMMATUM EST! in Cœlum eo! *Domine JESU, in manus tuas commendo spiritum meum!* ...

SCENA

SCENA V.

Personæ omnes.

Antonius. HEu me! egóne funestas rixas moribundo Xaverio referam? *Jacob.* Quid? vos exarmare me! *Ant.* Obsecro, quò ruis Frater! *Alm.* Lacessas etiam! *Alv.* Pereat ferox bellua! *Alm.* Habet! *Jac.* Vah! perii! *Ant.* Miserere Cœlum! *Xav.* Heu miser! *Ant.* Tantum facinus audetis barbari in oculis Patris! *Alm.* Prior arma strinxit adversum nos! *Alv.* Suâ culpâ interiit. *Ant.* Contempti Xaverii pœnas frater acerbas luis: precare veniam à DEO vindice, adhuc est Pater! *Jac.* Ah dolor! *Ant.* At vos abite ex oculis saltem! .. *Alm.* Ecce cedimus dolori tuo. *Ant.* Imò, juvate sancti Cœlites! jam animam Sanctus agit. Pater! *Xav.* JESU! *Ant.* Heu! exspiras! ô atrox malum mihi! .. jam egit animam! *Jac.* Egredere infelix anima! *Ant.* O JESU, esto JESUS Fratri meo! Salvator esto. Prô boni Superi! jam iste quoque vitam finit. Inter geminas mortes ego vivo: unum AMOR DEI, alterum AMOR SUI occidit! utra mors erit mihi?

O. A. M. D. G.



NEUMAYR

Meditationes
Sacrae

Th
3185